FRIDERICI SPANHEMII DISPVTATIONVM Theologicarum SYNTAGMA.

DISPVTATIONVM THEOLOGICARVM MISCELLANEARVM

Pars Prima.

Auctore

FRIDERICO SPANHEMIO
S S. Theologiæ Doctore, & primò in Genevenſi,
poſt in Lugdunenſi Batavorum Academiâ
Profeſſore.

NVNC PRIMVM COLLECTA.

GENEVÆ,
Sumptibus Petri Chouët.
M. DC. LII.

NOBILISSIMO,
Ampliſſimoq́; Viro,

ANDREÆ PICTETO,
IC. INCLYTÆ GENEVENSIVM
Reipub. Conſuli & Senatori meritiſſimo,
Patriæ Patri, & Academiæ Patrono,

S. D.

E. SPANHEMIVS F. F.

NEMO *hic in limine mirabitur,* VIR AMPLISSIME, *cur ſub tuis potiſſimùm auſpiciis & tutelâ nominis prodire in lucem geſtiat non ignobilis deſideratiſſimi Parentis fœtus. Enimvero ſi quam comparandi alicuius præſidij fiduciam, aut ſtationis dignitas, aut facilitas admiſsionis, aut neceſsitudinis vincula, aut beneficiorum magnitudo, aut explorata apud omnes grauiſsimi iudicij autoritas adferunt; illa omnia tuum hic ambiendi patrocinium gratiſsimam imponunt neceſ-*

ſitatem. Si enim vt ciuis ex Patrum huius Reip. numero deligere aliquem debui, in cuius clientelam commendaret ſe hic liber, quemnam potius me compellare decuit, quàm ex primo Procerum ordine Patronum, & alterum hoc tempore ciuitatis Præſidem; ſi vt litterarum cultor, quàm earundem fidiſsimum cuſtodem; ſi vt Academiæ, in quâ docendi munus fungor, alumnus, quàm optimum illius Statorem; ſi vt affinis denique; quàm eum, qui artiſsima quæque ſanguinis & neceſsitudinis iura numero & pondere beneficiorum non impleuit ſolùm, ſed anteuertit. Ita tot nomina in vnius præſcriptione occurrunt, vt tam facilis fuerit huius delectus, quàm ſit difficilis illorum æſtimatio: immo longe ſupra vires meas poſitum agnoſcam omnem illa non expediendi ſolùm ſed profitendi conatum. Non ergo illa gentilitia dignitas familiæ tuæ pridem inſerta, & ex ea ſingularis exſurgens autoritas, me hic duntaxat vectigalem tibi ac tributarium ſiſtunt: nec eo nomine id à me ſolo exigis, quod mecum reliqui omnes debent. Fateor equidem non poſſe me hoc loco priuata potius quàm publica patriæ nomina recenſere, quæ vera virtutum tuarum ac felicitatis ſuæ æſtimatrix, maturos ante ætatem fructus ſingularibus etiam præmiis redimendos credidit. Videbat illa te prætextatum etiamnum & minorem annis, iam adulto greſſu laudatiſsima Maiorum veſtigia premere, & virile robur ac ſenilem prudentiam

in

in alacri adoleſcentis vultu feliciſsimè adumbrari. Avum tuum vel inprimis magni ſpiritus & explorata ſæpius virtutis Senatorem reducem in te ac ſpirantem denuo exoſculabatur, quem inaudito alias & ſingulari exemplo Patrum ſimul & Conſulum numero eodem momento vidit aſcriptum; vt hic ſupremus dignationis gradus non tam videretur temporis beneficium, quàm inſolitum inuſitatæ virtutis redhoſtimentum. Mox eandem non ſolùm in geminum Parenti Filium, ſed citra multa temporum ſpiramenta, in ſimillimum Nepotem tranſlatam voluit dignitatem: atque ita poſt decoratam præcipuis in hac Republica honoribus iuuentam, te etiamnum in illius ſpatiis floreſcentem, ad Conſulare faſtigium miro omnium ordinum ſtudio & propenſione euectum. Nec fefelliſti illorum ſpem ac vota: dum totum earum, quæ Senatorem abſoluunt, virtutum orbem capaciſsima mente complexus, præclariſsimis præterea ſtudiis excultam probe indolem ad Rempublicam adtuliſti. Hinc ille erectus ac imperterritus animus ſaluti patriæ & ſingulorum commodis intentus; hinc illud generoſum & excelſum pectus rara pietate ac probitate incoctum; hinc iudicium illud acre inprimis & caſtigatum; hinc illud ingenium igneum planè & excitatum; hinc illud maſculum denique facundi oris robur, vt tot alias mittam dotes, quibus indies apud nos inclareſcis. Nec eas ſolùm domi in

adminiſtranda Republ. ſed & foris in obeundis creberrimis legationibus ita diffudiſti, vt illa longè vrbis pomœria egreſſa, te apud exteros paſſim & Magnates gratiſſimæ admiſſionis Oratorem probent. Adeo vt non mirum ſi illa mentis altitudine & magnitudine virtutum patriæ amores audias & incrementum, & quot vel habet vel agnoſcit ciues GENEVA, *tot habeat pectora in tui cultum & venerationem effuſa. Si verò me vt ciuem, ſic vt priuatum tot præfigendi hoc loco ampliſſimum tuum nomen rationes impellunt, vt mihi nec eas ſilentio premere, nec ad illarum magnitudinem aſſurgente eloquio liceat expedire. In cuius enim fidem ac tutelam committi potius debuit hic fœtus, quàm illius cuius tot præclariſſima exſtant in eius Parentem merita, vt ad id non tam videar tacito quodam mentis imperio, quàm defuncti deſtinatione adigi; atque ita pietatis iuxta & grati animi ſignificationem hac publicâ interpellatione portendi. Nec enim id vllus ignorat,* VIR AMPLISSIME, *cuius tot publica exſtare voluiſti monimenta; quàm artiſſima, nempe & omni maior prædicatione inter te & nunc placidè in Domino quieſcentem fuerit animorum conjunctio: vt nulla, quod vere dicam ac intrepide, amicitia tam ſanctè inita, tam religioſe culta, tam prolixa mutua beneuolentia & tenerrimi affectus teſtificatione probata, tot immortalibus denique benefi-*

ciis

ciis fuerit vmquam obſignata. Adeo vt quæ olim inter præſentes amica coaluerant candidiſſimorum pectorum ſtudia, inter diſſitos & longa locorum intercapedine diſſociatos non extincta fuerint aut intermiſſa, ſed continuâ officiorum ſerie à te indies corroborata. Tu eum nunc ἐν ἁγίοις nulla ambitione præpoſtera, nullis priuatis ſimultatibus, ſed potente Dei brachio ab his oris avulſum & in Bataviam tranſlatum & calidiſſimis votis proſequutus es, & incredibili ſtudio quaſvis eum demerendi occaſiones non occupare ſolummodo, ſed præuertere voluiſti. Adeò vt nec tu in conferendis beneficiis modum vmquam poneres, nec ille in æſtimandis ſatis ſibi poſſet facere: & ita neuter in hoc certamine vellet vinci, in quo vel vnum vincendi propoſitum ſingularis & inuſitatæ planè beneuolentiæ fidem fecit. Si verò vivus olim ac ſoſpes acerrimum in te innocentiæ vindicem, & famæ patronum, & eruditionis præconem nactus eſt: ita dici non poteſt, quàm tibi veriſſimas lacrymas acerbus Eccleſiæ, & luctuoſiſſimus familiæ in præmaturo illius obitu caſus expreſſerit; quàm eundem amorem & affectum, non iuxta imbelles mentes & notam ſeculi malignitatem, in eius tumulo ſepultum, ſed in ſuperſtitem ſobolem eadem menſura volueris deriuatum. Illa quidem vltimis defuncti tabulis curæ tuæ potiſſimùm ac patrocinio,

vt & Viri Ampliſsimi Isaaci Gallatini *non primariis ſolùm honoribus ſed ingentibus meritis magni huius Reipub. Statoris credita, ita immenſo fœnore ſe tibi obæratam ſentit, vt illius magnitudinem aſſequi amplius non poſsit aut æſtimare. Ego vel inprimis ingentem illius æris partem in me collatam fateor, quem in natale ſolum reducem non hærere hic ſolùm aliquandiu, ſed rerum ſedem figere voluiſti; immo ita apud Nobiliſsimos huius Reipub. Proceres, vna cum illo excelſi animi & præclariſsimarum virtutum Conſulari Senatore, qualiacunque ſurgentis famæ & ingenij rudimenta commendare, vt nouam in hac Academia prouinciam erigere, eique titubantis adhuc ætatis adoleſcentem præficere non fuerint dedignati. Sed non ingredior vlterius beneficiorum tuorum cumulum, quorum numerum dum nec animus capere, nec memoria tenere, nec facundia poteſt explicare, in vota potius excurram, vt ille qui te huius Reipub. egregio indulſit, diu eidem ſoſpitem ac florentem velit, & in te datum Litteris Vindicem, Amicis Patronum, Liberis Columen, Præſidium Ciuibus, Ornamentum Patriæ, non præſentes ſolùm, ſed Nepotes etiam noſtri videant ac venerentur. Dabam Geneuæ Anno æræ Chriſtianæ* CIↃ CI LII. *Idibus Julijs.*

LE-

LECTORI S.

EXHIBEMVS tibi, Amice Lector, Opus quod multorum votis expetitum, eorundem precibus extortum ſe tandem in omnium manus diffundit, & jam de euentu ſecurum intrepidè auguſtum famæ theatrum ſubit. Vnde non à me expectas, vel ad ambiendum operosè affectum, vel deprecandam veniam blandas tibi in limine inſidias moliar; quorum vtrumque immortalibus ſcriptis celebratiſſimi pridem autoris nomen abundè illi poterit conciliare. Ita enim hactenus omnia, quæ ab eius doctrina & ingenio exiêre monimenta plaudente eruditorum Senatu, & gratulante omnium ordinum agmine ſunt excepta; vt & defuncti exiſtimationi, & tot latis à te fauentibus de illo judiciis tam præpoſtera deprecatione non parum irem detractum. Nec enim ideo, quod illo jam cœli incola & æternitatis candidato hoc Opus è præli carcerib. prorumpit, in poſterum minus æquum te ac beneuolum ſperat; immo eò majori fiducia ſe tibi ſiſtit, quod eam quam liuor viuis & florentibus invidet gloriam, raro illorum vmbræ & cineribus neget, & mordere quivis deſinat, qui non videt vbi dentem figat. Adde ab illo viuo & ſoſpite ſeorſim ac diuerſis quidem temporibus ac locis prodiiſſe,

quæ nunc in tuos vſus in vnam eamque non ingratam molem contracta, tibi vno quaſi obtutu vſurpanda ſubjiciuntur. Habes ergo hic *Theologicarum Diſputationum Syntagma*, quas in primariis Reformati Orbis Academiis, primò Genevenſi, poſt Lugduno-Batava pro reſpondentium arbitrio ac delectu ſcriptas, publice magno auditorum cōcurſu ventilauit. *Miſcellanearum* verò appoſuimus nomen; partim vt ab alterâ, quę tota in oppugnandis Anabaptiſtarum erroribus occupatur, parte diſcriminarentur; partim ne plenum hìc Theologiæ Syſtema obtrudi tibi exiſtimares Nec ideo tamen multùm ab illius forma aut vſu recedit: quum pauciſſimis exceptis hic pleraque & potiſſima quidem habeas Locorum Capita compendio ſimul & accuratè pertractata; ſingula juxta conſuetam illorum ſeriem digeſta; & præterea amœna quædam alia & erudita Diſputationum argumenta inſerta, quæ facilè, paucorum, quæ hic deſunt Capitum, vicem implebunt & lenient deſiderium. Non miraberis verò, ſi pro diuerſa temporum opportunitate, negotiorum mole, & ſtationis ratione vel majori quaſdam videas accuratiōne perſcriptas; vel plures nonnunquam in pleniori alicujus argumenti elucidatione exhauſtas; & in quarundam limine ad præcedentes Collegarum Theſes, cum quibus diuiſa erant diſputandi munia, lectorem ablegatum. Non diffiteor equidem laboraſſe pridem in lucubrationibus id genus magnorum tum veterum tum recentium Theologorum induſtriam, immo immensâ illorum copiâ ita obrui litigioſum ſeculum, vt ni illæ aliquo nouitatis lenocinio alliciant lectorem faſtidioſum

illum

illum continuo & iniquum parturientibus nanciſcantur. Verùm quum felix ejuſmodi partus fœtura ex parentis potiſſimùm famâ & intuentium arbitrio pendeat, non putamus imminere tam triſte huic prodeunti in lucem fatum; qui quum fruſtratim antea ac membratim editus, pronis paſſim, eruditorum & his vel inprimis ſacris initiatorum amplexibus fuerit exceptus, nunc verò integer & ex omnibus illis partibus coaleſcens non poterit leuiorem ab iis gratiam aucupari. Immo eò majorem illam à cordatioribus quibuſque referet, quod nulla hic eum cernent hornotina dogmata propugnantem; non præpoſtero declamandi ſtudio in vmbratili pugnâ abreptum; ſed omnibus toris ac nervis inſtructum hoſtem recta laceſſentem; tela maſcula vi lacertorum modò torquentem modò confringentem, & ita pulcherrimum rationum conflictum graui & decenti ſchemate adumbrantem. Aſperſum quidem illum intueberis paſſim ſcholaſtico pulvere, ſed qui adverſariis ſolum aut moroſis interpellatoribus caliginem offundet, diſputatorum vero oculos & mentem colluſtrabit; tyronem vel inprimis docebit citra inutiles circuitus antagoniſtam punctim cædere, non verò per obliquos ſolum neç transfigentes ictus aggredi; ſtatione eum depellere; armis exuere; eadem in eius viſcera adigere; illiúſque in mediâ arenâ jacentis & exſanguis imbecillitatem non in vmbram amplius, ſed in apertam lucem protrahere. Alia nempe Oratoris, alia diſputatoris palæſtra; alius vtriuſque in ſcenam prodeuntis apparatus: quod vtrumq; qui confundit, & in Orationibus inani argutationum phalange

digladiatur, & in diſputationibus ridiculâ orationis luxurie exſultat, næ ille ſingularem vtriuſque artis inſcitiam prodit, & earum magiſtris ac peritis rerum æſtimatoribus merito ludibrium debet. Alia longe & cordatior mens hujus *Syntagmatis* autori, qui vtraque laureâ inclytus, & facundiæ non vulgaris gloriam Orationibus variis (quas in vnum faſcem collectas cum qualibuſcunq; conatibus noſtris ad prœlum paramus) & eximiam ſingularis acuminis laudem, tum monimentis aliis retulit, tum hoc vel inprimis opere apud omnes æquos rerum arbitros conſequetur. Tu illo fruere, Amice Lector, & illius, quem vivum coluiſti, qui in tui compendium vitam in medio ſpatio contractam profudit, jam cœlis vindicati famam ab omni ærugine intactam præſta.

INDEX

INDEX

DISPVTATIONVM THEOLOGICARVM huius SYNTAGMATIS,

Additis

RESPONDENTIVM nominibus.

Diſputatio I. *De S. Theologia.* *Reſp.* Ant. Theſſeræo de Brunel. 1

Diſput. II. *Compendium Theologicum exhibens.* *Reſp.* Ioanne Progulbicki. 5

Diſput. III. *Theologica Miſcella.* *Reſp.* Leonardo Ælſtio. 9

Diſput. IV. *De Scriptura ſacra.* *Reſp.* Joanne Georgio Niſſelio. 12

Diſput. V. *De Verbo Dei ſcripto in ſpecie, & ejus origine.* *Reſp.* Franciſco Turretino. 21

Diſput. VI. *De Verbi Dei ſcripti Autoritate.* *Reſp.* Petro Donis. 26

Diſp. VII. *De Fine ſacræ Scripturæ. Prima.* *Reſp.* Nicolao Heuſſenio. 31

Diſp. VIII. *De Fine ſacræ Scripturæ. Secunda.* *Reſp.* Nicolao Heuſſenio. 35

Diſput. IX. *De Deo. Prima.* *Reſp.* Guilielmo Pantero. 38

Diſput. X. [illegible]

Diſput. XI. *De S. Trinitate.* *Reſp.* Samuele Geraldo. 45

Diſp. XII. [illegible]

Diſp. XIII. *De Attributis Dei incommunicabilibus in ſpecie.* *Reſp.* Georgio Con[illegible]

Diſp. XIV. *De Decretis Dei in genere.* *Reſp.* Jacobo Triglandio. 61

Diſp. XV. *Exhibens Epitomen Theologiæ Socinianæ.* *Reſp.* Steph. T. Peeri. 66

Diſp. XVI. [illegible]

Diſp. XVII. *De Providentia Actuali Dei.* *Reſp.* Gaſparo à Wallendal. 82

Diſp. XVIII. *De Operibus Creationis.* *Reſp.* Petro Agache. 87

Diſp. XIX. *De Angelis.* *Reſp.* Joanne Meſſu. 91

Diſp. XX. *De Creatione hominis, & Imagine Dei.* *Reſp.* Petro Plancio. 100

Diſp. XXI. *De ſtatu hominis tum integri tum corrupti.* *Reſp.* Franciſco Burmanno. 105

Diſp. XXII. *De Peccato in genere.* *Reſp.* Joannes Pentecoſte. 117

Diſp. XXIII. *De Lapſu Adami.* *Reſp.* Stephano Morin. 126

Diſp. XXIV. *De Peccato Originis. Prima.* *Reſp.* Joanne Progulbicki. 126

Diſp. XXV. *De Peccato Originis. Secunda.* *Reſp.* Joan. Audiciewickio. 148

Diſp. XXVI. *De Peccato Originis. Tertia.* *Reſp.* Joanne Appeldorn. 157

Diſp. XXVII. *De Peccato Originis. Quarta.* *Reſp.* Paulo Bilotio. 161

Diſp. XXVIII. *De Peccato Originali.* *Reſp.* Jacobo Pricquio. 160

Diſp. XXIX. *De Peccato Actuali.* *Reſp.* Jacobo Pricquio. 174

Diſput. XXX. *De Prædeſtinatione.* *Reſp.* Henrico Bornio. 178

Diſp. XXXI. *De Prædeſtinatione.* *Reſp.* Stephano S. [illegible]. 195

Diſp. XXXII. *De Prædeſtinatione & annexis capitibus.* *Reſp.* Franciſco K. Fogaraski. 208

Diſp. XXXIII. *De Gratia Vniuerſali.* *Reſp.* M. Friderico Sylvio. 330

Diſp. XXXIV. [illegible] *Reſp.* Samuele Curtio. 227

Diſp. XXXV. *De Perſeverantia Sanctorum.* *Reſp.* Joanne Martino Spieſſ[illegible]. 240

Diſp. XXXVI. *De Perſeverantia Sanctorum.* *Reſp.* Stephano A. Szokolæo. 253

Diſp. XXXVII. *De Perſona Chriſti. Prima.* *Reſp.* Bartholomæo vander Port. 259

Diſp. XXXVIII. *De Perſona Chriſti. Secnnda.* *Reſp.* Arnoldo Finſonæo. 263

Diſp. XXXIX. [illegible] *Reſp.* Andrea [illegible]tano. [illegible]

Diſput. XL. *De Statu Exinanitionis Chriſti.* *Reſp.* Joanne H. Belinyeſio. 262

Diſput. XLI. *De Iuſtificatione peccatoris coram Deo.* *Reſp.* Dauide Veveſio. 277

Diſput. XLII. *De Iuſtificatione.* *Reſp.* Joanne Bekio. 282

Diſp. XLIII. [illegible] *Reſp.* Daniele de [illegible]. 286

Diſput. XLIV. *De Libertate Chriſtiana.* *Reſp.* Dauide Rege. 290

Diſput. XLV. [illegible] *Reſpond.* Henrico K[illegible]. 297

Diſput. XLVI. *De Nominibus Schiſmaticis. Prima.* *Reſp.* Stephano A. Szokolyai. 300

Diſp. XLVII. *De Nominibus Schiſmaticis. Secunda.* *Reſp.* Stephano S. Ma[illegible]. 309

Diſp. XLVIII. *De Nominibus Schiſmaticis. Tertia.* *Reſp.* Samuele Herzogus. 316

Diſp. XLIX. [illegible] *Reſp.* Samuele Herzogo. 325

Diſput. L. [illegible] *Reſp.* Ioan. Rodolpho Hybnero. 330

Diſput. LI. [illegible] *Reſp.* Joanne [illegible]. 337

Diſput. LII. [illegible] *Reſp.* Jacobo van Niebergen. 341

Diſput. LIII. [illegible] *Reſp.* Mauritio [illegible]. 340

Diſput. LIV. *De Baptiſmo.* *Reſp.* Joan. Rodolpho Hoffmeiſtero. 349

Diſput. LV. *De Baptiſmo.* *Reſp.* Lamberto Crollio. 354

Diſput. LVI. *De Sacra Cœna.* *Reſp.* Petro [illegible]. 359

Diſput. LVII. [illegible] *Reſp.* Elia Corne[illegible]. 364

Diſg. LVIII. *De Conſummatione ſeculi,* [illegible] *Reſp.* Gerardo [illegible]. [illegible]

FINIS.

DISPV-

DISPVTATIO THEOLOGICA, DE

S. THEOLOGIA.

THESIS I.

THEOLOGIÆ natura, Theologo *in genere*, ante *ſpecialem* rerum Theologicarum diſquiſitionem, prænoſcenda eſt, ut & *Objecti*, circa quod occupatur, rationes perſpectas habeat, & *Officii* ſui.

II. Diſſertatio de hoc argumento ad *duo capita* revocari poteſt. 1. Ad notationem *nominis*. 2. Ad notationem *rei* per nomen deſignatæ.

III. Notatio *Nominis* abſolvitur. 1. Declaratione *Originis*. 2. Explicatione *ſignificationis*. 3. Expoſitione *uſus* ipſius nominis.

IV. *Originem* verò habet nomen Theologiæ compoſitum non à Deo in ſuo verbo, ſed ab hominibus extra id, ſyllabas ſpectes, loquentibus. Utut enim res illo nomine deſignata, ἔγγραφος ſit, nomen tamen ipſum *in abſtracto* ἄγραφον eſt, adeoque dici poteſt id *eſſe* in Scriptura, etſi non *dicatur* in Scriptura, quatenus illa adhibet Synonyma varia, nomini iſti ἰσοδυναμοῦντα. Hoc ſenſu in ea reperimus tum σοφίαν, 1. Corinth. 2. verſ. 6. & cum appendice σοφίαν τοῦ θεοῦ, verſ. 7. tum διδαχὴν, partim *abſolutè* & *antonomaſticè* ſic dictam Iohann. 7. 16. 17. partim ἐξαιρετικῶς, καλὴν διδασκαλίαν, 1. Timoth. 4. 6. Item διδασκαλίαν κατ' εὐσέβειαν, 1. Timoth. 6. 3. Item ὑποτύπωσιν ſanorum ſermonum, 2. Timoth. 1. 13. τὸν πιστὸν κατὰ τὴν διδαχὴν λόγον & διδασκαλίαν τὴν ὑγιαίνουσαν Tit. 1. 9. Theologiæ itaque nomen in Scriptura reperitur non *ſono* ſed *ſenſu*, quod ſufficit.

V. *Significatio* nominis iſtius vel *incomplexa* eſt & *inadequata*, ſive ab *efficiente*, ut denotet τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, *ſermones Dei*, ſive ab *objecto*, ut notet τὰ λόγια περὶ τοῦ θεοῦ, *Sermones de Deo*: vel *complexa* & *adequata*, ut denotet & *ſermonem Dei* & *ſermonem de Deo* ſimul, hoc eſt, doctrinam quæ & *originaliter* à Deo eſt, & *objectivè* de Deo ac divinis agit, & *terminativè* in Deum fertur, & *effectivè* hominem ad Deum ducit. Complectitur verò nomen iſtud Theologiæ

duplex principium ſuum unum *eſſendi*, quod Deus, alterum *cognoſcendi*, quod eſt verbum ipſius.

VI. *Vſus* nominis iſtius eſt 1. *Aequivocus* & *improprius* planè. 2. *Minus proprius* 3. *Proprius*.

VII. *Aequivocus* & *improprius* planè eſt, quando nomen iſtud effertur 1. De Μυθολογία pagana. 2. De ματαιολογία Philoſophica. 3. De ψευδολογία Hæretica. 4. De τερατολογία *Scholaſtica*, vel *Quodlibetaria*.

VIII. *Minus proprius* eſt quando Theologia effertur. 1. De *Originali*, vel *Originante* ſapientia, quæ nobis in Deo concipitur, ſeipſum ineffabili & perfectiſſimo modo cognoſcente. Alio enim, & altiore quidem nomine efferri debet. 2. De ſapientia *Originata* vel *orta* quæ varia eſt. 1. *Christi* θεανθρώπου, Deum & res Divinas perfectiſſimè cognoſcentis, beneficio unionis naturæ humanæ cum Divina. 2. Spirituum *glorificatorum*, eorumque vel *completorum* vel *complendorum*, Deum & divina intuentium in lumine gloriæ, Matth. 18. 10. & 5. 8. 3. De notitia qualicunque Dei, qua homines animales τὸ τοῦ θεοῦ, *quidam de Deo*, extra Eccleſiam & Scripturam partim ex lumine externo naturæ *objectivo*, partim ex luce interna *ſubjectiva* conſcientiæ impreſſa imperfecto planè modo agnoſcunt. Prima ἀρχέτυπος Theologia dicitur vel πρωτότυπος vulgò, reliquæ ἔκτυποι, ſecunda *Vnionis*, tertia *Viſionis*, quarta *Naturæ*, ſive ἔμφυτος illa ſit, ſive ἐπίκτητος in Scholis Theologicis vocari ſolent, continens partim *principia*, ſive *Theoretica*, ſive *Practica*, partim *principiata*, vel *concluſiones* ex iis eductas.

IX. *Proprius* verò hujus termini *technologici* uſus eſt, quandò tribuitur hominibus in Eccleſia Dei educatis, & deſignat. 1. *Habitualiter* notitiam de Deo rebuſque divinis ex Dei verbo hauſtam, & dicitur Theologia *apprehenſiva* vel *viæ* contradiſtincta Theologiæ *comprehenſivæ* vel *metæ* aut *patriæ*, 1. Corinth. 13. 12. 2. *Syſtematicè*, corpus doctrinæ cœleſtis ſecundùm regulas artis ex Dei verbo exſtructum & ſecundùm id expoſitum. Prior vocatur etiam Theologia *concretiva* vel *ſubjectiva*, poſterior *abſtractiva* vel *objectiva*. Nobis hîc ſermo potiſſimum de Theologia *ſyſtematica* vel *objectiva*.

X. Notatio *rei* abſolvitur 1. *Definitione* Theologiæ. 2. Definitionis *explicatione*

XI. *Definitio* eſt, Theologiam eſſe doctrinam de Deo & de rebus divinis à Deo in verbo ſuo revelatam.

XII. *Genus* Theologiæ doctrinam ſtatuimus, tum quia à Deo docetur, tum quia in Eccleſia diſcitur. Hoc genus præferimus aliis: quæ è quinque habitibus intellectualibus Theologiæ vulgo aptari ſolent, quorum tamen pleraque *habituali* potius Theologiæ, eminenter plures habitus complectenti, conveniunt quàm *Syſtematicæ*. Eſt verò Theologia doctrina *antonomaſticè* talis, omni humana præſtantior, partim ratione *originis*, partim ratione *materiæ* partim ratione *formæ*, partim ratione *finis*, partim ratione *uſuum* & *effectorum* ſuorum.

XII.

XIII. *Differentia* Theologiæ ducitur partim ab *objecto*, partim à *modo communicationis*. *objectum* ejus eſt vel *primarium* Deus Romanorum 1.20. vel *ſecundarium*, res divinæ ſive quæ à Deo *factæ*, ſive quæ ab hominibus vel *faciendæ*, vel *credendæ*, vel *ſperandæ*, ſive quæ ad verum de Deo *ſenſum*, ſive quæ ad verum Dei *cultum*, ſive quæ ad utriuſque *finem* pertinent, eæque omnes ut à Deo profectæ, ſic ad Deum ordinandæ Pſ.19.2.Roma.6.17. Eph.1.18.&3.18.19. 1.Pet.1.12.

XIV. *Modus communicationis* ſpectari poteſt 1. *Efficienter* in Deo, quem ſolum cauſam habet ſeipſum & ſua revelantem homini, ex mero *amore communicationis* Matt.11.25.& 16.17. *Inſtrumentaliter* in verbo, quod ſolum hujus revelationis ſublimioris, quæ propriè Theologia *viæ* vocari ſolet, inſtrumentum eſt, & naturalis de Deo cognitionis ſive *objectivè* conſideratæ, ſive *ſubjectivè* non deſtructiva eſt, ſed perfectiva, Roman.16.25.26. quod verbum, ut olim ante Moſen ἄγραφον fuit & πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως Patribus partim vigilantibus, partim dormientibus ſive vocalibus ſive ſymbolicis apparitionibus propoſitum Heb.1.1. Sic ab eo tempore ἔγγραφον redditum fuit ſingulari Dei munere & formandæ, & confirmandæ fidei noſtræ, ut principium eſſet & norma, unica quidem, credendorum & faciendorum, adeoque *adæquatè* Theologiam omnem ſanam & fundaret & circumſcriberet. Priori modo verbum Dei Theologia ſemper prius fuit, non poſteriori prout & *reduplicativè* etiam prius fuit quavis Eccleſia, quamvis non *ſpecificative*, quà ſcriptum, vel ſub hoc *formali*.

XV. Peccant itaque. I. Quo *ad rem* 1. *Sociniani*, qui *rationem* alterum Theologiæ principium præter Dei verbum conſtituunt, & confundunt *objectum* cognoſcendum vel cum *potentia* vel cum *inſtrumento* cognoſcente, diſcernente, & inferente, immò regulatum cum regula, præterquam quod nec ex ratione exſtruitur Theologia, nec in eam reſoluitur. Siue etiam ratio ſumatur *materialiter* pro genere doctrinæ, ſiue *formaliter* pro modo eam tradendi, qui τρόπος παιδείας vulgo vocatur, neutro modo Theologiæ principium ſtatui poteſt. Immò ratio carnalis propriè ſumpta, hoc eſt, facultas (qualis in irregenito reperitur) ſive apprehendendi objecta, ſive ea dijudicandi, ad myſteria in Theologia propoſita & cœca eſt & rebellis. 2. *Pontificii*, qui deciſiones humanas ſiue *publicas* Conciliorum, ſiue *privatas* ſingulorum, vel Pontificum Romanorum, vel Patrum veterum, vel Doctorum quorumvis pro regula fidei Eccleſiæ obtrudunt, & argumenta cum fundamento fidei confundunt, ἀσύστατα cum ἀσυστάτοις. II. Quoad *modum loquendi* peccant, qui veritates Theologicas vel articulos fidei principium ſacræ Theologiæ conſtituunt, cum ſint principiata vel concluſiones ex principio erutæ, vel eductæ, & ad id exigendæ. Quamvis enim *fundamentaliter* & *materialiter* idem ſint cum Dei verbo, *formaliter* tamen ab eo diſtinguuntur, Eſa.8. verſu 21. Luc.16.29. 2.Timoth.3. 6 16.17. Epheſ.2.20. 1.Theſſ.5.20.

XVI. *Diviſio* Theologiæ varia tradi ſolet à variis. Dividi poteſt 1. In *theoreticam* & *practicam.* 2. In *Didacticam* & *Elencticam* vel *potemicam.* 3. In *poſitivam* & *Caſuiſticam.* 4. In *Catecheticam* vel initialem τῶν νηπίων, & provectam τῶν τελείων. 5. In *noëticam* & *dianoëticam.* 6. In *expreſſam* & *illatam.* 7. In doctrinam veri de Deo *ſenſus*, & in doctrinam *de* vero ejus *cultu*. Singulæ uſum ſuum habere poſſunt, commodè explicatæ & applicatæ, modò obſervetur Theologiam omnia illa membra ſimul complecti, adeoque mixti generis diſciplinam eſſe, non ſubſiſtentem in cognitione veri ſed ducentem hominem ad operationem boni, 1. Timoth. 1.5. Nec cenſeri debet eam exigere tantùm aſſertionem veri, exigit enim etiam detectionem & revictionem falſi, Tit. 1.9..

XVI Diſtinguenda verò etiam *Theologia Syſtematica* à *Scriptura Sacra* 1. Ex parte *cauſæ efficientis*, quia iſta Deum, illa hominem authores habet. 2. Ex parte *cauſæ materialis*, quia iſtius materia tota eſt divina, illius ex parte interdum humana, cum appendicibus ſæpe quibuſdam vel erroris vel infirmitatis humanæ. 3. Ex parte *cauſæ formalis*; quia in iſta non tantùm *res* traditæ divinæ ſunt, ſed & *forma*, modus ordo vel methodus *eas tradendi*, immò & *verba* ipſa res iſtas tradentia. 4. Ex parte *adjunctorum*, quia iſta αὐτόπιστος, illa ἀξιόπιστος eſt, iſta perfecta, illa non item: iſta à potentia & actu erroris libera, illa etſi ab iſto immunis quandoque ſit, ab illa tamen immunis eſſe nequit, iſta potentior longe illa ad hominum animos inſtituendos & flectendos, tum in vero de Deo ſenſu, tum in vero ejus cultu. 5. Ex parte *ordinis* & *relationis* inter ſe, quia iſta regula eſt, illa regulatum, iſta principium, illa principiatum, ad iſtud unum & exigendum & in id reſolvendum, Eſa. 8. v. 21.

XVII. Huc etiam referenda *quæſtio* πολυθρύλητος: *An ratio repugnet Theologiæ.* Quam decidendam cenſemus. 1. *Diſtinguendo* terminos quæſtionis. 2. *Diſtinctiones applicando* ad materiam ſubjectam. *Diſtinctiones* ſunt 1. Ex *parte ſubjecti*, rationem aliam eſſe concreatam homini, aliam corruptam ab homine, aliam ſanatam in homine per gratiam. 2. Ex *parte prædicati.* 1. *Repugnantiam* aliam eſſe *veram*, in qua ſervantur leges oppoſitionis: Aliam *vanam*, in qua non ſervantur. 2. Aliud eſſe, aliquid *contra*, aliud, aliquid *præter* & *ſupra* rationem eſſe, aliud, aliquid *à* natura *ignorari*: aliud ab ea *everti.*

XVIII. Diſtinctionum iſtarum *applicatio* eſt. 1. Rationem nec concreatam homini, nec ſanatam per gratiam repugnare Theologiæ veræ in *actu ſignato*, nec rectum ejus uſum in *actu exercito*. Nec enim lumen à Deo in ſphæra inferiore accenſum repugnat lumini accenſo in ſphæra ſuperiore. 2. Rationem corruptam, & corruptum ejus uſum repugnare Theologiæ, quando videlicet vel ex finitis infinita metitur, vel pro univerſalibus axiomatibus venditat, quæ talia non ſunt, v.g. dum creationi opponit κυρίαν δόξαν ſuam, ex nihilo nihil fieri, myſterio Trinitatis. Vnum non poſſe eſſe trinum, & alia id genus, nec enim iſta verè univerſalia ſunt, quum verificari nequeant in omnibus ſingularibus.

XIX *Methodum* tradendi Theologiam arbitrariam cenſemus, ... *Synthetica* adhibeatur, progreſſiva à principiis ad principata, à ſimplicibus ad compoſita: ſive *analytica*, progreſſiva à principiatis ad principia, à fine ad media: ſive *miſta*: Quarum *prima* ordinem rerum, *ſecunda* facilitatem cognitionis ſequitur, *tertia* utrumque, ſed κατ' ἄλλο, καὶ ἄλλο, & habita utriuſque ratione partim in *diſpoſitione*, partim in *reſolutione*.

DISPUTATIO THEOLOGICA, MISCELLA,

EXHIBENS COMPENDIUM THEOLOGICUM.

THESIS I.

DUplex datur Dei revelatio *Viatoribus*, una in ſphæra *naturæ*, altera in ſphæra *gratiæ*.

II. Revelatio in ſphæra naturæ eſt vel *Objectiva* in operibus creationis, vel *Subjectiva* in conſcientiis hominum.

III. Sola revelatio in ſphæra *naturæ* exhibita ſalutaris eſſe nequit, nec ullus mortalium per eam ſolam vel ad ſalutem perductus fuit, vel perduci potuit.

IV. Quibus itaque revelationis ſuperioris in ſphæra *gratiæ* poſt peccatum introductum in mundum gratia facta non eſt, illis ſalus nunquam à Deo deſtinata fuit: nec enim ſapiens finem illi vult, cui media neceſſaria haudquaquam largitur, ſine quibus fieri non poteſt, ut finem conſequatur, quando illa non niſi eo dante haberi poſſunt.

V. Et quum ſphæra *naturæ* τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ ſolum exhibeat, haudquaquam verò σοφίαν τὴν ἐν μυστηρίῳ, hoc eſt, Euangelium, & doctrinam de Chriſto Servatore ac fide in eum, qui ſine ejus notitia qui ſolus eſt *via* ad *vitam* perveniri poteſt?

VI. Sola itaque revelatio per Dei verbum peccatoribus in ſphæra *gratiæ* exhibita ſalutaris eſſe poteſt, quæ & *actualem* peccati expiationem, & modum ejus, & eum per quem id expiatum; & medium iſtam expiationem nobis applicandi retegit.

VII. Iſtud Dei verbum ἄγραφον primò fuit, poſt ἔγγραφον, *materialiter* utrobique idem, etſi non *formaliter*, *intenſivè*, etſi non *extenſivè*.

VIII. Id ſolum hodie regula eſt credendorum & faciendorum, adeoque adæquata ſuo regulato.

IX. *Auctoritatem* ſuam ut *ex ſe* comparatè habet, ſic & eam *in ſe* habet, & quamvis per alia media *ſuaderi* nobis poſſit, *perſuaderi* tamen non poteſt,

niſi per illam ipſam lucem quam in ſe habet, prout & Sol nonniſi ſua luce videri poteſt.

X. Eccleſiæ, quæcunque illa ſit, authoritas ὑπουργικὴ hic eſſe poteſt & λειτουργικὴ, αὐθεντικὴ vel αὐτοκρατορικὴ eſſe non poteſt, quamvis enim Spiritus Sanctus & *intrinſeca* Scripturæ luce, & *extrinſeco* Eccleſiæ lumine utatur, in fide nobis de Scriptura imprimenda, illa tamen *primarium* medium & *motivum* eſt, iſtud *ſecundarium* tantùm.

XI. *Traditionibus* non ſcriptis ſive *publicis* Conciliorum ſive *privatis* Patrum uti Eccleſia poteſt, niti non debet. Et diſtinguendæ ſemper traditiones *ſubalternatæ* Scripturæ ab iis quæ ei *oppoſitæ*; Illæ admittendæ, iſtæ rejiciendæ.

XII. Eccleſiæ Romanæ traditiones *dogmaticæ* omnes extra verbum Dei confictæ Dei verbo oppoſitæ ſunt, *rituales* maxima ſui parte.

XIII. Nec *conſtitutio* Canonis nec conſtituti canonis *interpretatio* Eccleſiæ authoritate ultimatè nititur.

XIV. *Judex controverſiarum* αὐτοκρατορικὸς eſt unus Dei Spiritus, κανονικὸς Scriptura ſacra ὀργανικὸς vel λειτουργικὸς Eccleſia, ſed quæ vera eſt, non quæ ſe veram duntaxat profitetur.

XV. Eſt verò Scriptura Judex *realis*, non *perſonalis*, unde inanes ſunt argutationes quæ contra judicem *realem*, à Characteribus judicis *perſonalis* ducuntur.

XVI. Nec Veteris Teſtamenti *doctrina* hodie abrogata eſt, nec *uſus*, quamvis obſervatio multorum in Veteri Teſtamento abrogata ſit, quæ nimirum merè *poſitiva* fuere, juris *privati*, deſtinati & lati Judæis, quà Judæis, & bona tantùm quà imperata, & quandiu imperata.

XVII. *Senſus* adæquatus Sacræ Scripturæ unus tantùm eſt, *inadæquati* quandoque plures dari poſſunt, ſed *ſubalterni*, non *oppoſiti*.

XVIII. *Finis* Scripturæ S. non eſt *commonitorius* tantùm, ſed *inſtructivus* & *regulativus*.

XIX. Scripturæ lectionem prohibere, impium eſt, per diſpenſationem peculiarem concedere, joculare, nec enim ſervorum diſpenſatione opus habet qui Domini mandatum habet.

XX. Scripturam & *obſcuritatis*, & *ambiguitatis* & *imperfectionis* & aliorum id genus defectuum arguere, eſt fateri, religionem ſuam in ea non niſi *obſcurè* & *imperfectè* tradi, nec vel ex ea integram hauriri, vel in eam integram reſolvi poſſe. Nec ſi illa faveret dogmatibus vel omnibus vel pleriſque ſaltem Eccleſiæ Romanæ, illa in accuſationem Scripturæ verteretur, & ea illi impingeret, quæ ſcriptum aliquod humanum vel proſcribere poſſunt, vel proſtituere ſaltem.

XXI. Docet verò Scriptura iſta, & Deum eſſentia unum eſſe & perſonis trinum, iſtaſque ὁμοουσίους eſſe non ὁμοιουσίους tantùm.

XXII. Unius iſtius Dei perfectionem nobis deſcribit per *attributa* tum *negativa*, tum *affirmativa*, per modum τοῦ καταβάσεως quæ tamen ἐννοιώδη ſunt, non ὑπαρκτῶς *realiter* & *fundamentaliter* unum & idem ὄντως quamvis

vis plura ἔξω partim *effectivè*, partim *objectivè*.

XXIII. Deum fingere vel ſine *providentia*, vel cum *generali* tantùm, non *ſpeciali*, immò & *ſingulari* circa *entia* quævis, & quoſvis entium *actus*, impium eſt, & Deum de throno ſuo deturbat.

XXIV. Eſt verò providentia iſta vel *effectiva* boni omnis, vel *permiſſiva* & *directiva* mali, nec *otioſa* circa malum ſed *efficax*, quamvis non *efficiens*.

XXV. Unde qui Eccleſias orthodoxas efficientiam mali *reduplicativè*: quà talis Deo adſcribere ſatagunt, ex mera vel ignorantia, vel ærugine faciunt, quod faciunt, quippe quæ conſtanter docent, Deum mali *ethici* quà talis nec cauſam *Phyſicam* poſſe eſſe, nec *Ethicam*.

XXVI. Deum etiam ſine *prædeſtinatione* fingere, eſt & æternam omnium directionem Deo detractum ire, & incertum creationis hominum finem ſtatuere, & ex cauſis ſecundis primas facere, & hominum ſuæ ſalutis fabrum & architectum conſtituere.

XXVII. Nec tamen orthodoxa de prædeſtinatione Eccleſiarum Reformatarum doctrina vel culpam lapſus ab homine amovet, vel Deo impingit, vel neceſſitatem lapſus ſtatuit incompoſſibilem cum libertate labentis vel lapſi. Nec qui neceſſitatem omnimodam opponunt libertati, vel neceſſitatis vel libertatis naturam bene perſpectam habent.

XXVIII. Lapſus iſte ut hominem cauſam habet, ſic homini & omni quidem imputatur, quia non *proprius* fuit vel *perſonalis*, ſed *communis* velut & *naturalis*, ab eo admiſſus, qui erat *principium* & *ſeminale* & *repræſentativum* totius generis humani.

XXIX. Hinc & reum in eo fuit totum genus humanum, & ob reatum iſtum pœnæ obnoxium, quæ *mortis*, & *externa*, & *interna*, & *æterna* latitudine definiri poteſt.

XXX. *Liberatio* ab iſto *reatu*, ejuſque *exercitio* nec unquam omnibus, & ſingulis mortalium promiſſa fuit, nec *oblata*, nec *collata*, & in ipſo paradiſo diſtinctum ſtatim fuit ſemen mulieris & ſerpentis, partim in promiſſione prima, partim in ejus manifeſtatione in domo Adami, in qua Deus diſtinctionem omnibus ſeculis obſervatam inchoauit.

XXXI. *Liberator*, & partim reatus *adhærentis*, partim corruptionis *inhærentis* depulſor unus Chriſtus Dei Filius eſt, ab æterno electis omnibus & ſolis *deſtinatus*, à lapſu *promiſſus*, poſt *typis* partim *perſonalibus*, partim *realibus præfiguratus*, tandem *exhibitus*, & iiſdem partim *applicatus*, partim *applicandus*.

XXXII. Iſtius perſona una, natura duplex, divina & humana *aliud* habens & *aliud*, quamvis ipſe *alius* non ſit, nec *alius*.

XXXIII. *Officium* ejus *triplex* merito concipitur, *Propheticum*, *Sacerdotale* & *Regium*, quum & *annuntianda* fuerit ſalus peccatori, & *promerenda*, & *applicanda*.

XXXIV. *Prænuntiationis* quidem *inſtrumentum* fuit verbum Legis, *annuntiationis* tamen ſolum verbum Euangelii.

XXXV. *Meriti* ratio quærenda in tota Chriſti obedientia exhibente plenam ſatisfactionem & in ordine ad *mandatum* legis, & in ordine ad *ſanctionem* pœnalem ei adjectam.

XXXVI. *Applicationis inſtrumentum* eſt fides non *theoretica*, ſed *practica*, nec mentis ſolum actus, ſed cordis etiam, iſque non ſuperficialis, ſed radicalis.

XXXVII. Spectatur verò fides iſta in applicatione nec *habitualiter*, vel *qualitativè*, ſed *relativè* duntaxat & *organicè*, unde beneficium juſtificationis promiſcue adſcribitur, modò inſtrumento, modò objecto per inſtrumentum apprehenſo, ſenſu identico.

XXXVIII. Fidei iſtius producendæ inſtrumenta ſunt verbum & Sacramenta, non ratione virtutis *inhærentis*, ſed ratione benedictionis *adhærentis*, idque ex ordinatione Dei. Vnde & verbi & Sacramentorum uſus adhibendus, circumſcribendus tamen, nec vel inſtrumentis tribuendum quod illius eſt, qui per inſtrumenta agit, vel Deus ad illa adſtringendus, ſed homo tantùm, nec eadem officii noſtri & gratiæ cenſenda latitudo.

XXXIX. *Cauſa efficiens* fidei iſtius eſt Dei Spiritus, qui per vocationem internam ejus *actum*, per ſanctificationem ejus *habitum* producit, & per hanc ſanctitatem omnimoda, ſecundum *partes*, quamvis non ſecundum *gradus*, tum quoad *repurgationem* facultatum per peccatum corruptarum, tum quoad convenientem earum *ſubordinationem* inverſam per peccatum.

XL. Sanctificationis iſtius finis, juſtificationis verò effectus eſt, *glorificatio*, conſiſtens & in viſione perfecta Dei, & in fruitione perfecta Dei viſi, quæ ſperum noſtrarum ſumma, votorum compendium, & gloriæ meta eſt ac complementum.

DIS-

DISPVTATIO THEOLOGICA,

MISCELLA.

THESIS I.

Revelatio Dei in ſtatu deſtituto alia *ſubjectiva* dici poteſt impreſſa conſcientiæ, *objectiva* alia, eaque vel *Naturæ* inſculpta, vel inſerta *Scripturæ*.

II. Revelatio *ſubjectiva* conſcientiæ impreſſa *convictiva* eſt, *converſiva* non item.

III. Revelatio *objectiva*, inſculpta naturæ proponit Deum *creatorem*, haudquaquam verò Deum *redemptorem*.

IV. Revelationis iſtius nec alia efficacia, nec eventus alius, præterquam ἀναπολογησία.

V. Revelatio inſerta Scripturæ & ſola *adæquata* eſt, & ſola ſalutaris eſſe poteſt.

VI. Script. S. & unum & ſufficiens quidem principium eſt tum credendorum, tum faciendorum, omittendorumque in negotio ſalutis.

VII. Scriptura quoad *originem* ſui θεόπνευστος eſt, quoad *dignitatem* αὐτόπιστος.

VIII. Nec ſcripta vel ὑποβολιμαῖα vel apôcrypha ad ejus materiam pertinent.

IX. Nec traditiones *dogmaticæ* fingendæ extra Scripturam, vel enim illæ Scripturæ ſunt *ſubordinatæ*, & ſic *virtualiter*, vel *eminenter* in ea ſunt contentæ, vel non, & ſic divinæ eſſe non poſſunt.

X. Vltimum controverſiarum judicium nec Pontifici Romano, nec Conciliis tribui debet.

XI. Scripturæ & verſio in quaſvis linguas vernaculas utilis eſt, & lectio ejuſdem à quibuſvis, nec vel obſcuritas ejus obſtat, vel quæ ei tribuitur ambiguitas, quominus & legi cum fructu poſſit, & intelligi in neceſſariis.

XII. Docet verò Scriptura & *opera naturæ* à Deo profecta eſſe, & *opera gratiæ*.

XIII. Opera *naturæ* ſunt vel *productivum* naturæ, vel naturæ productæ *conſervativum*. Illud creatio eſt, iſtud, Providentia.

XIV. Creatio omni creaturæ impoſſibilis eſt, & entis infiniti duntaxat actus.

XV. Nec inſtrumenti capax eſt creatio, nec Chriſtus ejus inſtrumentum dici debet.

XVI. Providentia Dei *extenſivè* occupatur circa omnia & entia, &

actus entium, & *intenſivè* partim *effectiva* eſt, partim *permiſſiva*, partim *directiva*.

XVII. Opera *gratiæ* ſunt vel *pararia* ejus, vel *applicatoria*.

XVIII. *Pararia* gratiæ ſecundæ dari poſſunt, primæ dari nō poſſunt.

XIX. *Pararia* gratiæ ſecundæ ſunt deſtinatio æterna Mediatoris, & miſſio ejus temporaria, & miſſi obedientia, conſiſtens tum in comparatione ejus, tum in executione triplicis officii ab eo ſuſcepti.

XX. Comparitio Mediatoris in terris facta fuit per incarnationem Chriſti, ejuſque φανέρωσιν in carne.

XXI. Executio officii Chriſti adæquata adfert remedium defectibus per peccatum introductis, & tum gratiam homini conciliat, tum gloriam.

XXII. Propheticum Chriſti officium medetur defectui *ignorantiæ*, ſacerdotale defectui *juſtitiæ*, regium defectui *potentiæ*.

XXIII. Deſtinatum verò eſt officium iſtud æquè ac perſona id exercens, ſolis electis Dei filiis quorum ſolorum bono & loco & actum ἱλαςμοῦ edidit in terris, & actum ἐμφανισμοῦ edit in cœlis.

XXIV. *Applicatoria* gratiæ opera ſunt vel *externa* vel *interna*.

XXV. *Externa* ſunt, tum vocatio per verbum partim legis, partim Euangelii, tum vocatorum obſignatio per Sacramenta.

XXVI. Vocatio *per legem* prior eſt, eaque partim *imperativa* obſequii, partim *declarativa* ſanctionis & promiſſoriæ & comminatoriæ.

XXVII. Vocatio *per Euangelium* poſterior eſt, & imperativa eſt primò pœnitentiæ, poſt fidei.

XXVIII. Actus fidei alii ſunt velut *generici*, alius velut *ſpecificus*, quorum iſte non exigitur niſi poſitis illis.

XXIX. Vocatio per *naturam* ad Deum creatorem latior eſt, vocatio per *verbum* ad Deum redemptorem ſtrictior.

XXX. Univerſalis ad ſalutem nec fuit, nec eſt, nec erit.

XXXI. Spem miſericordiæ ſpecialis in natura oſtendi, vel iſtam vocationis Euangelicæ inſtrumentum eſſe, falſum eſt, nec dici poteſt, quin natura ſtatuatur præco gratiæ.

XXXII. *Applicatoria* opera gratiæ *interna* ſunt partim *efficax* hominis *vocatio*, partim vocati *juſtificatio*, partim juſtificati *ſanctificatio*, partim ſanctificati *glorificatio*.

XXXIII. *Vocatio efficax* conſiſtit in productione fidei, nec tantum fit per illuminationem intellectus, ſed & per motionem efficacem cordis.

XXXIV. *Objectum* ejus ſunt ſoli electi, quamvis non omnes, quales ſunt qui ante omnem rationis uſum præcipiti morte intercipiuntur. *Inſtrumentum* ejus eſt nec vox naturæ, nec verbum legis ſed Euangelii.

XXXV. *Iuſtificatio* vocationem efficacem & præſupponit & comitatur nexu individuo.

XXXVI. Eſt verò non actio *phyſica*, ſed *moralis*, vel *forenſis* potius nec

nec *tranſmutativa* ſubjecti, nec *inhæſiva* ſubjecto, ſed *terminativa* potius ad ſubjectum.

XXXVII. Tribuenda illa Deo *efficienter*, Chriſto *meritoriè*, fidei *inſtrumentaliter*.

XXXVIII. Actus fidei alius *directus* eſt in objectum ſuum, alius *reflexus* in ſeipſum. Fidei etiam actus primus eſt, credere, ſecundus operari, charitatem, & per eam.

XXXIX. Poſterior iſte actus inſtrumentum eſt *ſanctificationis* noſtræ, quæ eſt veteris hominis ſecundùm omnes, quæ in nobis, & partes & facultates, mortificatio & vivificatio novi ſecundùm eaſdem. Illa verò non perfecta eſt in *via*, ſed talis erit in *meta*, nec hìc *conſummata* datur, ſed *inchoata* duntaxat.

XL. Sanctificationem excipit *glorificatio*, quæ conſiſtit tum in ſanctitatis perfectione, tum in felicitatis collatione, quæ ſpectari poteſt, partim in viſione Dei, partim in Dei viſi amore, & fruitione.

DISPVTATIO
DE
SCRIPTVRA SACRA.

THESIS I.

VT Sol in ſphæra ſua videri nequit,non ſuo vitio,ſed noſtro, verum in iis ſaltem radiis, quibus & medium & ſenſoria noſtra colluſtrat: ſic nec Deus in luce ſua inacceſſa,1.Tim.6, v.16.ſed in illo ſaltem lumine,quod à ſe diffundit.

II. Ut verò communicatio hujus luminis prorſus arbitraria eſt & gratuita,ſic & modus communicationis,ſimul ac gradus.Nec mirum hic πολυτρόπως æque ac πολυμερῶς à Deo actum,& aliam hujus luminis diſpenſationem animadverti in homine integro, aliam in corrupto, aliam in inſtaurato.

III. Lumen quidem duplex *communiter* omnibus etiam poſt lapſum Deus affulgere voluit: internum unum, quod in mente hominis Deus accendit: externum alterum, quod extra hominem homini in univerſi hujus contemplatione objecit: Rom.1.v.19.20.&2.15. *ſpecialiter* verò in Eccleſia ſua candelabrum Verbi ſui ſuſpendit, per Scripturam ſacram, tum naturam ſuam, tum voluntatem revelando, & ad hominis corrupti inſtaurationem, & ad inſtaurati confirmationem, æquè ac directionem Pſal.147.20.

IV. De hoc divinæ communicationis modo in præſens acturi, totam de Sacra Scriptura Theoriam ad duo capita revocamus. 1. *Ad notationem nominis.* 2. *Ad notationem rei.* priorem declarat λόγος ὀνοματώδης, poſteriorem ὑλώδης vel πραγματώδης, quorum illo etymon & excutitur,& diſtinguitur,iſto res etymo deſignata.

V. *Notationem* nominis quòd attinet, notandum Sacram Scripturam à ſacris Scriptoribus deſignari interdum *abſolute* & *indefinitè*, interdum *limitatè* adjectis epithetis quibuſdam διοριστικοῖς: abſolutè vocatur. I. ἡ γραφή, Iohan.2.22. II. αἱ γραφαὶ, Matth.21.v.42. III. γράμματα, Joh.5. v.47. idque κατ' ἐξοχὴν & antonomaſticè, ratione & *Authoris*, & *materiæ*,& *finis*. Quandoque verò nomina hæc collectivè totum Sacræ Scripturæ corpus deſignant, quandoque diſtributivè & δεικτικῶς quaſdam ſaltem ejus partes.

VI. Eadem de cauſa hęc Scrip.nomen *Bibliorum* ob ὑπεροχὴν ſuam obtinet,quod nomen tamen de toto librorum ſacrorum ſyſtemate ex uſu ſaltem communi dicitur,ex uſu verò ſacrorum Scriptorum βίβλος & βιβλίον de par-

de partibus tantummodo dicta reperiuntur, Luc.4.17. Johann.20.30.

VII. Interdum verò libri hi ſacri inſigniuntur epithetis quibuſdam diſtinctivis, & vocantur *limitatè*. I. αἱ γραφαὶ τῶν προφητῶν, Matth.26.26. αἱ γραφαὶ προφητικαὶ, Rom.16.26. & inverſo ordine προφητεία γραφῆς, 2.Pet. 20. II. αἱ γραφαὶ ἅγιαι, Rom.1.2. III. γραφὴ θεόπνευστος, 2.Timoth.3.16. IV. τὰ ἱερὰ γράμματα, 2.Timoth.3.15. Huc referri etiam poſſunt nomina παλαιᾶς & καινῆς διαθήκης, quorum prius quidem de codice Veteris Teſtamenti extat, 2.Cor.3. v.14. Etſi poſterius quod v.6. & alibi paſſim occurrit, aliò referri poſſit. In textu Hebræo Veteris Teſtamenti occurrunt voces frequentes quæ reſpondent Græcis כתב ספר & : מכת ſed non hoc ſignificatu niſi de partibus quibuſdam. Probabiliter tamen Neh.8.8. per מקרא quaſi *lecturam* volumina Sacra tunc temporis exſtantia intelligi poſſunt, quod nomen & à Judæis ſacro Codici κατ' ἐξοχὴν ſępe tribuitur.

VIII. Latitudinem vocis Scripturæ quod attinet, notum, eam complexam eſſe & duo conjunctim deſignare, *materiale*, & *formale*, *doctrinam communicatam*, & *modum communicationis* per ſcriptionem, per quam revelationes cœleſtes in certa volumina Veteris & Novi Teſtamenti redactæ legentium oculis objiciuntur.

IX. Unde patet ſecundùm ſe verbum Dei & ſacram Scripturam non eſſe ἰσοδύναμα prius enim latius eſt, poſterius ſtrictius, quippe quod prius ad certum communicationis modum reſtringit. Et ſanè ab Adamo ad Moſen uſque Verbum Dei ἄγραφον fuit, quod Deus per varia media ἐπιφανείας, ὁράματα, ſermonem vel προφορικὸν vel ἐνδιάθετον, & alias ejuſmodi [illegible] pro arbitrio Patribus priſcis communicavit. Nec tamen diſtinctio Verbi Dei in ἄγραφον & ἔγγραφον cauſæ Pontificiæ ulla ratione patrocinatur, tum quia utrumque ejus membrum unam eandemque doctrinam quoad ſubſtantiam, & diverſum ſaltem diſpenſationis primitùs inſtitutæ modum deſignat, tum quia quod olim ἄγραφον fuit, jam ἔγγραφον eſt, nec aliud hodie verbum Dei datur præter ἔγγραφον.

X. *Notatione nominis* præmiſſa & ambiguitate ejus excuſſa ſequitur *Notatio rei*, quæ *definitione eſſentiali* & *cauſali* comprehendi poteſt. Definimus verò Sacram Scripturam Verbum Dei à Spiritu Sancto inſpiratum, & à Prophetis, Euangeliſtis, & Apoſtolis exceptum literiſque conſignatum, exhibens Eccleſiæ Dei fundamentum perfectum fidei & vitæ, & normam integram tum credendorum tum faciendorum, Johan.5, v.39, & 20. 31. Eph.2.20. 2.Tim.3. v.14.15.16.

XI. Cauſa ergo efficiens Sacræ Scripturæ Veteris æquè ac Novi Teſtamenti Deus eſt, à quo ſolo hoc donum perfectum & emanavit, & emanare potuit. Quod opponendum 1. Prophanis *Porphyrii*, *Celſi*, *Iuliani*, & aliorum id genus impiorum canum latratibus, quibus Sacram Scripturam ſunt inſectati, quaſi nec divinam, nec à Deo profectam. 2. Impio *Manichæorum* delirio Vetus Teſtamentum malo quidam principio adſcribentium.

XII. Eſt verò Deus cauſa efficiens & author Scripturæ duplici potiſſimum modo: 1. *mandato antecedente.* 2. *inſpirante ſubſequente*: *Priori* ſacris Scriptoribus injunctum ut ſcriberent: *poſteriori* quid ſcriberent & quoad res, & quoad verba, & quoad ordinem, ſive rerum, ſive verborum, quod illis planè peculiare eſt. Nec ob id illi παθητικῶς ſaltem, ſed & ἐνεργητικῶς ſe habuerunt, ita tamen ut à ſpeciali Dei tum directione, tum influxu prorſus penderent, adeoque in ſcribendo extra omnem erroris aleam conſtituerentur.

XIII. Inſpiratione & impulſu Dei ſacros Scriptores ſcripſiſſe fatentur Pontificii, mandato non item, cum tamen præter rationes alias dentur exempla ſpecialia Moſis, Eſaiæ, Jeremiæ, Habacuci, Johannis & aliorum quibus imperata ſcriptio, imò Johanni pluſquam decies idem mandatum repetitum, quibus accedit, etiam ἀνάγκη illa de qua Judas verſ.2.

XIV. Ridiculus verò eſt Bellarminus quod *lib.4 cap.3. de Verbo Dei* mandatum ſignificatum Johanni ad certas quaſdam viſiones ſaltem reſtringendum arbitratur, non verò extendendum ad doctrinam Euangelii, & præcepta morum: præterquam enim quod multa talia in viſionibus illis continentur, ſi Prophetarum ſcriptio imperata & illarum Eccleſia indigna, multò magis doctrinæ Euangelii, & dogmatum moralium, quorum major longe utilitas & neceſſitas. Adde quod Pontificii ſatis revincantur ipſo facto ſacrorum Scriptorum, qui vel temeritatis vel infidelitatis rei ſunt peragendi, vel ſtatuendum eos nil præter officium ſibi demandatum ſcribendo præſtitiſſe.

XV. Nec datur medium illud quod *Bellarminus* ſibi fingit *lib.4. cap.3. Nec Deum mandaſſe expreſſe ut ſcriberent, nec ut non ſcriberent.* Contrarium enim ſupra oſtenſum, & in re tanti momenti opus erat vel mandato præcipiente, vel interdicto prohibente, & ipſe *Bellarminus* ſecum confligit, dum addit immediatè poſt, *ſe non negare Deo volente & inſpirante ſcripſiſſe Apoſtolos quæ ſcripſerunt.* At quid opus mandato externo, ubi ſuggeſtio & inſpiratio interna? quæ potior mandato, cum per mandatum Deus hominibus ſaltem, inſpiratione verò etiam per homines loquatur, quod & *Auguſtinus* expreſsè docet *lib.1. de Conc. Euangel.* cujus mentem manifeſtè detorquet ibidem Sophiſta.

XVI. Inde etiam patet alia ratione totum Sacræ Scripturæ ſyſtema à Deo eſſe, alia duas tabulas Legis, Exod.32. verſ.16. quæ tales, non per inſpirationem ſaltem, ſed & per immediatam ſcriptionem, unde non ſine cauſa vocantur מכתב אלהים *Scriptura Dei* quamvis & hæc appellatio optimè alio reſpectu ad totum Codicem Veteris & Novi Teſtamenti extendi poſſit.

XVII. Cauſa προηγουμένην Deum ad Sacram Scripturam communicandam impellens alia dari nequit, præter immenſam Dej φιλανθρωπίαν, qua noluit ſe eſſe ἀμάρτυρον, non ſolum revelatione communi, ſive ea, quæ *ſubjectivè* in homine, ſive ea quæ *objectivè* circa hominem, ſed & ex-

preſ-

preſſiori & ultiori naturæ ſuæ ſimul ac voluntatis manifeſtatione.

XVIII. Cauſa προκαταρκτικὴ triplex potiſſimum dari poteſt. 1. *Infirmitas humana*, quæ poſt peccatum nec veritatis vel appetens eſt vel tenax, proclivis ad ἐθελοθρησκείας, imò actu in eas ſæpè prolapſa, & ante cataclyſmum & poſt, adeoq; verbis ſcripti indigna. 2. *Dilatatio Eccleſiæ* quæ primò inter paucas familias concluſa, in ingentem poſtmodum populum excrevit ſub Veteri, in plures ſub Novo Teſtamento, unde quæ Veritas inter paucos per traditionem ἀγράφως conſervari potuit, ea in tanta multitudine eadem ratione conſervari non potuit ſine miſtura erroris. 3. *Satanæ fraus*, per μαντεῖα ſua φανερώσεις divinas mentiendis, & hominum animas variis ſuperſtitionibus dementantis.

XIX. Neceſſarium ergò Sacræ Scripturæ ſubſidium adjectum, ceſſante præſertim illa familiari Dei per apparitiones immediatas communicatione, quæ inſerviret veritati tum conſervandæ, tum confirmandæ, tum propagandæ, tum vindicandæ, vel inſtaurandæ. Quod verò de *neceſſitate conditionata* ex hypotheſi voluntatis divinæ aſſerimus, perperam *Bellarminus lib.* 4. *cap.* 4. trahit ad *neceſſitatem abſolutam*, ubi & mentem noſtram pervertit, & ſtatum quæſtionis involvit & tempora confundit, & diverſas neceſſitatis ſpecies. Et tamen paulò poſt ſui immemor ſcribit, *Apoſtolos non niſi neceſſitate quadam coactos ad ſcribendum animum appliciuſſe*, quod quomodo cum fortuitis occaſionibus, quibus alibi inductos ſacros Scriptores ſcripſiſſe arbitratur, conſiſtat, gregales *Bellarmini* viderint.

XX. Tametſi verò Sophiſtæ eandem neceſſitatis ſpeciem, hypotheticam videlicet & ſecundùm quid, ſtatuere videantur, dum docent Scripturas neceſſarias eſſe, non quidem ad *eſſe* Eccleſiæ, ſed tamen ad *bene eſſe* ejus, tamen revera in ἐνεργείᾳ pro neceſſitate utilitatem ſubſtituunt, & talem, quà æquè facilè carere poſſit Eccleſia ac viatores quadrigis ad iter aliquod conficiendum.

XXI. Vt verò Pontificiorum impietas hac in parte proſcribenda, ſic & *Anabaptiſtarum* & *Libertinorum* furor, qui vel Vetus Teſtamentum in Novo abrogatum, & Chriſtianis prorſus inutile contendunt, vel uſum Sacræ Scripturæ ad νηπίους ſaltem & imi ſubſellii Chriſtianos reſtringunt, eique præferunt raptus & enthuſiaſmos ſuos, adeoque fullonum & cerdonum febriculoſa ſomnia verbo Dei.

XXII. *Cauſam materialem* quod attinet, materia Sacræ Scripturæ, qua pro toto ſyſtemate ſumitur, conſiderari poteſt vel *ex qua*, vel circa *quam*. Illa ſunt libri Canonici, tum Veteris tum Noui Teſtamenti, quorum catalogum & Hieronymus texit in *Prol. galeato*, & *Confeſſ. Gall. Eccl. art.* 3. Iſta doctrina fidei & obedientiæ Lex & Euangelium, credenda & facienda.

XXIII. E cenſu vero librorum Canonicorum exauthoramus. 1. *Libros planè fabuloſos*, quales ſunt *Euangelium Barthol. Barnabæ, Liturgia Matthæi, Marci, Petri, Iacobi, Actus Andreæ, Philippi* & *Pauli*. & alia id genus ſcripta notha & ὑποβολιμαῖα, qualia ſunt *Decretales* Pontificum *Epiſtolæ*, quas Canonicis

Scripturis impiè annumerat *Gratianus diſt.*19. quem fruſtra *Bellarminus* excuſat *lib.*1.*de Conc.cap.*12. II. Et integros *libros* & appendices librorum, qui *Apocryphi* vulgò vel *Eccleſiaſtici dicuntur*, qui adhiberi poſſunt ad confirmationem fidelium, non fidei, quales ſunt *libri Tobiæ, Iudith, Macchabæorum* & alii id genus, qui à noſtris à Canonicis diſtinguuntur. III. Libros quos intercidiſſe contendunt Pontificii ex locis Num:21.14. Johan.10.v.13. 2.Chron.33.19. 1.Corint.cap.5.9. quos vel diverſos ab iis quos in Canone habemus, vel ſi diverſi in eum aliquando relatos fuiſſe ſupponunt Pontificii, non probant.

XXIV. Quoad Canonem Novi Teſtamenti, conſenſus nobis cum plerisque Pontificiis, tametſi aliquando fuerit inquiſitum & diſceptatum *de Epiſt ad Hebr. Iacob. Poſterioribus Iohannis, Iudæ*, ut & de *Apocal.* id tamen nec ab omnibus, ſed à paucis, non ſemper, ſed ad tempus factum, nec tam de authoritate, quam de authoribus dubitatum, privatorum verò diſceptationes non obſtant, quo minus & illis ſua conſtet authoritas in ſacro Canone. Conſenſus etiam nobis cum Pontificiis quoad aliquot Veteris Teſtamenti ſcripta, quæ ipſi ex Canone expungunt, v.gr. *Appendicem Iobi, Pſal.*CL. *Præfat. in Ieremiam.*3. & 4. *Eſdræ duos poſteriores Maccabæorum, Orationem Manaſſis.* Diſſenſus quoad reliqua, quæ & Canonica nunquam fuiſſe, nec pro talibus in Eccleſia primitiva habita, nec habenda ob evidentes qui in illis notari poſſunt imbecillitatis humanæ characteres, cenſemus.

XXV. *Cauſam formalem* quod attinet, duplex conſiderari poteſt Scripturæ *forma, interna* una, *externa* altera: *illa* conſiſtit ſive in harmonia veritatis revelatæ cum ſuo prototypo, cujus ectypus eſt, ſive in partium omnium verò tum ſenſu, tum conſenſu: *Iſta* in Charactere, phraſi & expreſſione rerum divinarum accommodata ad captum humanum.

XXVI. Unde quia S. Scriptura à prima veritate expreſſa eſt, quicquid in ea, verum, & quia expreſſum, & eo ſenſu, quo expreſſum; quicquid ei contrarium, falſum, eo ipſo, quia tale. Sic talis in ea partium ſingularium harmonia, quę omnem ἀντίφασιν & ἀσυστασίαν excludit, tametſi non ſit expers ἐναντιοφανῶν, quæ crucem figere voluit Deus homini & probando & exercendo, & ſubigendo, & quorum multa non à *viatoribus* in *lumine gratiæ*, ſed à *comprehenſoribus* ſaltem in *lumine gloriæ* perfectè vel intelligi, vel conciliari poterunt: nec ob id, vel Sacra Scriptura cavillis inceſſenda, vel erroris arguenda, ſed imbecillitas noſtra, quæ non eſt menſura veritatis, ſed ſuæ ſaltem cognitionis.

XXVII. Senſum verò Sacræ Scripturæ quod attinet, explodendum Scholaſticorum commentum, unicuique loco quadruplicem ſenſum affingentium, *literalem, allegoricum, tropologicum, & anagogicum*: præterquam enim quod Spiritum Sanctum λοξίαν conſtituunt, ineptè applicationes ſenſus cum ipſo ſenſu Scripturæ confundunt, cujuſmodi varias dari poſſe docet Apoſtolus 2.Timoth.3.ver.16. ad διδασκαλίαν, παιδείαν, &c. ubi uſuum ejus enuntiationem inſtituit.

XXVIII.

XXVIII. Nec tamen illorum ſententia planè probanda, qui unum quid ſolummodo ſingulis locis à Spiritu Sanct. ſpectatum & deſignatum contendunt; contrarium enim oſtendunt varij loci paralleli Veteris & Novi Teſtamenti in Oraculis typicis præſertim, quæ & in typo ſuam veritatem, & ſuum in antitypo complementum habuerunt, & quorum utrumque Spiritus S. reſpexit. Quamvis extra typos fatendum unum propriè eſſe ſenſum literalem cuiuſque loci à Spiritu S. directè intenſum, & verbis ſive propriis ſiue metaphoricis expreſſum.

XXIX. *Cauſam finalem* Sacræ Scripturæ quod attinet, duplicem eius finem conſtituere poſſumus: *primarium* gloriam Dei reuelantis, *ſubalternum* ſalutem hominis & manuductionem perfectam ad eam, Joh. 5. 39. & 20. 31. 2. Tim. 3. ℣. 16. 17.

XXX. Unde ſequitur Sacram Scripturam eſſe normam veri & falſi, boni & mali, quippe quæ & nomen obtinet, Galat. 2. verſ. 16. & rem nomine deſignatam; perfectè enim exſequitur partem tum δογματικὴν tum πρακτικὴν Chriſtiano neceſſariam, & ſufficit dirigendæ tum fidei tum vitæ noſtræ, & credenda & facienda ſatis ſuperque præſcribit. Falſum ergo quod *Bellarminus* contendit *lib. 4. de Verbo Dei cap. 12.* ejus finem proprium non eſſe, ut eſſet regula fidei, ſed ſaltem *commonitorium* quoddam utile.

XXXI. Ut verò omnibus norma eſſe debet credendorum & faciendorum, ſic & ab omnibus cognoſci. Nec utilis ſaltem, ſed & neceſſaria ejus in linguas vernaculas translatio, quæ nonniſi illis ingrata, qui vel veritatis cognitionem aſpernantur, vel errorum ſuorum correctionem reformidant.

XXXII. Quæcunque verò verſiones & translationes contexantur, inferiores illæ ſunt infinitis modis majeſtate & authoritate textus authentici, Hebræi in Veteri, exceptis paucis Chaldaicis, & Græci in Novo Teſtamento, ad quos & illæ examinandæ, & in dubiis provocandum. Corruptionem verò Hebræorum & Græcorum Codicum, nec probare poſſunt Pontificij, nec ſolent, niſi per λεπτολογήματα & vel nominum vel numerorum vel menſurarum diſcrepantiam quæ nec fundamentum fidei concernunt, & futilitatem adverſariorum proſcribunt.

XXXIII. Defectus verò fundamentales varii in verſione vulgata obſervari poſſunt, quam Conciliabulum Tridentinum pro authentica obtrudit, cum tamen ſæpe ſit & barbara in verbis, & impia in ſenſu, & ridicula in æquivocis, & falſa in exprimenda mente Spiritus S. quod à noſtris ſatis ſuperque demonſtratum. Unde explodimus & brutum Patrum Tridentinorum fulmen, & impiam Fr. Ximenii Cardinalis Toletani ſubtilitatem, qua in præfatione Bibliorum Complut. hanc verſionem cum Chriſto, Hebræum verò & Græcum contextum confert cum duobus latronibus à Chriſti latere ſuſpenſis, & inquit ſe contextum latinum medium poſuiſſe inter Hebræum & Græcum, ut inter duos hinc inde latrones medium Jeſum.

XXXIV. Ex ſingulis verò cauſarum generibus πορίσματα certa *dida-*

ctica, & *elenctica* ad κατασκευὴν, & ἀνασκευὴν deduci poſſunt: Ex *cauſa efficiente* Scripturæ authoritas, ex *materiali*, ejus perfectio; ex *formali*, ejus perſpicuitas; ex *finali*, ejus uſus.

XXXV. *Authoritatem* S. Scripturæ diuinam, adeoque & αὐτόπιστον eſſe ſtatuimus, ſiue ad demonſtrationem veri, ſive ad convictionem falſi. Hanc Sacra Scriptura *ex ſe* habet à ſuo authore, *quoad nos* ex variis κριτηρίοις ipſi contextui ſacro impreſsis, quæ ſatis ſuperque evincunt, eam à cauſa & omniſcia & omnipotente, & ſummè bona profectam eſſe, utpote in qua inimitabiles ſingularis tum majeſtatis tum ſapientiæ characteres, & talis gravitatis ſimul ac ſimplicitatis miſtura, & contemperatio, quæ occulta quadam virtute in animum pij lectoris illabitur eumque ſubigit, & expugnat. Addantur & κριτήρια alia, quæ *Bellarminus* coaceruat *lib.1. de Verbo Dei, cap.2.* quibus Sacræ Scripturæ veritatem id aſſertum, inquiens, *ea nihil eſſe notius, nil certius, ut ſtultiſſimum eſſe neceſſe ſit, qui illi fidem neget habendam.* Et bene quidem; nam Scriptura Sacra ſatis ſeipſam probat argumentis non tantùm inartificialibus, ſed & artificialibus & ſibi impreſſis.

NNNVI. Sed vt perſuaſio hæc immota ſit, & inconcuſſa, & veram pariat πληροφορίαν, opus accedat ſigillum Spiritus S. quo obſignetur & radicetur hæc veritas in corde vniuſcuiuſque fidelium, 1.Ioh.5.6. quod teſtimonium nec *fanaticum* eſt, quia in Scripturam reſolvitur: nec *inutile*, quia etſi tale ſit ad conuictionem alienam, tale tamen non eſt ad confirmationem propriam: nec *priuatum* omni ex parte, etſi enim tale ſit *ſubiectiuè*, non tamen tale eſt *originaliter*. Et impoſsibile eſt, Scripturam credi diuinam, ſine magiſterio Spiritus S. à quo ſolo vt fides, *quæ creditur*, ſic & ea, *quâ creditur*. Nec perſuaderi plenè poteſt hæc veritas: præterquam ab eo, à quo profecta. Hunc motum ſoli pij ſentiunt: ſoli impij inſectantur, de quo videatur Aug. Confeſſ.lib.6.c.5. qui eum non tam rationibus quàm ſenſu proprio confirmat.

XXXVII. Nec tamen nullæ ſunt Eccleſiæ partes. Imò ejus teſtimonium non parum momenti ſæpe habet ad animos hominum commovendos, & ad S. Scripturæ reverentiam excitandos. Tametſi verò illud ſæpe primum ſit *prioritate temporis*, tale tamen non eſt *prioritate dignitatis*, nec vel αὐτόπιστον eſt, vel ἀρχηγικὸν, ſed ὑπουργικόν.

XXXVIII. Explodimus ergo crudum dogma Pontificiorum ſuſpendentium authoritatem ſacræ Scripturæ, vel *in ſe*, quod à primis ſedis Romanæ propugnatoribus, *Eccio, Hoſio, Pighio* aſſertum: vel *quoad nos*, quæ Ieſuitarum incruſtatio eſt, ab authoritate Eccleſiæ in *Hypotheſi*, tum quoad *conſtitutionem* Canonis, tum quoad *interpretationem* ejus: In quo vtroque ſolum veræ Eccleſiæ *miniſterium* agnoſcimus, *magiſterium* non item. Romanæ nullum, quam veram eſſe Eccleſiam gnathones Pontificii ſupponunt in hac controverſia, non probant, quod tamen præcipuè probatum oportebat, cum fruſtra alioquin de Eccleſiæ authoritate ab ipſis diſputetur, quæ quantacunque eſſe ſtatuatur, nil prorſus facit ad cauſæ Pontificiæ firmamentum, niſi *Hypotheſis* æquè fuerit probata ac *Theſis*.

XXXIX. Quo ipſo dogmate cenſorium ſibi jus in Deum ipſum arrogant, nec tantùm fidem noſtram ab arbitratu ſuo ſuſpendunt, ſuam à ſe ipſis, ſed & vocem Dei: adeoque priſcum Senatus Romani faſtum imitantur, *apud quem de humano arbitratu divinitas penſitabatur, Tertul. Apol. cap. 5.* qui vt olim numina pro arbitrio vel civitate donabat vel ejiciebat, ſic purpurati curiæ Romanæ Patres idem ſibi arrogant in ſacros Scriptores. Imò nihil aliud hìc ſpectarunt, quàm vt compendiaria hac ratione omne errorum ſuorum examen defugerent, *Alcibiadis* conſilium ſecuti, qui olim Pericli in rationibus reddendis occupato ſuaſit, ſatius eſſe cogitare de mediis eximendi ſe à ratione reddendâ geſti muneris quàm de ea reddenda laborare. *Plut. in Alcib.*

XL. Ex *cauſa* verò *materiali* inferimus S. Scripturæ perfectionem, & traditiones omnes Romanenſium contra & præter Verbum divinum introductas profligamus, vt & poteſtatem Eccleſiæ in traditionibus *doctrinalibus* vel *dogmaticis* conſtituendis, etſi in *ritualibus* aliquam ei poteſtatem, ſed ad præſcriptum Pauli compoſitam concedamus, vt omnia gerantur εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν 1. Corint. 14. 40. & abſit & tumor meriti, & jugum neceſsitatis extra caſum ſcandali. Et revera Pontificii in hac cauſa Iudæos imitantur, qui lege divina non contenti introducunt תורה שבעל־פה legem moralem, quam volunt eſſe פירוש תורה שבכתב quaſi commentarium legis ſcriptæ, quam & priori ſcriptæ præferendam cenſent, & in qua potiſsimum impietatis ſuæ fundamentum conſtituunt.

XLI. Ex *cauſa formali* deducimus perſpicuitatem ſacræ Scripturæ, *non abſolutam*, ſed *limitatam*, non reſpectu omnium, ſed reſpectu neceſſariorum ad fidem & vitam Chriſtianam, quam & potuit Spiritus S. adhibere & voluit. Et revera ſacram Scripturam obſcuritatis accuſare, eſt & illam mendacii arguere, quæ ſe *luminoſam formaliter, illuminantem effectivè* profitetur, & probationes Pontificiorum ex Scriptura ſacra deductas vna eademque opera proſcribere. Imò dolet Sophiſtis, eam nimis eſſe claram veritati, aſſerendæ, & erroribus ſuis revincendis. Nec obſcuritas quæ ſæpè in ſubjecto, transferenda in objectum, vel in S. Scriptura accuſandum, quod in Scriptis humanis excuſatur.

XLII. Tametſi verò & quoad res propoſitas, & quoad λέξιν ſæpe aliquid difficultatis occurrat, præſtat tamen accuſationem in nos, quam in Scripturam S. convertere; nec obſtat quò minus S. Scripturæ lectio promiſcuè quibuſvis non permittatur duntaxat, ſed & imperetur, Ioh. 1. 39. & prohibitio Tridentinorum meræ tyrannidis, & cauſæ Pontificiæ laborantis evidentiſsimum eſt argumentum, quæ ſic cavere voluit, ne verenda ſua detegantur. Nec opus eſt diſpenſatione, & juris relaxatione, vbi nulla præceſsit prohibitio. Imò diſpenſationis & permiſsionis humanæ objectum eſſe non poſſunt præcepta id genus divina.

XLII. Eadem de cauſa plauſtra convitiorum & blaſphemiarum in S. Scripturam certatim congerunt Pontificii; & vt olim milites Romani Chriſtum Regem ſalutando, faciem ejus indignis modis conſpuerunt: ſic

illi, etſi in ſpeciem S. Scripturam venerari videantur, tamen eam omnibus onerant defectibus, quibus ſcriptum aliquod humanum obrui poteſt, cum illam & imperfectionis, & ambiguitatis, & obſcuritatis inſimulant, & blaſphemè appellant *Theologiam atramentariam, pomum Eridos, regulam plumbeam*, Theramenis Cothurnum, & aliis id genus impiis ſcommatibus inſectantur.

XLIV. Ex *cauſa finali* tandem inferimus, cum Scriptura S. ſit ſupremi Iudicis ſuprema lex, ex illa ſola controverſiarum definitionem petendam, nec alium earum Iudicem conſtituendum, præter Spiritum S. in ea loquentem, quicquid Romanenſes contendant. Et revera uſum habet tum *doctrinalem*, tum *judicialem*, partim *directivum* in cognitione veri, partim *definitivum* in dijudicatione & diſcretione dubii.

XLV. Ineptè pro ejuſmodi Judice Pontificii ſubſtituunt Eccleſiam, quia in hac materia quæritur, quo judicio illa ſtare debeat in controverſiis; ridiculè Romanam, quia illa in jus vocatur. Imò Eccleſiæ nomen mera larva eſt, quâ illi pro arbitrio interdum Pontificem, interdum Concilium Oecumenicum ejus authoritate coactum converſtiunt. Supremo verò hoc Judice nondum ab ipſis definito, fruſtra ab Eccleſia judicium ultimum & definitivum expectatur. Nec quicquam illi in Scripturam S. torquent, quod non in Eccleſiam meliori jure retorqueri poſsit.

XLVI. Relinquimus verò Eccleſiæ veræ ſuum etiam judicium, etſi ei *αὐτοκρατορικὸν ſupremum & definitivum* abſolutè denegemus, nec ob id authoritatem ejus cum authoritate cujuſque privati confundimus, quia datur *μέσον* inter judicium Spiritus S. *ſupremum & definitivum*, & inter *diſcretivum* cujuſque privati, judicium nimirum partim *diſcretivum*, partim *definitivum*, ſed ſubalternum & reſtrictum ad legem, conjunctum cum aliqua authoritate officii & muneris, quæ multum momenti apud privatos habet, prout & in rebus humanis plus longè integri cœtus, illiuſque in munere & authoritate conſtituti ſententiæ, quàm privato unius vel alterius arbitrio deferri ſolet & debet.

XLVII. Fallitur verò *Stapletonus*, qui privatis *judicium aſſenſus*, Doctoribus *judicium diſcretionis*, Eccleſiæ *judicium* tandem *determinativum* adſcribit, quaſi verò I. Aſſenſus brutus & cœcus requiratur ſine diſcretione in privatis. II. Adde quod Doctores ſunt ipſa Eccleſia repræſentativa ex ſententia communi. III. Nec determinatio abſoluta & illimitata ſive *conſtitutionis Canonis*, ſive *interpretationis* ejuſdem juris humani eſſe poteſt, quod quia tale, non poteſt non eſſe limitatum & dependens.

DIS-

DISPVTATIO
DE
VERBO DEI SCRIPTO in ſpecie, eiuſq́ Origine.

THESIS I.

DISPVTATIONI ſuperiori de *Verbo Dei in genere* ſuccedit diſquiſitio de *Verbo Dei ſcripto in ſpecie*, quod *modo gradibuſque patefactionis* diverſum eſt à priori. *Subſtantia* verò *rerum patefactarum* idem cum eo. Unde diviſio *Verbi* in *non ſcriptum* & *ſcriptum* non eſt diviſio *generis* in *ſpecies*, vel *totius* in *partes integrantes*, ſed *ſubjecti* duntaxat in *accidentia*.

II. Verbi iſtius ſcripti notanda. 1. Ὀνοματολογία. Vocatur κατ' ἀντονομασίαν, *Scriptura*. Joh.10.35. & *Scripturæ*, Joh.5.39. & cum epitheto *Scripturæ Sacræ*, ad Roman.1.2. *Sacræ litteræ*, 2. ad Timoth.3.8. *Eloquia Dei*, ad Rom. 3.2. *Originaliter*, *objectivè*, & *terminativè*, & *per hypallagen*, 2.Pet.1.20. *Prophetia Scripturæ*.

III. II. Πραγματολογία, nimirum, 1. *Definitio ſubjecti*, verbum illud eſſe doctrinam cœleſtem de Dei notitia ejuſque cultu, à Deo per Viros immediatè à ſe inſpiratos Canonicis Veteris & Novi Teſtamenti libris *propheticè*, *dogmaticè*, & *hiſtoricè* conſignatam, ad ſalutarem noſtri in fide vitaq́; inſtitutionem.

IV. II. *Subjecti definiti conſideratio*, quæ inſtituenda, 1. *A priori*, ratione *principiorum* tum *externorum*, ſive *productivorum*, tum *internorum*, ſive *conſtitutivorum*. II. *A poſteriori* ratione *adjunctorum*, vel *primorum*, fluentium ex natura ſubjecti, vel *ortorum*, ad convenientem ejus uſum pertinentium.

V. Nobis hîc agendum de primo *principio externo*, ſive de *cauſa* verbi ſcripti *efficiente*, ad quam pertinet diſquiſitio. 1. *De* ejus *Origine*. II. *De* ejuſdem *Auctoritate*. Prius hac, poſterius ſequente Diſputatione occupandum.

VI. *Cauſa efficiens* Verbi ſcripti eſt, 1. *Principalis*, nimirum Deus, iſque Trinunus, 2.Tim.3.16. Singulis quippe perſonis ejus revelatio, ut *opus ad extra*, ex æquo debetur, quoad ipſum ἀποτέλεσμα, quamvis *modus agendi*, & *termini actionum* diſtinctè ſpectentur quoad perſonas ſingulas. 2. *Inſtrumentalis*, nimirum Prophetæ, Euangeliſtæ, & Apoſtoli, quibus, ut actuariis, Deus uti voluit, 1.Pet.1.20.21.

VII. *Cauſa* προηγουμένη, fuit εὐδοκία Dei,& amor Eccleſiæ ſuæ Pſal.147. 19.20.*Cauſa* προκαταρκτικὴ ejus corruptio,& conſequens corruptionem imbecillitas, quæ obſtabat. 1. *Conſeruationi* conſtanti. 2. *Propagationi* ſinceræ doctrinæ verbo duntaxat traditæ, quippe quæ opportuna erat & falſis revelationibus excipiendis, & veris pervertendis. Adde Myſteriorum divinorum ſublimitatem, memoriæ humanæ infirmitatem, patefactionum divinarum ceſſationem, & diabolicarum vel humanarum ſucceſſionem.

VIII. *Origo* itaque Verbi ſcripti æquè ac non ſcripti, divina eſt, adeoque in eo prima & ſumma veritas ἔκτυπος eſt, quæ omnis alius norma, erroris omnis expers, & *intenſivè* ac *extenſivè* perfecta eſt.

IX. *Modus* verbi ſcripti tradendi ſpectandus eſt: 1. In *mandato externo explicito* id ſeripto conſignandi, Exod.17.14. & 34.27. Eſai.8.1. Ierem. 30.2. & 36.28. Hab.2.2. Apoc.1.11. & 13.14. 2. In *inſpiratione interna* verbi ſcribendi, & quoad *res*, & quoad *voces*, qua *ſcribenda dictata* fuêre Tabellionibus ſacris, 2. ad Tim.3.16.& illi *ad ſcriptionem impulſi*, 2.Petr.1.20.21. Inſpiratio interna omnibus ſacris Scriptoribus communis fuit, mandatum externum explicitum non item. Prius enim abſolutè neceſſarium fuit ad αὐθεντίαν ſcriptorum, poſterius non item.

X. Peccant itaque hic. 1. *Athei* & *Epicurei*, qui verbi ſcripti originem divinam eſſe vel *apertè* vel *opertè* negant. 2. *Iudæi*, qui originem Scripturæ N.Teſtamenti divinam eſſe proteruè inficiantur. 3. *Sociniani*, qui S. Scripturam in rebus præcipui momenti divinæ quidem originis fatentur, in circumſtantiis tamen minoribus non item, in illis enim Scriptores actos fuiſſe à Spiritu Dei, in iſtis verò ſibi ſæpè relictos. 4. *Pontificii*, I. Dum originem iſtam divinam communem reddunt ſcriptis multis non divinis. II. Dum originem iſtam divinam verbi Scripti *indirectè* convellunt, docendo. 1. *Falſum eſſe, Deum mandaſſe Apoſtolis ut ſcriberent.* 2. *Deum nec mandaſſe expreſſè ut ſcriberent, nec ut non ſcriberent, Deo quidem volente & inſpirante Apoſtolos ſcripſiſſe quæ ſcripſerunt, aliud tamen eſſe, aliquid facere, Deo inſpirante & ſuggerente; aliud eo apertè præcipiente.* 3. *Chriſto & Apoſtolis non fuiſſe propoſitum Verbum Dei coarctandi & reſtringendi ad Scripturam.* 4. *Chriſtum id apertè non præcepiſſe, quod tamen facturus fuiſſet, in re tanti momenti.* 5. *Apoſtolos nullibi teſtari ſe ex Domini mandato ſcribere.* 6. *Apoſtolos de ſcribendo Euangelio primaria intentione non cogitaſſe.* Vide Bellarm.lib.4.de Verbo Dei cap.3.

XI. 1. *Aphor.* Falſus & ſophiſticus eſt 1. Quia ejus rei mandatum habetur tum *implicitum* ſive *generale*, Matt.28.19. Act.1.8. ubi omnes doctrinam & teſtimonium Chriſti promulgandi modi ſimul deſignantur (prædicatio enim alia fit *in ſcripto*, alia *in facto*, alia *in verbo*, ut habet *Manuale Curionum*) tum *explicitum*, ſive *ſpeciale* duodecies in Apocalypſi repetitum, unde & ἀναλόγως & *argumento à minori ad majus* inferri poteſt, multò magis alia ſcribenda fuiſſe, quum & *dogmata fidei* & *præcepta morum* magis neceſſaria ſint viſionibus, quæ tamen toties ſcribi jubentur. 2. Quia inſpiratio ſcribendorum & impulſus internus ad ſcriptionem mandato æquipollent.

XII.

XII. II. *Aphor.* etiam talis. 1. Quia mandatum expreſſum non neceſſarium. 2. Quia κατὰ τὸ γράμμα, mandatum *pluribus*, ut ſcriberent, κατὰ τὸ πρᾶγμα, *omnibus*; adeoque hoc illorum arbitrio haudquaquam relictum fuit. 3. Quia implicatur *contradictio in adjecto*, Apoſtolos ſcripſiſſe Deo volente, & inſpirante & ſuggerente, & tamen non præcipiente. Nec enim potentius mandatum inſpiratione rerum ſcribendarum. Nec fidorum legatorum eſt, quicquam præter mandata exequi.

XIII. III. *Aphor.* etiam talis. 1. Quia aliud eſt, mandare ſcriptionem; aliud, *coarctare & reſtringere* Verbum Dei ad Scripturam. 2. Quia aliud eſt, reſtringere verbum Dei ad Scripturam quoad *res tradendas*, aliud, quoad *modum eas tradendi*. Prius Chriſto & Apoſtolis propoſitum fuit, non poſterius. Quamvis enim *aliud verbum* tradendum non ſit, *alio* tamen *modo* etiam tradi poteſt, inſtitutione nim. orali, vel publica, vel privata. 3. Quia eorum propoſitum melius ſciri nequit, quàm *à poſteriori*, ex praxi Apoſtolorum, nec enim vel illi Chriſti propoſitum transgreſsi fuêre, vel temerè & ſine propoſito ſe ad ſcribendum accinxêre.

XIV. IV. *Aphor.* etiam talis. 1. Quia non neceſſarium, res magni momenti *apertè* præcipi, ſatis *verè* præcipi. 2. Quia *apertè* præcipitur, quod inſpiratur, ratione illius, cui id inſpiratur. 3. Quia idipſum quod κατ' ἐνδυναμίαν vel συνακολουθῆσαι præcipitur, *apertè* aliquo modo præcipitur.

XV. V. *Aphor.* etiam talis. 1. Quia Iohannes teſtatur αὐτολεξεὶ, duodecies ſibi mandatum ut ſcriberet, Iudas etiam, id ſibi neceſſarium fuiſſe v.3. 2. Idem teſtantur reliqui, 1. Dum ſe *univerſales* omnium gentium *Doctores* profitentur. 2. Dum ſe *fidos* Chriſti *ſervos* teſtantur, adeoque mandatorũ Chriſti duntaxat ſatagentes. 3. Quia vel ex Chriſti inſpiratione ſcripsêre Apoſtoli, & ſic ſcripsêre etiam ex ejus mandato: vel non & ſic Pſeudo-apoſtoli fuêre, nec ſcripta eorum θεόπνευστα ſunt, quod blaſphemum.

XVI. VI. *Aphor.* etiam talis. 1. Quia gratis affirmatur, Apoſtolos de ſcribendo *primaria intentione* non cogitaſſe. 2. Quia *intentionis* Apoſtolorum argumentum nobis eſt ipſa ſcriptio, *primariæ* verò *intentionis*, utilitas & neceſsitas ſcriptionis, ad Eccleſiarum omnium ſeculorum ædificationem, ad quam utique *primaria intentione* ferebantur.

XVII. *Exc.* 1. *Si doctrinam ſuam Apoſtoli litteris conſignare ex profeſſo voluiſſent, eos Catechiſmum aut librum ſimilem confecturos fuiſſe. At eos vel Hiſtoriam ſcripſiſſe, vel Epiſtolas ex occaſione aliqua, & in iis nonniſi obiter Diſputationes de dogmatibus tractaſſe. Reſp.* 1. Peccari *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον, nec enim neceſſarium, Catechiſmum conſcribi ad doctrinam aliquam tradendam etiam *ex profeſſo*, nec hîc lex figenda Spiritui S. 2. Supponitur falſum, vel Catechiſmum, vel librum illi ſimilem non fuiſſe ſcriptum ab Apoſtolis. Immò ab iis & corpus Catecheticum integrum & compendia illius varia proponuntur & probantur, ex quibus ſufficienter poſſumus κατηχεῖσθαι. 3. Datur ἀπαγωγὴ ad abſurdum: Si Apoſtoli non ex profeſſo doctrinam ſuam ſcripto conſignarunt; E. id præter inſtitutum, & in tranſcurſu

ſet profectum, inſertum fuiſſet Canoni, nec diſsimulatum in primis Conciliis, immò Hæreticis impactum, nec à Scriptoribus Eccleſiaſticis prætermiſſum. Nec ob id illi quicquam detractum volumus, quia *materia* ejus ex ſcriptis Apoſtolicis tota derivata.

XIX. *Exc.* 3. *Apoſtoli non niſi oblata aliqua occaſione, vel neceſſitate quadam coacti animum applicarunt ad ſcribendum. Reſp.* 1. Peccari *Elencho oppoſitorum*, iſta enim componenda non opponenda. Quamvis enim Apoſtoli nonniſi oblata occaſione ſcripſere, tamen ſcripſere ex mandato divino, divinaque inſpiratione. *Cauſa* προηγουμένη *interna* erat inſpiratio divina. Cauſa *externa* & προκαταρκτικὴ erat occaſio oblata. Sic ex occaſione *loquuti* ſunt Apoſtoli, & tamen ex mandato divino, æquè ac Prophetæ? 2. Immò κτ̃ τὸ βίαιον, quia occaſio ejuſmodi divina voluntate illis oblata, diuina voluntate etiam illis ſcribendum fuit, nec enim vel temerè iis oblata, vel occupata. 3. κατὰ τὸ βίαιον: ſi Apoſtoli *neceſſitate* quadam *coacti* ſcripſere, *ex profeſſo* ſcripſere, nec fortuitis duntaxat occaſionibus, ſed ex mandato & voluntate divina, Deo & per *externi objecti* propoſitionem, & per *internæ inſpirationis* impulſum ſcriptionem exigente. 4. Peccatur ἀμφιβολίᾳ nec enim *coacti* ſcripſere Apoſtoli, hoc eſt inviti, ſed ſumma cum libertate & ſpontaneitate, non oppoſita tamen neceſſitati vel rationi muneris ſui, ſed compoſita cum ea.

DISPVTATIO
DE
VERBI DEI SCRIPTI Authoritate.

Thesis I.

EX Origine Verbi ſcripti fluit eius Authoritas. Ut itaque illa divina eſt, ſic & iſta, adeoque *αὐτόπιστος*, prima quippe *veritas normalis* dictata *à veritate eſſentiali.*

II. Authoritas *in genere* deſignat. 1. *Dignitatem* ſive *rei*, ſive *perſonæ.* 2. *Aeſtimationem* de iſta dignitate. Illa *intrinſeca* eſt ſubjecto, iſto *extrinſeca*, Illa iſtius fundamentum & norma: Iſta illius appendix. *In ſpecie* igitur authoritas verbi ſcripti eſt vel eius *dignitas*, vel *æſtimatio* hominum de ea: Illa ei intrinſeca eſt, iſta non item. Illa tum ab Authore verbi ſcripti, tum ab eius natura pendet, iſta ab iis pendere debet, & tum demum recta eſt, ubi ab ĩis pendet.

III. *Authoritas intrinſeca* verbi ſcripti, h. e. dignitas eius æqualis ſemper eſt, & ſibi conſtans, ſive accedat æſtimatio hominum conveniens, ſive non. *Authoritas extrinſeca*, ſive judicium de iſta dignitate varium eſt, & *rectum* quidem, quando omnibus & ſolis ſcriptis divinis ea tribuitur dignitas, quæ ſcriptis immediatè à Deo inſpiratis tribui debet, ut habeantur pro *αὐτοπίστοις*: *pravum* verò, ubi vel omnibus ſcriptis diuinis vel aliquibus iſta dignitas derogatur, vel aliis non divinis affingitur.

IV. Peccatum fuit hîc variè partim *apertè*, partim *opertè*. *Apertè*, 1. In *Defectu*, 2. In *Exceſſu*. In *Defectu*. 1. Ab iis, qui verbum iſtud rejecêre *totum*, quod fecêre *Gentiles* alieni à vera Dei cognitione & cultu. 2. Ab iis qui rejecêre *partes* quaſdam iſtius verbi, quales fuêre, 1. *Manichæi* aliique id genus, qui V. Teſtam. rejecêre. 2. *Iudæi*, qui hodieque Novum rejiciunt. 3. *Hæretici* varij, qui varias verbi partes diuinas eſſe negarunt pertinaciter quales fuêre *Ebionitæ* qui ſolum *Matthæi* & *Marcionitæ*, qui ſolum Lucæ, ſed truncatum, Euangelium admiſerunt. 4. *Doctores* varii, qui circa aliquas ejus partes citra pertinaciam hallucinati fuêre. In *Exceſſu* peccant. 1. *Gentiles*, qui Sibyllarum folia, & alia id genus commenta. 2. *Mahumetani*, qui Alcoranum ſuum. 3. *Pontificij*, qui partim libros Apocryphos, partim Decretales Pontificum ſuorum Epiſtolas pro ſcriptis diuinis extrudunt.

V. *Oper-*

V. *Operte* hic peccant. I. *Sociniani*, 1. Dum Scriptores ſacros in levioribus ſibi relictos cenſent. 2. Dum nullum dogma ſcriptum, pro divino habent, quod non ad rationem noſtram exigatur, ejuſque judicio ſit conforme, II. *Pontificii*, dum authoritatem verbi ſcripti ſuſpendunt ab authoritate Eccleſiæ, & quidem Romanæ ſive quoad *conſtitutionem* Canonis, ſive quoad ejus *interpretationem*. Quorum tamen *duæ Claſſes*, 1 *Alii* enim crudius Scripturas ſine authoritate Eccleſiæ *in ſe* authenticas eſſe negavêre, immò non majori fide dignas quàm Alcoranum, vel fabulas, 2. Alii *mitius* & *cautius*, Scripturam quidem *in ſe* divinam eſſe cenſuêre, in ordine tamen *ad nos* authoritatem iſtam non obtinere, niſi propter authoritatem Eccleſiæ, in quam noſtra fides tandem ſit revoluenda.

VI. Quia v. in *Controverſiæ* iſtius *Statu* rectè conſtituendo quandoque peccatur, obſervandum: Hîc non quæri de Fide, an Fide divina vel humana Scriptura credi debeat authentica, nam & Pontificii fatentur, divinam hîc requiri, 2. Non quæri etiam de *principio quod* vel de *cauſa efficiente* iſtius fidei, an Spiritus Sanctus eam operetur in nobis, nam & hoc fatentur, & quæ ſuper principio Fidei diſceptantur, aliò pertinent. Quæritur verò de *principio quo*, ſive de *motivo* vel *medio præcipuo*, quo utitur Spiritus Sanctus in perſuadenda nobis verbi ſcripti authoritate, an illud ſit *argumentum inartificiale*, teſtimonium nimirum Eccleſiæ, an verò *argumenta artificialia* ducta à *natura* ipſius *ſubjecti*, ſive à characteribus ipſi Scripturæ impreſſis. *Prius* aſſerunt Pontificii, *Poſterius* Euangelici.

VII. *Sententia noſtra* notanda, 1. *Declaratio.* 2. *Confirmatio.* Ad *Declarationem* pertinent *diſtinctiones* ſequentes. 1. Non negari à nobis, teſtimonium Eccleſiæ eſſe *motivum* vel *medium* εἰσαγωγικὸν vel λειτουργικὸν cujus miniſterio utatur Spiritus Sanctus in *ſuadenda* nobis verbi ſcripti authoritate, negamus tantùm, *motivum* iſtud vel *medium* eſſe κύριον, quo in ea nobis *perſuadenda* utatur, ſed potius characteres ipſos verbo iſti impreſſos. Et ut *per* Pincernam credidit olim Pharao, *per* rumorem Regina Sabæ *per* puellam Iſraelitidem Naaman, *per* Samaritanam mulierem concives ejus non *propter* Pincernam, vel rumorem, vel puellam, vel mulierem: ſic *per* Eccleſiam credimus Sacræ Scripturæ, non *propter* Eccleſiam, *per* Scripturam verò & *propter* Scripturam ipſi Scripturæ. 2. Non adhiberi à nobis Scripturam ad ſui probationem, ut *argumentum inartificiale*, ſed ut *artificiale*, adeoque non peti τὸ ἐν ἀρχῇ, 3. Diſtinguendum teſtimonium *Eccleſiæ veteris*; & *Eccleſiæ ſequiorum ſeculorum*, *vera* & *falſa*, illud majoris momenti eſt, iſtud minoris. 4. Diſtinguendum judicium ſive *de integro Canone*, ſive de *præcipuis* ejus *partibus*, & judicium de *aliquibus* duntaxat ejus *capitibus* vel *libris*. De illo hîc quæſtio potiſſimùm eſt, non de iſto. 5. Diſtinguenda *principiata* à *principiis*, illa probari debent, non ſupponi; iſta ſupponi, non probari; vel ſi probentur, ex luce ſibi inſita probantur. 9. Diſtinguenda probatio *inductiva* à *convictiva*, *ſuaſiva* à *perſuaſiva*, *formalis* ab *eventuali*, ſufficiens ad *rem*, & efficax ad *perſonam*. Prior à nobis exigi poteſt, non poſterior. Suadere enim veritatem, hominis eſt,

perſuadere, Spiritus Dei, lucem præferre, noſtrum eſt, inferre, Dei. 7. Diſtinguendum quoque *judicium publicum* Eccleſiæ veræ, à *diſcretione practica & privata* cujuſque fidelis. Etſi enim illud non ſit *magiſterii abſoluti*, eſt tamen *miniſterii ordinarii*, & quidem cum authoritate conjuncti, quamvis ea nec ſumma ſit, nec illimitata. Illa utilis eſt in ordine *ad alios*, iſta neceſſaria in ordine *ad nos* ipſos. 8. Diſtinguendum *judicium* Spiritus *privatum ſubjectivè* tale, & tale *originaliter*, illud probamus, iſtud non item. 9. Diſtinguenda quæſtio *de libris* quibuſvis ſacris, eorum numero, Scriptoribus, partibus, & apicibus quibuſvis, & aliis id geeus capitibus: & quæſtio de *doctrina fundamentali* libris illis contenta. Iſtius agnitio cuivis incumbit, illius non item, illa circa *corticem*, iſta circa *medullam* occupatur. 10. Diſtinguendum eſt inter *ſcientiam neceſſariam*, & *ſcientiam uberem*, inter ſcientiam eorum qui νήπιοι, & eorum qui τέλειοι, inter ſcientiam pertinentem ad *profeſſionem Theologicam*, illa generalis eſſe debet, iſta non item. 11. Diſtinguendum inter *ignorantiam ſimplicem*, & inter *negationem pertinacem* circa Canonem Scripturæ: iſta damnabilis eſt, illa non item. 12. Diſtinguendus *proceſſus* inſtituendus in probatione Canonis *cum Chriſtiano*, & *proceſſus*, inſtituendus *cum Pagano*. 13. Diſtinguenda reſolutio fidei ſpectatæ *objectivè*, ſive *rerum credendarum*, & fidei ſpectatæ *ſubjectivè*; vel *formaliter*, ſive *actus credendi*, illa fit in *teſtimonium* Spiritus Sancti *externum*, expreſſum in Scriptura, iſta in teſtimonium ejus *internum*, impreſſum conſcientiis. Diſtinctionibus iſtis obſervatis & veræ ſententiæ declaratio, & falſæ confutatio haberi poteſt.

VIII. Confirmationem ſententiæ noſtræ diſtribuimus in *argumenta* partim *oſtenſiva*, partim *apagogica*, quorum *media* compendiò indicamus.

IX. *Oſtenſiva* ſunt, 1. Quia *in genere* probatio ab *argumentis artificialibus ex natura ſubjecti* ductis potentior eſt probationibus ductis duntaxat ab *argumento inartificiali* teſtimonii humani, 2. Quia *in ſpecie* Scriptura Sacra admirandos ſuæ authoritatis characteres in ſe ipſa habet, quibus ut κριτηρίοις origo adeoque authoritas ejus divina, ut *præcipuo motivo* probari poteſt, quales ſunt, 1. *Ex parte originis*, prima & ſumma Scripturæ Sacræ ſupra omnia monumenta Pagana antiquitas, 2. Ex *parte cauſarum inſtrumentalium*, ſummus S. Scriptorum ab omni ſimulatione vel fraude, ejusque cauſis alieniſſimorum, candor, qui patet p. ex *narrationum* ingenuitate aliena à fictione, quippe qui ea narrant, quæ coram innumeris teſtibus, & quidem infeſtis ſæpè ipſis Scriptoribus geſta; p. ex *objurgationum & minarum* libertate, partim ex gentilitiorum peccatorum & propriorum defectuum reprehenſione, partim ex *ſtudio* perpetuò non ſe, ſed unum Deum quærendi. 3. *Ex parte materiæ*, admiranda myſteriorum multorum ſubtilitas, inacceſſa ingenio humano, propoſitio doctrinę alienæ ab omnibus rationibus carnis, & ſanguinis, immò contrariæ prorſus ſapientiæ & ſuperbiæ humanæ, perpetua hominis depreſſio & Dei exaltatio, mira tẽperamenti ineffabilis gratiæ & juſtitiæ Dei repræſentatio: ſumma ſive *dogmatum* ſive *præceptorũ* ſanctitas & puritas, qualis cauſam

ſummè

ſummè ſanctam arguit, ſumma veritatis vel veracitatis commendatio, & mendaciorum omnium deteſtatio ſub horrendis tum minis tum pœnis: Diſtinctæ eventuum futurorum ſine cothurnis & gryphis ullis prædictiones, & quoad *perſonas*, & quoad *res*, & quoad minutiſſimas etiam *circumſtantias* tum perſonarum tum rerum, quæ nec Angelica, nec humana ſagacitate vel prævideri poterant vel prædici; Perpetua amoris Dei & proximi, faſtidii terræ & terrenorum, amoris verò cœli & cœleſtium commendatio, admiranda originis primæ rerum omnium, & eventuum multorum, quorum veſtigia & ſtricturæ in Scriptis Gentilium, in rerum natura, & in conſcientiis noſtris extant, declaratio, & æternæ cum Deo vitæ in Dei unius laudibus tranſigendæ, ut ſummæ felicitatis humanæ propoſitio. 4. *Ex parte formæ*, ſumma tot Scriptorum tam diverſiſſimis temporibus, & locis ſcribentium harmonia inimitabilis majeſtatis & ſimplicitatis in ſtylo ſacro miſtura: Divina illa quibuſvis ubivis terrarum imperandi, eoſque minis pœniſque, æternis etiam, terrendi *παῤῥησία*. 5. *Ex parte finis*, omnium ad unius Dei gloriam, & hominum ac vitiorum omnium correctionem, eorundemque felicitatem directio. 6. *Ex parte adjunctorum*, mira verbi iſtius tot ſeculis contra tot hoſtes, potentiſſimos etiam, qui ferro & flammis illud exciſum volebant, conſervatio; Multa etiam hoſtium ejus de ejus dignitate & præſtantia teſtimonia. 7. *Ex parte effectorum*, admiranda ſui in tot gentibus ſine ferro & vi excitata reverentia, non obſtante dogmatum, à rationibus carnis & ſanguinis alieniſſimorum ſeveritate: Mira tot millium Martyrum in Scripturæ iſtius veneratione ſanguine etiam ſuo & atrociſſimis mortibus, obſignanda conſtantia. Singularis in corda reverenter verbum iſtud vel legentium, vel excipientium ſeſe exerens efficacia, qua & à malo ſe averti, & ad ejus odium bonique amorem converti inflammarique, & admirandis ſolatiis in ærumnis quibuſvis perfundi ſentiunt. Quæ quidem argumenta ex Scriptura ipſa eruta, *nec ſeparata* ſed *conjuncta* & in Dei timore à conſcientia ſuæ ſpontis expenſa, & cum quibuſvis aliarum Religionum monumentis collata ei potentius quovis teſtimonio humano afficiendæ & percellendæ ſufficiunt. Neque enim talia à Spiritu impoſtore proficiſci poſſunt. III. Omnis veritas, ſecundùm *Scholaſticos*, habet in ſe *virtutem inclinativam*: Ergo prima & ſumma veritas ſummam habet & maximam. IV. Dei teſtimonium immediatum, infallibile, ſemper ſibi conſtans, eſt *motivum* majus teſtimonio mediato, fallibili & non ſemper ſibi conſtante. V. Vt potiſſimum *motivum* ad dijudicationem *cibi* & *lucis* ducitur ab utriuſque qualitatibus; ſic potiſſimum motivum ad dijudicationem Scripturæ S. ducitur ab ipſa Scriptura, quippe quæ confertur aliquoties cum cibo & luce, Pſ. 19. & 119.

X. *Argumenta apagogica* inter alia ſunt. 1. Si authoritas Eccleſiæ eſſet *præcipuum motivum*, quo Spiritus Sanctus probaret ejus *αὐθεντίαν*, ſequeretur. 1. Fidem noſtram primò fundari in teſtimonio humano, & ultimò in id reſolvi, adeoque eſſe fidem divinam, & non eſſe. 2. Quæſtionem

vel *an ſit*, vel *quid ſit* vera Eccleſia, & quid *eſſe debeat*, quæ ejus *naturæ, authoritas, privilegia*, nobis hodie certò conſtare poſſe extra & citra, & ante verbum ſcriptum. II. Si authoritas Eccleſiæ ſit præcipuum *motivum* ad fidem Scripturæ, *quoad nos*, ſequitur authoritatem Scripturæ non eſſe præcipuum motivum quoad nos ad probandam Eccleſiæ authoritatem, vel à Pontificiis in *circulum* iri. III. Si authoritas Eccleſiæ ſit *præcipuum motivum* tale, ſequetur, judicium Eccleſiæ, quæ ſua authoritate nobis commendat Scripturam, vel niti *revelatione immediata*, quod falſum, vel *traditione*, quod ſubleſtum, & inſufficiens ob recurſum ejuſdem difficultatis, vel *alieno teſtimonio*, at nullum admittunt aliud magis authenticum, vel ſuo *teſtimonio proprio*, & ſic Eccleſia credit Scripturam eſſe verbum Dei, quia id credit, & credendum cenſet. IV. Si authoritas Eccleſiæ ſit *præcipuum motivum*, vel eſt *Eccleſiæ veteris*, at & illa variè ſenſit circa Canonem, & de illius ſetentia conſtare nequit, niſi ex ſcriptis minoris authoritatis ipſa Scriptura: vel *Eccleſiæ recentis*, at illius veritas probari nequit, niſi ex Scriptura prius agnita. Adde, Eccleſiam vel *univerſalem* intelligi, & illius teſtimonium non dari, vel *particularem*, & tale inſufficiens eſſe ac incertum. V. Papa ſive cum Concilio, ſive ſine eo vel credit Scripturas eſſe divinas, vel non; ſi non, monſtrum eſt: ſi credit, propter quid credit, quod credit. Immò vel Concilium ſolum judex eſt, vel Pontifex ſolus, vel Pontifex cum Concilio; quodcunq; eligatur, committentur inter ſe ipſi Pontificii, & vel Papa, aut Concilium hoc credunt, quia id credunt & idem prorſus erit Fides iſta & motivum iſtius Fidei, adeoque idem erit prius & poſterius, & cauſa ſui ipſius. Adde, conſtare nobis debere, qua authoritate vel Pontifex vel Concilium hac in fide nitantur. VI. Vel authoritas Eccleſiæ eſt *præcipuum motivum* reſpectu *fidelium*, at illi jam recepêre Scripturá, vel reſpectu *infidelium*, at illi non magis Eccleſiæ authoritatem quàm Scripturæ admittent. VII. *Bellarminus* vel ſolidè probavit authoritatem Scripturæ ex ipſa Scriptura & characteribus ei impreſſis contra Libertinos, & ſic Scriptura ſolidè ex Scriptura probari poteſt: vel non, & ſic in ſeipſum incurrit, dum inquit lib.1. de verb. Dei, cap.2. *Sacris Scripturis quæ Propheticis & Apoſtolicis litteris continentur, nihil eſſe notius nihil certius, ut ſtultiſſimum eſſe neceſſe ſit, qui illis fidem eſſe habendam neget.* Quod veriſſimum. Confutationi argutationum pro ſententia oppoſita, ejus, ad quod arctamur, compendii ratio intercedit.

DIS-

DISPUTATIO
DE
FINE SACRÆ SCRIPTURÆ.

Thesis I.

ACTUM hactenus de *forma* Sacræ Scripturæ, agendum jam de ejuſdem *fine*, & quidem compendio, pro Methodi noſtræ inſtituto.

II. *Finis* verò S.Scripturæ conſiderari poteſt. 1. κατ' ἄρσιν, per remotionem *falſi finis*. 2. κατὰ θέσιν, per poſitionem & confirmationem *veri*.

III. *Falſus* finis à *Pontificiis* affingitur Scripturæ, videlicet, ideò eam datam, ut eſſet aliquod duntaxat fidei vitæque *commonitorium*: *verus* ab Eccleſia Orthodoxa tribuitur Scripturæ, ideò eam datam eſſe, ut eſſet perfecta fidei vitæque noſtræ *regula*, tum credenda proponendo, tum facienda vel omittenda ſanciendo, utraque plenè & perfectè, ad Dei gloriam, & Eccleſiæ ſalutem.

IV. Iiſdem verò argumentis tum ἀνασκευῇ falſæ, tum κατασκευῇ veræ ſententiæ inſtitui poteſt. Sunt verò ea vel *inartificialia* teſtimonii, vel *artificialia* rationis. Illa hac Diſputatione tum propoſitum ibimus, tum vindicatum: iſta Diſputatione ſequente.

V. *Inartificialia* ſunt ex Veteri Teſtamento. 1. Locus Deut.5.38. ubi Dei populus prohibetur declinare ab iis, quæ præcepit Dominus vel ad dextram, vel ad ſiniſtram. Loca gemina ſunt, Deut.28.14. & Joſ.23.13. Sic Eſa.8.20. populus revocatur unicè ad legem & teſtimonium. 2. Ex Novo Teſtamento, Ioh.20.31. Finis Scripturæ ſtatuitur fides, & vita æterna. Sic 2.Tim.3.16.17. finis Scripturæ dicitur perfecta *hominis* etiam *Dei* inſtructio ad omne opus bonum, & ad uſus omnes neceſſarios, tum ad directionem vitæ præſentis, tum ad conſecutionem futuræ. Iſtis multa alia ejuſdem generis ex utroque Codice addi poſſunt.

VI. *Exc.* 1. Deut.5. De *præceptis* ſermonem eſſe, non de *ſcriptis*, argumentum itaque duci *à genere ad ſpeciem affirmativè*. 2. Prohibitam ſic fore additionem ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum, eorumque meditationem, & uni Moſis legi adhærendum. 3. Eſa.8. populum duntaxat increpari, quod ad augures eat & pythoniſſas, & ideò ad legem

eſt, qui eſt *teſtis fidelis*, Apoc.1.5. tum quia vel verbum perſuaſivum eſt vel convictivum, & jam *teſtimonium*, jam *in teſtimonium*.

X. Ad 4. *Except. Reſpond.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, de ſignis duntaxat loqui Johannem. Vel enim reliqua à Johanne ſcripta, *dogmatica*, nimirum, æquè ac *Hiſtorica* faciunt ad fidem & ſalutem, vel non. Si prius, illa æquè intelligit ac iſta; ſi non, fruſtra ea ſcripta fuêre. 2. Κατὰ τὸ βίαιον hoc ipſum retorqueri poteſt, quia miraculorum cognitio & ſcriptio non ſufficit, ad fidem & ſalutem, reliqua neceſſariò ſubintelligenda ſunt. Immò quia illa ſcripta fuêre ad fidem & ſalutem filiorum Dei, quæ minus neceſſaria, utique illa magis ſcripta eam ob cauſam cenſeri debent, quæ neceſſaria magis ſunt ad finem illum obtinendum.

XI. Ad 5. *Exc. Reſp.* 1. Ad *vocem*. Supponi in *theſi*, non probari, particulam *Syncategorematicam* πᾶσα ſemper *diſtributivè* ſumi, nunquam *collectivè* quod falſum. Atqui prout de *toto univerſali* ſumpta *diſtributivè* ſumitur, quia totius *univerſalis* natura reperitur in omnibus partibus, ſic relata ad *totum integrale* neceſſariò *collectivè* ſumi debet, quia totius integralis natura non reperitur integra in qualibet parte integrante. Quum itaque Scriptura Sacra reſpondeat *toti integrali, non univerſali*; *ſyncategorema* illud Scripturæ appoſitum non *diſtributivè* ſumi poteſt apud Paulum in *hypotheſi* illa, ſed *collectivè* duntaxat. Nec magis ſequitur, ſingulos Scripturæ libros perfectum poſſe reddere hominem Dei, quàm ſingulos qui in Corpore Juris exſtant libros Juriſconſultum conſummatum. Satis verò, Sacræ Scripturæ corpus integrum id præſtet, quod integrum Juris Corpus, & quidem cum ἐποχῇ. 2. Ad *rem*. Ut quælibet Scriptura ſuas habet utilitates, ad finem iſtum conciliandum homini; ſic & totum Scripturæ corpus, quod utilitates ſingularum partium in ſe complectitur. Unde κατὰ τὸ βίαιον argumentum retorqueri poteſt. Si cuilibet Scripturæ θεοπνεύστῳ uſus iſti tribui debent, magis integro Scripturæ corpori. *Inſt.* Scriptura hominem Dei perfectum reddere poteſt, vel credenda & facienda *immediatè* proponendo, vel docendo, unde ea ſint petenda, nimirum ab Eccleſia. *Reſp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον. Eo ipſo quia ablegare dicitur Scriptura *hominem Dei* ad Eccleſiam, negatur, Scripturam *hominem Dei* perfectum reddere. 2. Per συγχώρησιν ſcripturam ſanè allegare *hominem Dei* ad Eccleſiam, ſed non, ut non ſcripta diſcat ab Eccleſia, ſed ut ſcripta ei tum proponantur, tum exponantur. Peccatur itaque *Elencho non cauſa, ut cauſa*. Immò quia Eccleſia ipſa reſtringitur ad verbum, ad Legem & teſtimonium, *miniſterium* ejus duntaxat commendatur ad ſcriptorum *explicationem* & *applicationem* convenientem, non verò ad traditionem non ſcriptorum ubi tamen diſtinguenda *ritualia* à *dogmaticis*, & illa quidem comparata ad genus ſuum quod in Scriptura docetur, ab iis quæ non ſunt talia.

XII. Ad 6. *Except. Reſp.* 1. Per συγχώρησιν, illationem ab utilitate ad ſufficientiam, inanem eſſe in multis. 2. Per ἄρνησιν, ſemper & in omnibus inanem eſſe. Peccatur enim *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*, & diſtinguendum utile *univerſaliter*, *adæquatè*, & *completè* tale in ordine ad finem

ob quem inſtitutum eſt, & utile *particulariter*, *inadæquatè* & *incompletè* duntaxat tale, prius ſufficientiam infert, poſterius non item. Prius eſt ἁπλῶς vel πάντῃ, poſterius πῇ, illud omnem indigentiam explet, iſtud aliquam duntaxat. Illud ſufficiens eſt ad *omnia*, iſtud ad *aliqua* tantùm. Immò quum omne ſufficiens ſit utile, per *converſionem* convenientem propoſitionis univerſalis affirmantis aliquod utile debet eſſe ſufficiens. Talem verò utilitatem *adæquatam* & *completam*, & utile ὁλικὸν non μερικὸν hîc intelligendum eſſe, patet ex ἐπιλογία verborum, quâ ita dicitur utilis Scriptura, *ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.* Peccatur itaque *fallacia adhuc diviſionis*, & conjungenda ſeparantur. Immò argumentum datur *à minori*. Si enim Scriptura *homini Dei*, h.e. Dei ſervo in Eccleſia ad illum finem ſit utilis ſenſu dicto, multò magis talis erit cuivis Chriſtiano, quum major longè & cognitio & directio requiratur ad miniſterium publicum, quàm ad profeſſionem privatam Chriſtianiſmi. *Argumenta artificialia* partim *oſtenſiva*, partim *apagogica* reſervamus Diſputationi ſequenti.

DIS-

DISPVTATIO
DE
FINE SCRIPTVRÆ SACRÆ.

THESIS I.

OSTENSVM Diſputatione ſuperiore, *argumentis inartificialibus* teſtimonii, Scripturam Sacram non *commonitorium* duntaxat, ſed *regulam* eſſe tum credendorum tum faciendorum. Sequitur ejuſdem thematis demonſtratio per *argumenta artificialia.*

II. *Argumenta artificialia* verò diſtribui poſſunt in *oſtenſiva* & *apagogica*. *Oſtenſiva* ſunt, 1. Scripturæ competunt *proprietates* & *uſus* regulæ in ordine ad fidem & vitam: E. *regula* eſt. *Antec.* probatur locis, Deut.4.2.Gal.1.8. quia nihil credendum vel faciendum, quod non in Scriptura vel αὐτολεξεὶ vel κατ' ἰσοδυναμίαν præcipitur, omnia contra credenda & facienda, quæ in ea præcipiuntur. Nec enim quicquam illi vel addendum ab hominibus, vel detrahendum, ſub pœna anathematis. 2. Scriptura plenè exponit omne Dei conſilium de ſalute noſtra; Ergo regula eſt credendorum & faciendorum, utraque enim ad ſalutem noſtram exiguntur. *Antec. prob.* locis, Act.20.21.& 26.32. inter ſe collatis. 3. Scriptura perfectè tradit tum *Legem*, tum *Euangelium*. Ergo perfecta regula eſt tum credendorum, tum faciendorum. *Antec.* patet ex locis, Pſ.19.8.& Gal.1.8. 4. Ad Scripturam exigendum omne judicium & eo ſtandum *ultimatè*. Ergo regula eſt utrorumque. *Antec.* habetur locis, Deut.4.1.2.& 17.11.18.20. Eſa.8.20. Johan.5. 39. Act.17.11. 2.Tim.3.15.

III. *Exc.* 1. Scripturam *regulam* quidem vocari poſſe, ſed *imperfectam*. 2. Gal.1.8. Sermonem eſſe non de ſcriptis à Paulo ſed de *euangelizatis*, ſive ſcripto, ſive voce. 3. Privatis non licere aliquid addere, vel detrahere, licere tamen Eccleſiæ ductæ à ſpiritu in omnem veritatem. 4. Act.20. & 26. non de Scriptura, ſed de *annuntiatione* Pauli ſermonem eſſe, iſtam verò latiorem eſſe illa. 5. Subſtantiam Legis & Euangelii tradi in Scriptura, expoſitionem verò utriuſque genuinam ad Eccleſiam pertinere, & ab ea pendere. 6. Scripturam etiam non poſſe eſſe judicem, minus judicem ſui ipſius, nec definire lites κατ' ἴσχα, nec ſententiam ſuam explicitè proferre, nec terminare lites. Immò contradictionem implicari, eam & regulam eſſe & judicem 7. Script. non eſſe adæquatam regulato vel regulando, excedere enim in non neceſſaris, & deficere in neceſſariis.

IV. Sed nequicquam iſta & gemina illis alia moventur. Opponimus

iſta τῶν βραχέων. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *contradictione in adjecto.* Quod enim imperfectum eſt, regula non eſt, quippe quæ *Varino* teſte eſt μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον. Oppoſitum itaque hîc in appoſito, regula enim, ut ſit regula, adæquata eſſe debet regulando. 2. Petitione illius, quod ἐν ἀρχῇ, id ipſum enim eſt τὸ ἀμφισβητούμενον, quod probatum oportebat, non ſuppoſitum.

V. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho oppoſitorum.* Componenda enim ſcripta & euangelizata, non opponenda. 2. Nihil præter ſcripta à Paulo euangelizatum fuiſſe, patet ex Act. 26. 22. Nec enim prædicta à Moſe & Prophetis alia ſunt à ſcriptis ab ipſis, quod patet ex eo quia *ſermo propheticus* unicè attendendus Chriſtianis & προφητεία γραφῆς æquipollent apud Petrum, 2.Pet.1.19.20. adeoque dicta & ſcripta à Prophetis.

VI. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ id licere Eccleſiæ. Immò κατὰ τὸ βίαιον, ſi nulli hominum licet addere vel detrahere ſcriptis. Ergo nec Eccleſiæ, quippe quæ æquè obnoxia præceptis divinis, ac ſinguli. 2. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid*, Eccleſiam veram à Spiritu duci in omnem veritatem neceſſariam, verum eſt, Romanam ita duci, falſum eſt: veram etiam Eccleſiam duci ad veritatem in Scriptura contentam, verum, eam duci ad veritatem extra eam tradendam, falſum. Immò cum Eccleſia ipſa ſit corpus regulandum, regula eſſe nequit, & eam regulam ſtatuere, eſt eam ipſius regulam ſtatuere, & confundere regulam & regulandum.

VII. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. Peccatur *Elencho oppoſitorum*; nec enim alia ſed eadem & annuntiata à Paulo fuêre, & ſcripta. 2. Κατὰ τὸ βίαιον; ſi annuntiata à Paulo continent omne Dei conſilium de ſalute noſtra, & tamen non ſunt extra Moſen & Prophetas: Ergo omnia annuntiata à Paulo ſcripta ſunt, *quoad ſubſtantiam*, Act.20.21.& 26.32.

VIII. Ad 5. *Except. Reſp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον, quia ſubſtantia Legis & Euangelii habetur in Scriptura: Ergo perfecta eſt, 2. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid.* Expoſitio ſanè Scripturæ pertinet ad Eccleſiam, ſed ad Eccleſiam veram, non ad falſam, & ad ejus non *magiſterium*, ſed *miniſterium*, nec arbitraria eſt, ſed reſtricta ad Scripturam, nec inferenda in eam, ſed educenda ex ea, nec pendet ab Eccleſia, ſed potius Eccleſia ab ea.

IX. Ad 6. *Reſp.* 1. Peccari *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid.* Diſtinguendus enim Judex κανονικὸς & λειτουργικὸς, *normalis & miniſterialis, realis & perſonalis,* Scriptura judex eſt *normalis,* & *realis,* etſi non *miniſterialis,* vel *perſonalis.* 2. Supponitur falſum, Scripturam debere eſſe judicem ſui ipſius, ſatis, ſit noſtri judex, & fidei noſtræ, nec enim Scriptura opus habet judice, ſed nos. 3. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid*, Scriptura enim omnino definit lites καθ' ἕκαστα *fundamentaliter*, etſi eas non definiat αὐτοπροσώπως, & ſatis eam *fundamentum* ſuppeditare & *normam* definiendis litibus, ut leges civiles ſufficiunt definiendis litibus inter Titium & Sempronium, quamvis nec de Titio loquantur, nec de Sempronio. 4. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, Scripturam non *explicitè* proferre ſententiam ſuam in neceſſariis ad ſalutem, quod eſt τὸ κρινόμενον. Nec enim omnia implicita, quæ non expreſſa

ἀσυνάξει. 5. Peccatur *Elencho à dicto ſecundum quid*, aliud enim eſt, terminare lites *formaliter*; aliud, *eventualiter*; aliud, quoad *jus*; aliud quoad *applicationem*, & *admiſſionem* juris. Priori modo terminat ſemper Scriptura lites ſuper Religione, non vero ſemper poſteriori. Iſtius verò terminationis negatio haudquaquam intercedit judicio Scripturæ, quippe quæ *per accidens* ſe habet ad litis deciſionem.

X. Ad 7. *Exc. Reſp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Scripturam non eſſe *adæquatam* regulando, quum perfectè definiat omnia fidei vitæque officia. 2. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, Scripturam vel excedere in non neceſſariis, vel deficere in neceſſariis. Nec enim id excedere dici debet, quod utilia tradit, etſi non neceſſaria. Nec omnia non neceſſaria, ſunt ſuperflua. Immò eo ipſo commendatur Scriptura, quod faciat non tantùm ad *plenitudinem* fidei noſtræ, ſed etiam ad ejus ἀσφάλειαν, nec *dogmatica* duntaxat tradat, ſed etiam *hiſtorica*, nec *jus* duntaxat, ſed & *praxin* variam circa jus. 3. Immò κατὰ τὸ βίαιον, hoc ipſum retorqueri poteſt: ſi enim Scriptura etiam non neceſſaria tradat, & tamen ad hominum ſalutem ſit comparata, magis tradet neceſſaria. 4. Hoc ipſum eſt τὸ ἀμφισβητούμενον, an deficiat in neceſſariis, quod ſupponitur, non probatur. Nec exempla quæ adferri vulgò ſolent, quicquam tale evincunt, quorum examen reſervamus ipſi συζητήσει.

XI. *Argumenta apagogica ſunt.* 1. Si Scriptura eſt commonitorium duntaxat, Deus de commonitorio duntaxat proſpexit Eccleſiæ, non de regula, h.e. de minus neceſſario, non de neceſſario. Immò vel commonitorium illud θεόπνευστον eſt & perfectum, & ſic regula eſt, vel non, & ſic imperfectè duntaxat Deus commonefecit Eccleſiam.

XII. 2. Si Scriptura non ſit regula credendorum & faciendorum, ſed traditio Eccleſiæ; minoris authoritatis erunt divina humanis, immediatè à Deo inſpirata, iis quæ non talia, αὐτὰ θεῖα ἀνθρώποις, infallibilia fallibilibus. Sin Scriptura cum traditione dicatur regula, diuina exæquantur humanis, infallibilia fallibilibus.

XIII. 3. Si Scriptura non ſit regula credendorum & faciendorum, ſed traditio Eccleſiæ; Eccleſia erit regula ſui ipſius, regula & regulatum, quibuſvis impoſtoribus, & impoſturis locus erit, de vera Eccleſia conſtare poterit extra Scripturam, & quæ ſunt alia id genus. Et vel iſta Eccleſia probabit ſuam regulandi authoritatem ex Scriptura, vel ex ſe ipſa, vel aliunde. Quicquid verò hìc dicatur, paradoxon erit & abſurdum. Et nihil minus tolerari poteſt, quàm dum quæritur, quid Eccleſiam debeat regulare in credendis, & faciendis, quam reſpondere, id Eccleſiæ convenire, de cuius quippe regulatione agitur.

XIV. 4. Si Scriptura non ſit regula credendorum, & faciendorum, fruſtra ad eam Chriſtus Prophetę & Apoſtoli exegêre credenda & facienda, & cadunt illationes *negativæ*, hoc vel illud non eſſe ſcriptum, adeoque non credendum. Quale exemplum, Heb. 1. 5. *Exceptionum* confutatio hìc addi nequit, ob illas, ad quas arctamur, chartæ anguſtias.

DISPVTATIO
DE DEO.

Thesis I.

DISSERTATIONEM de Deo orditur *Damaſcenus* à præfatione, ὅτι ἀκατάληπτον τὸ θεῖον, & nos cum *Damaſceno* id ipſum præſcribimus in limine noſtræ de Deo Diſputationi.

II. Quæſtionem, *An ſit Deus*, quæ hîc quandoque moveri ſolet, vel ut profanam, vel ut non neceſſariam ſaltem amolimur, & principium iſtud, *eſſe Deum*, non probandum inter Chriſtianos, ſed ſupponendum cenſemus, quippe quod altius impreſſum conſcientiis, quàm ut revelli poſſit, & in quo demonſtrando *lux mentis* æquè *ſubjectivè* concurrit, ac *lumen entis objectivè*. Peccant iaque graviter *Antitrinitarii*, qui notitiam Dei ἔμφυτον, vel *innatam* negant, & eam ἐπίκτητον vel *acquiſitam* duntaxat cenſent, ſive τῇ φύσει τοῦ θεοῦ ſpectetur, ſive τὸ πρόν. Nos notitiam prioris ἔμφυτον, poſterioris ἐπίκτητον cenſemus.

III. In quæſtione *quid ſit* Deus duplex diſtinguenda theoria, *abſoluta* una, altera *relativa*, illa occupatur circa Deum conſideratum οὐσιωδῶς, vel *eſſentialiter*, iſta circa Deum conſideratum ὑποστατικῶς, vel *perſonaliter*. illa tum *eſſentiam* Dei, tum *attributa eſſentialia* exponit, iſta perſonas S. Trinitatis, & *attributa* ſingularum *perſonalia* exequitur.

IV. Theoria *abſoluta* de Deo revocari poteſt. 1. Ad ὀνοματολογίαν. 2. Ad πραγματολογίαν. Prior ad poſterioris elucidationem, poſterior ad prioris perfectionem ducit, ὀνοματολογίαν primò, πραγματολογίαν, deinceps, Deo faciente exequemur.

V. In ὀνοματολογίᾳ nominum divinorum diſtinguimus ἄγραφα ab ἐγγράφοις. Illa humana ſunt, iſta divina, illa *de Deo* ſunt, non *à Deo*, iſta & *de Deo* & *à Deo*. Sunt verò iſta Hebræa partim Veteris Teſtamenti qualia ſunt יהוה & contractum יה אלה אלהים צבאות אלהי אדון ארני אהיה אשך אהיה שדי אל partim Græca N. Teſtamenti qualia ſunt θεὸς, κύριος, κατ' ἐπονομασίαν, ὁ ὤν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, & alia quædam id genus.

VI. Πολυωνυμία, & nominum iſtorum divinorum multiplicatio, partim *perfectionis divinæ* argumentum eſt, partim *imperfectionis humanæ*. Nec enim vel illa *adæquatè* uno nomine deſignari, vel nos una nomenclatione ad illam debito modo apprehendendam manu duci poſſumus.

VII. Diſtingui poſſunt nomina iſta in *prima*, & *orta*, in *incomplexa* & *complexa*, in *abſoluta*, & *relatiua*, in *incommunicabilia*, & *communicabilia*, in ἀνα-

δη & ἐπικλητικὰ, quorum illa ſunt deſignativa directè *eſſentiæ divinæ*, iſta vel *attributorum*, vel *effectorum* divinorum.

VIII. Inter *incommunicabilia* primum cenſemus nomen τετραγράμματον, videlicet יהוה & contractum יה quo notatur primò eſſentia ſoli Deo propria, & oſtenditur Deum eſſe tum αὐτὸ ὂν, vel αὐτοῶν, κατ' ἰδίαν, tum omnis entis *principium effectivum*, κατ' ἐξοχήν. Hinc nomen iſtud prorſus ἀκοινώνητον eſt, nec ulli creaturæ tribui poteſt, quippe quæ omnes & *formaliter* eſſe participatum habent, atque dependens, nec *effectivè* aliis τὸ eſſe ſimpliciter largiri poſſunt.

IX. Hinc nomen iſtud nec *præfixum* unquam habet ההויה nec pronomina *ſuffixa* vel *affixa*, nec *in regimine* ponitur, nec numerum πληθυντικὸν admittit. Hinc etiam ab Hebræorum filiis vocatur interdum ἀντονομαστικῶς & κατ' ἐξοχὴν השם occaſione loci Levit.24.11. interdum cum adjectione שם המיוחד *nomen* velut *appropriatum* uni duntaxat ſubjecto, autoritate loci Eſa.16.21.42. Eodem ſenſu vocatur ab iis interdum שם העצם *nomen ſubſtantiæ*, vel *nomen proprium*. Sic vocatur quandoque שם המפורש *nomen ſeparatum*, ſive à nominibus aliis Dei, ſive à nominibus creaturarum omnium, vel *nomen expoſitum*, ſive per literas, ſive per voces alias myſticas, pro Cabbaliſtarum more.

X. Lite grammatica ſuper pronuntiatione nominis iſtius, quæ ad Scholas Philologicas pertinet, & in utramque partem argumentis non contemnendis urgetur, prætermiſſa, obſervandum, geminam hîc reperiri controverſiam Theologicam, *eſſentialem* & *realem* unam, & *nominalem* vel *verbalem* alteram. Illa vertitur *Orthodoxos* inter & *Antitrinitarios*, quorum iſti nomen יהוה *abſolutè*, *ſimpliciter*, *directè*, & *illuminatè* etiam ſumptum creaturis in Scriptura tribui cenſent, ad evertendam Filii & Spiritus Sancti divinitatem: illi id ipſum, & meritò, negant: iſta intercedit inter ipſos *Orthodoxos*, quorum aliqui *indirectè* & *limitatè*, & per μετωνυμίαν nomen iſtud etiam creaturis quibuſdam tribui cenſent, quamvis nomen iſtud ſoli Deo proprium eſſe, tum ratione *rei*, tum ratione *vocis* acceptæ ſine *tropo* fateantur. Prior ſententia *Antitrinitariorum* impia, poſterior Orthodoxorum quorundam nec commoda, nec neceſſaria.

XI. Nomen iſtud nec ante Moſen ignotum fuit, nec Exod.6.3. *formaliter* de *voce* agitur, ſed πραγματικῶς potius de *re* per vocem δεικτικῶς deſignata, hoc eſt, de veritatis divinæ immutabilitate, liberatione populi actuali brevi conteſtanda, & conformi immutabilitati eſſentiæ divinæ. Impiè etiam Judæi magicam velut vim affingunt characteribus hujus nominis, & iis Chriſti miracula imputant.

XII. Quæ verò *incomplexorum nominum* יהוה & יה, ea etiam eſt ratio *complexi* אהיה אשר אהיה verbi אהיה pro nomine adhibiti, Exod.3.14. Quippe quæ æquè incommunicabilia at nomen יהוה & à Spiritu Sancto exponuntur, Apoc.1.4. per phraſin geminam ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ut deſignetur, Deum omnes temporum differentias, immò omnem durationem eminentiſſimè complecti, in *nunc* æternitatis, quod non *fluens* eſt, inſtar

noſtri, ſed *ſtans*, quamvis ob id temporum differentiæ ipſæ non confundantur inter ſe. Vnde nomen יהוה characteriſticas omnium temporum expreſſas habet, & à tertia perſona τῷ אהיה eſſe videtur, formatum tamen cum ו loco י ob frequentem uſum verbi יהיה *erit*, ne nomen Dei vileſceret promiſcuo uſu, in cujus locum ſucceſſit τῷ יהוה ſive per *enallagen* literarum אהוי ſive à verbo הוה eo quod *futurum tertiæ perſonæ* ab hoc verbo vix occurrat, Eccleſ. enim 11.3. forma *anomala* eſt. Notum verò, τὸ ἐρχόμενος legi pro ἐσόμενος, quia Hebræi *futurum* deſignare ſolent, per עתיד *ſimplex*, vel per *complexum* עתיד לבוא, h.e. per τὸ ἐρχόμενον.

XIII. *Incommunicabile* etiam nomen Dei eſt שדי quod legitur, Gen. 17.1. & 35.11. quippe quod nec eſt à שדא *effudit*, nec à שד *mamma*, nec à שדד *vaſtavit*, ſed potius à præfixo ש ab אשר & nomine די *ſufficiens*, τῷ *Segol* enim quod ſubſcribitur τῷ ש converſio in *Pathach* obvia eſt. Et ſanè hoc nomen illi duntaxat tribui poteſt, qui abſolutè eſt αὐτάρκης vel ἱκανός, nullius ἐνδεὴς nec ad eſſe ſuum, nec ad durationem, nec ad felicitatem, contradiſtinctè creaturis, quæ ab illo dependent in *fieri eſſe conſervari & operari*. Nec intercedunt loca, Hiob. 6.4. & 22.25. & Ezech. 1.24. & ſimilia quo minus nomen iſtud Deo maneat peculiare.

XIV. *Communicabilia* Dei *nomina* ſunt, tum *ſimplicia* אל אלה אלהים אדון אדונים & frequentiſſimè אדוני ſub forma nominis pluralis cum affixo *primæ perſonæ*, quamvis nec י ibi affixum ſit, nec ָ regulare, idque διακριτικῶς, ad diſtinctionem nominis divini à communi, quod inſignitur τῷ *Pathach*.

XV. Nomen אל vel ponitur *ſimpliciter*, vel in *complexo* אל אלים אל עליון & אל גבור *Deus Deorum*, vel *fortis fortium*, *Deus fortis*, *Deus excelſus*. Quod nomen ab *Aquila* per ἰσχυρὸν *antonomaſticè* & commodè expreſſum, deſignat Deum ab attributo potentiæ, quippe cui illa primò & eminentiſſimè competit, & à quo omnis potentia alia, ut quæ & limitata prorſus, & dependens, tum in *habitu*, tum in *exercitio* habitus. Immò τὸ *poſſe* Dei eſt ipſum *eſſe* Dei, in creaturis verò eſt qualitas ſuperveniens ipſi eſſe. Quamvis verò nomen iſtud *appellativè* tribuatur creaturis, angelicis & humanis, *propriè* tamen ſoli Deo tribuitur, & per μυκτηρισμὸν, vel καταχρηστικῶς tantùm idolis, ut Eſa. 44.10. & alibi. Quippe quibus res ſignificata non reſpondet, ut quæ ſunt אלילים, h.e. οὐδὲν, ut id optimè expreſſum, 1. Cor. 8.4. *relatè* nimirum ad ſenſum idololatrarum.

XVI. Nomina *ſingulare* אלה & *plurale* אלהים quamvis *primò*, & ἐξόχως tribuantur Deo, & notent dignitatem cum auctoritate judicandi & gubernandi, creaturis tamen etiam tribuuntur ſive *verè*, nimirum iis quibus Deus vicariam quandoque auctoritatem, ſed limitatam & dependentem commiſit, ſive *falſo*, ut idolis, quibus eam vana hominum ſuperſtitio affingit.

XVII. Cenſemus verò, parum ſolidè ex *nomine* illo *plurali*, & ejus cum *verbo ſingulari* conſtructione S. Trinitatem probari, cùm notum ſit. 1. In *theſi* nomina dominii & poteſtatis in utroque numero, eodem prorſus

ſenſu

ſenſu de una perſona efferri, nec ibi ad *ſonum* reſpiciendum eſſe, ſed ad *ſenſum*, ſive ad ὑπεροχὴν dominii deſignandam *intenſiuè*, ſive *extenſiuè* ad deſignandam eius latitudinem. 2. In *hypotheſi* etiam notum, idem nomen אלהים ut & nomen ארונים, Gen.42.30. in *numero* πληθυντικῷ efferri de ſingularibus aliis, ut de Moſe Exod.4.16. de vitulo, Exo.33.31. de Dagone, Iudic.16.17. Sic idem nomen plurale idolis etiam tributum conſtruitur cum verbo ſingulari, Exod.20.2. Adde, ſi conſtructio τῶ אלהים cum verbo ſingulari deſignet pluralitatem perſonarum, & unitatem eſſentiæ, etiam eius conſtructionem cum verbo plurali deſignare multiplicationem eſſentiæ, ut Geneſ.20.13. Præſtat itaque nos latus non præbere Iudæis & Antitrinitariis, id genus argutationibus. Quod bene à *Thoma* monitum p.1. Sum. quæſt.32.art.1.

XVIII. Nomen *complexum* אלהי צבאות *Dei exercituum*, Deo ſoli proprium eſt in Scriptura, quippe qui ſolus quamuis creaturam armare poteſt, & ea uti ad voluntatis ſuæ executionem, & qui ſolus in quavis creatura exercitum ad manum habet.

XIX. Nomina ארין & ארונים communia ſunt Deo & creaturis in Scriptura, quamvis ארוני ſoli Deo cum • proprium ſit, ita tamen ut tribuantur Deo δεσποτικῶς & ἐξόχως, creaturis δευτέρως duntaxat & ὑποδεῶς, quippe quorum dominium tum limitatum eſt, tum dependens omninò, ſiue quoad collationem, ſiue quoad conſeruationem, ſiue quoad exercitium. Nomina Græca reſeruamus Diſputationi ſequenti.

DISPVTATIO II.

DE DEO.

Thesis I.

DISSERTATIO de Deo diſtributa fuit Diſputatione ſuperiore in ὀνοματολογίαν & πραγματολογίαν: illa in diſquiſitionem de nomenclatura Dei *Hebræa* Veteris, & de *Græca* Noui Teſtamenti. Prior hactenus occupata fuit, poſterior hac Diſputatione occupanda eſt.

II. Ad hanc partem pertinet duorum potiſſimùm nominum expoſitio, nominis Θεοῦ, & nominis Κυρίου, quæ de Deo frequentiſsimè efferuntur in Novo Teſtamento.

III. Nominum illorum ſpectari poteſt. 1. *Originatio.* 2. *Vſus.* De illa anxiè nobis laborandum non cenſemus, ut quæ Philologicæ diſquiſitionis eſt, de iſto verò agendum penitius, quippe qui Theologici eſt argumenti.

IV. *Originationes* vocis Θεοῦ variæ dari ſolent, ſive ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, *intueri*, ſive ἀπὸ τοῦ θεῖν. *currere*, ſive ἀπὸ δέους à *timore*, ſive ab Hebræo יי expreſſo, primò Æolicâ, poſt communi dialecto Græcorum, quò & *Feſtus* alludere videtur, qui *Deum* dici cenſet, *quod ei nihil deſit*, ſive ab antiquo θέω pro τίθημι, quod Deus ſit ὁ θεὶς τὰ πάντα, h. e. ὁ ποιητὴς τῶν πάντων. Auctor *Etymologici magni* pleraque ex iſtis tangit. Θεὸς παρὰ τὸ θέω, τὸ τρέχω, εἰς ὃν πάντες τρέχουσι. Item παρὰ τὸ ἀεὶ θεῖν καὶ κινεῖσθαι, vel παρὰ τὸ πανταχοῦ εἶναι καὶ περιθεῖν, ἢ παρὰ τὸ θέω τὸ κατασκευάζω.

V. Ad *uſum* hujus nominis quod attinet, nomen Θεοῦ primò *propriè* ſumitur & κυρίως & ſic effertur duntaxat de eo qui *natura* Deus eſt: ſecundò *impropriè* & δευτέρως, & ſic effertur de iis qui tales ſunt ſive *dignitate*, ſive *officio*. Quibus ſignificationibus accedit tertia, quâ hoc nomen attribuitur ἀκύρως, vel per κατάχρησιν illis, qui nec Dii *natura* ſunt, nec *officio*, ſed merâ ac vanâ hominum *æſtimatione*.

VI. Deſignat itaque vox Θεοῦ πρώτως & κυρίως *naturam* vel *eſſentiam* divinam, δευτέρως duntaxat & ἑπομένως *poteſtatem* vel *officium*: unde peccant graviter *Anti-trinitarii*, dum nomen iſtud deſignativum potius *poteſtatis*, *officii*, *dignitatis*, vel *qualitatis* eſſe cenſent, quàm *naturæ* vel *eſſentiæ*, ut ſic ſe expediant ex eo quo urgentur argumento, ducto à nomine Dei non *attributivè* duntaxat, ſed & *ſubjectivè* de filio Dei enuntiato. Opponunt verò Orthodoxis, ex nomine iſto non poſſe inferri veram Chriſti Deitatem, vel enim *ſubſtantiam* aut *naturam* iſta voce non deſignari, vel *ſubſtantiam in genere*, ſive illa divina ſit ſive humana. Chriſtum itaque hominem Deum vocari, non

non propter naturam divinam, quam eandem habeat ab æterno cum Patre, ſed propter communicatam ipſi in tempore *officij dignitatem poteſtatemq;.*

VII. Error iſte non *Grammaticus* eſt de *voce*, ſed *Theologicus* de *re*, cui opponimus, 1. *Argumentum inartificiale* teſtimonii, 2. *Artificialia* rationis ſecundùm Scripturam. *Argumentum inartificiale* ducitur ex loco illuſtri ad Galatas cap. 4. verſ. 8. Vbi Galatæ perſtringuntur, quod ſerviverint τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς *illis qui natura non ſunt Dii.* Sin verò nomen iſtud vel *dignitatis*, vel *poteſtatis*, vel *officii* potius nomen foret, quàm *naturæ* vel *eſſentiæ*, Galatis pronum fuiſſet excipere, ſe ob id reos peragendos non eſſe, quod cultum exhibuerint Diis *dignitate, poteſtate* vel *officio* talibus, etſi non *natura*, quippe qualibus primò & propriè nomen Dei, adeoque & cultus divinus debeatur.

VIII. *Argumenta artificialia* ſunt. 1. Vel de ſummo & æterno Deo *primò* & *propriè* effertur vox Dei, vel de creatura: ſi de creatura, *primò* & *propriè* illa Deus erit. Creator verò *ſecundariò* duntaxat & conſequenter, quod παράδοξον immò apertè impium & abſurdum. Sin de ſummo & æterno Deo vox iſta *primò* efferatur & *propriè*, non poteſt non deſignare primò *naturam* & *eſſentiam*, quippe cum Deus ab æterno talis fuerit per naturæ ſuæ perfectionem, non verò per officii alicujus adminiſtrationem, nec per dignitatem, vel poteſtatem diverſam à ſua natura vel eſſentia. 2. Nomen Dei vel eſt *abſolutum* vel *relativum*: ſi *abſolutum*, eſt *deſignativum naturæ* potius quàm *officii* vel *dignitatis*: ſi *relativum*, & deſignativum officii, Deus ab æterno non fuit Deus. 3. Quæ eſt ratio nominis *abſtracti*, ea etiam eſt ratio *analogicè* nominis *concreti*, quippe quod eſt & forma concreti, & *principium* ejus tum *conſtitutivum*, tum *denominativum*. Deitas verò deſignat primò *naturam* vel *eſſentiam* divinam, ut notum. Ergo & nomen *concretum* Deus, præterquam quod in Deo *identificetur*, ut loquuntur Barbari, abſtractum & concretum, propter ſummam naturæ divinæ ſimplicitatem. 4. Dei nomen vel *ſynonymicum* eſt vel *paronymicum*. Si *paronymicum*, *paronymicè* prædicatur de cauſa prima quod abſurdum; ſin *ſynonymicum* eſt, quidditatis vel eſſentiæ, aut ſubſtantiæ primò deſignativum eſt, non qualitatis vel officii.

IX. Ut verò graviter hìc impingunt *Anti-trinitarii*, ſic & in eo in Scripturam & veritatem incurrunt, dum novos fabricant *Canones* ſuper *uſu* vocis Dei, qui & gratis ſunt conficti, & exemplis contrariis revinci ex Scriptura poſſunt. Qualis eſt commentitius iſte *Canon*. Vocem Dei *ſine articulo* poſitam, Deos etiam vel *ſecundarios*, vel *nuncupativos* duntaxat deſignare, *cum articulo* verò poſitam Dei ſummi tantùm deſignativam eſſe. Atqui utrumque iſtius canonis membrum falſum eſt, & Sacræ Scripturæ adverſum: *primum membrum* falſum eſt, quia ſummus Deus deſignatur ſine articulo. Ioh. 1. 6. ubi Iohannes dicitur miſſus παρὰ Θεοῦ. Sic ℣. 12. dicitur, *dedit ipſis poteſtatem* τέκνα Θεοῦ γενέσθαι Sic ℣. 13. ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν. Sic verſu 18. legitur, Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε. Adde inſcriptionem Epiſtolæ ad Romanos, quæ deſtinatur ἀγαπητοῖς Θεοῦ. cap. 1. v. 7. Loca gemina plura alia

in Vet. Teſtamento occurrunt, ut ad Galat. 4. 9. & alibi paſſim. *Secundum* etiam *membrum* falſum eſt, cum articulo nomen illud non deſignare Deos falſos. Exempla contraria habentur. Act. 7. 43. Τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφάν, 2. ad Corinth. 4. 4. Ἐν οἷς ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου. ad Gal. 4. 8. utriuſque exemplum conjunctum habetur. Nam & ſummus Deus ſine articulo ponitur οὐκ εἰδότες Θεόν, & falſi Dii cum articulo ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι Θεοῖς. Vel itaque Canon ille ponitur ut *univerſalis*, & ſic falſus eſt, vel ut *particularis*, & ſic infirmus eſt.

X. Præſtat itaque diſtinctionem ſignificationum non ex articulorum vel præſentia vel abſentia metiri, ſed ex *ſubjecti* de quo agitur natura, & ex *attributis*, ſive illa ſint οὐσιώδη vel *eſſentialia*, ſive ὑποστατικὰ vel *perſonalia*, ſive ἐνεργητικὰ vel *operativa*; ſive λατρευτικὰ vel *pertinentia ad cultum*, ſive alia id genus, ex quibus facili opera dignoſci poteſt, quo ſignificatu iſtud nomen ſumatur.

XI. Ut verò nominis Θεοῦ, ſic & Κυρίου attendenda. 1. *Originatio*. 2. *Vſus*. *Originatio* ſecundùm Auctorem *Etymologici magni eſt*, ἐκ τοῦ κῦρος ὃ σημαίνει τὴν ἐξουσίαν. *Vſus* varius eſt, qui tamen ad *duas claſſes* revocari poteſt.

XII. Vel enim nomen κυρίου ſumitur πρώτως, & ſic dicitur de Deo, vel δευτέρως & ἑτοίμως, & ſic effertur de Creaturis. Illo ſignificatu deſignet, dominium tum *independens*, tum *infinitum*, ſiue *intenſiuè* ratione *juris* & ὑπεροχῆς dominij, ſiue *extenſiuè* partim ratione *latitudinis*, partim ratione *durationis* ejuſdem. Iſto ſignificatu denotat dominium tum *dependens*, tum *finitum*, ſiue *extenſiuè*, ſiue *intenſiuè*.

XIII. Circa hoc nomen impingunt etiam *Anti-Trinitarii dupliciter*, 1. Dum pro articuli vel præpoſitione, vel omiſſione modò ſummum Dominum deſignari cenſent, modò Dominos ſecundarios, illud ſine præpoſitione articuli, iſtud cum ejuſdem præpoſitione, cùm tamen ipſimet fateri cogantur, hunc canonem non *uniuerſalem* eſſe, ſed *particularem* duntaxat. Et ſanè patet, tum Patrem κύριον vocari præpoſito articulo, ut Matt. 22. 44. & Marc. 12. 29. tum filium ſine articulo, ut Matth. 7. 21. 22. & alibi paſſim. Adde, cauſæ nihil eſſe cur aliter conſideretur articuli præpoſitio vel omiſſio in voce κυρίου quam in voce Θεοῦ, cùm tamen oppoſitas hîc Anti-trinitarii velint eſſe utriuſque nominis rationes. Recurrendum itaque potius ad *naturam ſubjecti* & *attributa* ipſa διακριτικὰ æquè ac in voce Θεοῦ.

XIV. 2. Alter *Anti-Trinitariorum* error in eo conſiſtit, quod negant pernicaciter, ex voce Κυρίου, quamuis *primò abſolutè*, κατ᾽ ἐξοχὴν & ἀντονομαστικῶς Chriſto tribuatur, æternam ejus divinitatem rectè demonſtrari, cùm tamen talia de Chriſti dominio prædicata efferantur, quæ non poſſunt cadere niſi in perſonam divinam, & in æternum ac ſummum Deum. Et hoc ad *primam* diſſertationis de *Deo* partem quæ ὀνοματολογίας Dei ἴσχαφον complectitur, compendio dicta ſufficiant. Nomina alia ab *attributis* vel *operationibus* vel ἀποτελέσμασι petita ex πραγματολογίᾳ ipſa pateſcent.

DISPVTATIO
DE
S. S. TRINITATE.

Thesis I.

VT aliqua Unius Dei συνουσιῶς conſiderati notitia peti poteſt tum ex *lumine objectiuo* Naturæ, tum ex *luce ſubjectiua* conſcientiæ: Sic Dei Trinuni ſecundùm diſtinctas ὑποστάσεις agnitio nonniſi ex Dei verbo haberi poteſt. Quorum illud τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ vocari poteſt, iſtud σοφία ἡ ἐν μυστηρίῳ. Illud καταληπτόν, iſtud ἀκατάληπτον. Illud *ſecundùm*, iſtud *ſupra* rationem eſt, illud in rationem etiam, iſtud in meram revelationem reſolvi poteſt. Illud cognoſcibile viatoribus eſt & κατὰ τὸ ὅν, & κατὰ τὸ ποῖον, iſtud κατὰ τὸ ὅν duntaxat; ut verò hoc Myſterium Iudæis ſcandalum eſt, Græcis ſtultitia. Utriſque hæreſis: Sic Dei Filiorum ſapientia eſt & peculium. Adorandum itaque, non ſcrutandum, credendum, non vexandum, nec ex Finiti Entis natura vel proprietatibus metienda Entis Infiniti & primò diverſi ratio.

II. Ad hoc argumentum quod attinet, docet Dei Verbum, Naturam vel eſſentiam diuinam, quæ primò una, adeoque ſummè ſimplex eſt, competere tribus perſonis, Patri, Filio, & Spiritui Sancto incommunicabili charactere perſonali à ſe inuicem diſtinctis, adeoque Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum eſſe & *perſonas verè tales*, & *perſonas diſtinctas*, & *perſonas diuinas*, & idcirco συνουσιῶς Vnum verum Deum, in quo detur ἄλλος & ἄλλος, *alius* & *alius* ὑποστατικῶς; non ἄλλο καὶ ἄλλο, *aliud* & *aliud* συνουσιῶς.

III. Fundamentum iſtius dogmatis eſt attributio. 1. Eorundem ὀνομάτων, *nominum*, incommunicabilis præſertim τετραγράμματι יהוה Exod. 20.2. Johan.12.41. Roman.9.32. Actor.28.25. II. Eorundem ἰδιωμάτων, *proprietatum*, Pſalm. 102.27. Hebr.1.11.12. Act.1.16. III. Earundem ἐνεργειῶν *operationum*, Actor.4.v.24.25. Rom.3.verſ.24.25. Col.1.16. Actor.20.28. Job. 26.v.13. IV. Eorundem ἐνεργημάτων vel ἀποτελεσμάτων, *operum*, Eſa.44.17. Ioh. 1.18. Pſal.33.6. V. Eiuſdem λατρείας vel θρησκείας *cultus*, Matt.11.10. Heb. 1.16. 2.Corinth.13. verſ.13. quæ omnia in Dei verbo ad tres iſtas diſtinctas perſonas ex æquo referuntur, obſcurius quidem in Veteri, clarius verò in Novo Teſtam. Cui argumento palmario, quo Myſterium iſtud & Fides noſtra circa illud nituntur, & uno quidem, accedunt argumenta ducta partim à conſenſu univerſali Eccleſiæ Chriſtianæ Catholicæ,

partim ab hæreticorum innumerorum furiis & ſtrophis, quibus illi integris, aliquot à Chriſto nato ſeculis in hoc dogma ſunt graſſati. Nec ſanè Satanas tot tela in hoc Myſterium armentaſſet, niſi id pro ſacroſancta & ſalutari veritate habuiſſet.

IV. Ut verò Dei verbum perſonas iſtas convenire docet, ſic docet eaſdem etiam diſtingui. Conveniunt I. Ratione οὐσίας *eſſentia*, ſecundùm quam dicuntur, non ὁμοιούσιοι, ſed ὁμοούσιοι Iohan. 10. verſ. 30. 1. Ioh. 5. 7. quippe quæ una eademque ſingulis communis eſt, ſine ulla ſui vel multiplicatione vel diviſione, non ut *ſuperius inferioribus* quippe quæ ſummè ſingularis eſt, nec ut *totum partibus* quippe quæ ſummè ſimplex eſt, nec ut *accidens ſubjectis*, quippe quod & imperfectè entitatis eſt & *perſeitatem* non habet, ſed *analogicè*, ut res ſuis ſubſiſtentiis vel ut natura diſtinctis ſuppoſitis. Quamvis enim ejus ſingularitas communicationi obſtare videatur, non obſtat tamen niſi communicationi in ordine ad plures eſſentias, & ad plura inferiora, ejus verò & ſumma ſimplicitas & infinitas fert, ut pluribus perſonis poſſit eſſe communis indiviſè. Nec ob id concipienda eſt ex natura & ſuppoſito compoſitio, ſed diſtinctio tantùm. Nec perſonæ utut diſtinctæ, ſeparatæ ſunt, ſed ἐμμένουσαι, inter quas quippe intima datur ἐμπεριχώρησις ἐν ἀλλήλαις, per quam Filius eſt in Patre, Pater in Filio, Spiritus Sanctus in utroque. II. Ratione ἰσότητος vel ἀξίας *æqualitatis* vel *dignitatis*, Matth. 28. 19. Johan. 5. 19. 23. quæ una eademque ſingularum perſonarum *in ſe*, quamvis *œconomicè* & *appropriativè* ut diuerſa quandoque proponi videatur.

V. Diſtinguuntur verò perſonæ iſtæ I. Ab *Eſſentia*. II. A *ſe ipſis* inter ſe comparatis.

VI. *Ab Eſſentia* diſtinguuntur Perſonæ noſtro concipiendi & loquendi modo, I. Vt τρόποι ὑπάρξεως à re vel natura. II. Vt incommunicabile à communicabili. III. Vt diſtributa à non diſtributo. IV. Vt entia ſubſiſtentia *adjectivè*, ab ente *ſubſtantivo*. V. Vt relata ab abſoluto. VI. Vt concreta ab abſtracto. Quæ ipſæ tamen notiones in rigore hîc vexari non debent, ſed Myſterio huic vtcunque adumbrando ſobriè applicari. Nec verò diſtinctio iſta *realis* eſt, ſed *formalis* potius *vel modalis*, vel *rationis*, non *pura* quidem, vel *rationis ratiocinantis*, ſed *eminens* vel *rationis ratiocinatæ*, habens fundamentum in re, citra vllam etiam mentis operationem.

VII. *A ſe* invicem verò diſtinguuntur perſonæ, I. Ratione *ordinis*. II, Ratione *proprietatum* & *operationum* perſonalium. III. Ratione *modi operandi* in operibus eſſentialibus. IV. Ratione *terminorum operationum*. V. Ratione σχέσεως & *relationis mutuæ*. Quæ quidem diſtinctionem *realem* faciunt, non qualis eſt inter *rem* & *rem*, vel inter *eſſentiam* & *eſſentiam*, inter *aliud* & *aliud*, ſed qualis eſt inter *alium* & *alium*, qui τρόπῳ ὑπάρξεως vel τῷ τί *perſonali* à ſe invicem diſtinguuntur. Qui quidem τρόποι ὑπάρξεως, nec *ſubſtantiales* dici debent, nec *accidentales*, præterquam enim quod iſta Entis duntaxat finiti ſit diuiſio, *rerum* diuiſio eſt, non *modorum*. Nec illi modi *ſubſtantiales* vocari poſſunt, niſi impropriè, habita ratione *ſubjecti modificati*,

ut ita

ut ita loqui liceat, haudquaquam verò ratione *formæ* vel *quidditatis* ipſorum modorum, utut enim Perſonæ ſint *aliud & aliud ſuppoſitum*, non ſunt tamen *aliud & aliud ens.*

VIII. I. *Ratione ordinis* diſtinguuntur perſonæ, quia Pater proponitur in Scriptura, ut prima SS. Trinitatis perſona, Filius ut ſecunda, Spiritus S. ut tertia. Convellunt verò ordinem iſtum inter Orientales illi qui Spiritus S. à Filio proceſsionem negant, adeoque Spiritum Sanctum æquè ac Filium in ſecundo ordine hac ratione conſtituere coguntur. Haudquaquam verò ordinem *naturalem* perſonarum conuellit ordo *arbitrarius*, quem interdum ſequitur Scriptura. Ut enim iſte naturali non intercedit, ſic naturalis non intercedit arbitrariæ, pro re nata in Scriptura, perſonarum enumerationi.

IX. II. Diſtinguuntur etiam perſonæ *ratione proprietatum & operationum perſonalium*, quæ non communes ſunt perſonis ſingulis, ſed ſingulares. Nec magis actus perſonalis poteſt communicari alij perſonæ, quàm vna perſona poteſt fieri alia. Sic Patri tribuitur ἀγεννησία, Filio γέννησις, Spiritui verò Sancto ἐκπόρευσις. Hinc Pater dicitur αὐτογέννητος. Filius ἀγένητος quidem, ſed non ἀγέννητος, verùm γεννητός. Spiritus Sanctus ἐκπορευόμενος. Pater dicitur eſſe à ſe ipſo, Filius à Patre, Spiritus Sanctus ab vtroque. Vocantur iſtæ proprietates à Græcis ἰδιότητες χαρακτηριστικαὶ, διακριτικαὶ καὶ γνωριστικαί.

X. Dicitur verò Pater eſſe αὐτογέννητος ἀποφαντικῶς, non καταφατικῶς, hoc eſt, ἀγέννητος, aliâs enim ſui ipſius principium & ſeipſo prior foret ac poſterior: Intelligitur itaque prout hoc exprimit *Athanaſius* in Symbolo, quia nimirum ἀπ' οὐδενός ἐστι ποιητός, οὔτε μὴν κτιστός, οὐδὲ γεννητός. Id ipſum dicitur contradiſtinctè ad Filium, qui quidem non eſt nec ποιητός, nec κτιστός, γεννητὸς tamen ἀπὸ τοῦ πατρός, ut Spiritus Sanctus ἐκπορευτὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ, quamvis οὐ ποιητός, καὶ οὐ κτιστός. Et ſic ſolus Pater αὐτόθεος eſt, termino illo non ſolùm ratione *eſſentiæ*, ſed etiam ratione *Perſonæ* conſiderato, ut qui nullum principium habet nec *ortus* nec *actus*.

XI. Filius 1. Dicitur *eſſe à Patre*. 2. Eſſe à Patre *per generationem*. A Patre verò eſt non ratione *eſſentiæ*, ſed ratione *Perſonæ*, non *abſolutè* quà Deus, ſed *reduplicatiuè & relatè* quà Filius. Eadem enim αὐτουσία quæ Patris eſt, Filii etiam eſt, & iſtius ratione non minus αὐτόθεος eſt, quàm Pater. Unde illis haudquaquam dica ſcribenda, qui Filium credunt & profitentur αὐτόθεον· habita ratione *rei habitæ*, hoc eſt, οὐσίας ipſius, quippe quæ αὐτουσία, adeoque αὐτοθεότης eſt, quamuis non ratione *modi* eam *habendi*. Sic enim iſtam eſſentiam quæ αὐτοθεότης eſt, habet à Patre, adeoque αὐτόθεος intelligitur, quà habens divinam eſſentiam *à ſe ipſa exiſtentem*, non quà habens eſſentiam diuinam *à ſe ipſo*. Unde nec Pater *eſſentiator* Filij & Spiritus Sancti nec iſti *eſſentiati* dici poſſunt, quod dictione barbarum, re impium *Valentini Gentilis* dogma fuit. Sic Filius eſt Deus à ſe ipſo, etſi non ſit à ſe ipſo Filius. Hoc ſenſu Pater *principium* Filij dici poteſt, quamuis non *cauſa* cum Veteribus quibuſdam, quod ſine ſumma & periculoſa ἀκυρολογία dici non

potuit, & per meram κατάχρησιν, cauendam potius quam ſequendam, dictum fuit. Principium verò Pater Filii quà talis dicitur tum *ordinis* tum *perſonæ, reduplicatiuè* quà Pater eſt. Etſi non ſit ejus principium nec ratione eſſentiæ, nec ratione temporis. Et hoc ſenſu Filius dicitur habere à Patre ὕπαρξιν & προσωπότητα.

XII. *Modus* verò quo Filius dicitur eſſe à Patre, in Scriptura deſcribitur per *generationem*, quæ nihil aliud eſt quàm unius ejuſdemque eſſentiæ vel vitæ quæ αὐτοζωὴ eſt æterna & indiuiſibilis communicatio, Pſ.2. Ioh. 5.26. Quæ nec confundenda cum *generationibus*, ſiue *phyſicis* ſiue *metaphyſicis*, nec ex iis metienda, nec ad illas exigenda, præſcindens quippe 1. A *prioritate* & *poſterioritate* durationis. 2. A *mutatione & tranſitu à potentia ad actum*, à non eſſe ad eſſe. 3. A *diviſione* & *multiplicatione* eſſentiæ numericæ. 4. A rationibus formalibus *generationis activæ* & *paſſivæ*. 5. A *dependentia* generati à generante, & *majoritate* illius, *minoritate* iſtius. Liberanda itaque generatio iſta ab imperfectionibus & generationi *phyſicæ* adnatis, quæ & in materia fit & ex materia, & *metaphyſicæ* etiam, in qua quamvis non datur vel motus, vel prioritas, vel poſteritas durationis, datur tamen prioritas & poſterioritas naturæ, & dependentia generari à generante, deſitio etiam poſt productionem termini. Ex legibus itaque generationum naturalium argumentum ducere, ad generationem iſtam ſupernaturalem planè, impugnandam, eſt μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, & admittere *Elenchum parium*, ac παρὰ τὸ ἑπόμενον. Immò ſi oppoſitorum oppoſitæ ſint rationes, & contradiſtinctum includat negationem ſui contradiſtincti, nulla utriuſque iſtius generationis fingenda exæquatio. Unde quamuis generans phyſicum generet *à ſe* efficienter, *ex ſe* materialiter, *extra ſe* terminatiuè, tale quid de iſta Filii Dei generatione concipi non debet. Adde ſuperiores ſcientias non ex inferioribus, ſed iſtas ex illis menſuram & modum capere debere. Satis itaque nos τὸ ὅτι tenere, quod Scriptura docet, τὸ πῶς verò reſeruare iſti ſtatui, qui mera lux erit. Et ſufficit hoc animo concipere, & generationem iſtam perfectiſſimam eſſe, & terminum ejus talem, & eſſe actum indeſinentem, præſcindentem ab omni ſucceſſione. Et ſanè ſi actus perſonales finem haberent, haberent etiam principium, nec omnis poſſet in Deo negari mutatio. Sunt itaque actus tales ut in *opere* ſemper perfecti, ſic in *operatione* perpetui. Omne enim generans generat conuenienter ſuæ naturæ, æternum & infinitum æterna & infinita rationè: Et quia generatio iſta ſine ullo motu fit, quamuis genitum & ingenitum differant, interdum *ſpecie*, interdum *genere* etiam, in diuinis differunt *modo* tantùm. Nec vel generans hic *in potentia actiua* cenſeri debet, nec genitus in *potentia paſſiva*, quia ſunt coæterni. Appoſitè hîc fibulam noſtræ injicit curioſitati, *Gregorius Nazianzenus*, inquiens, Θεοῦ γέννησις σιωπῇ τιμάσθω· μέγα σοὶ τὸ μαθεῖν ὅτι γεγέννηται.

XIII. Spiritus S. dicitur eſſe 1. A Patre & Filio. 2. Ab iis eſſe per ἐκπόρευσιν vel *proceſſionem*, nec id ratione eſſentiæ, ſed perſonæ duntaxat, nam & Spiritus Sancti, οὐσία eſt αὐτοουσία & eadem planè quæ Patris & Filii, adeoque

adeoque & ipſe αὐτόθεος eſt *actu*, etſi non *ortu*, ἀγεννήτως, etſi non ἀνυποστατικῶς. Spiritum Sanctum verò & verum ὑφιστάμενον eſſe, ac ὄν, adeoque perſonam, & à Patre eſſe, ἀναντίρρητον eſt inter Chriſtianos omnes, exceptis ſolis Antitrinitariis.

XIV. A Filio verò Spiritum Sanctum eſſe negat Eccleſia Orientalis, & queritur, laciniam iſtam τὸ (ſc. πνεῦμα) ἐκ τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκπορευόμενον à Latinis Symbolo Niceno aſſutam fuiſſe: Iſti contra à Conſtantinopolitanæ Synodi Patribus id factum ſatagêre. Acriter ea de re diſceptatum inter Orientales & Occidentales ſeptimo ſeculo, regnante Pipino in Gentiliciacenſi Concilio. Eadem quæſtio agitata in Synodo Aquiſgranenſi octavo ſeculo. Nec tam actum ibi de dogmate, quàm de interpretatione Concilii Conſtantinopolitani. Recruduit lis illa decimo ſeculo, *Anſelmo* Cantuarienſi Archiepiſcopo cauſam iſtam acriter contra Græcos urgente. Et quamvis duodecimo ſeculo ferme exeunte Occidentalibus acceſſiſſe viderentur Græci in Concilio Lugdunenſi, omnia tamen à Græcis paulo poſt reſciſſa fuêre. Certum, in Concilio Florentino celebrato Anno CIↃ CCCC XXXIX. Imperatore & Patriarcha Conſtantinopolitano conſentientibus, litis iſtius temperamentum quæſitum fuiſſe, ut ſtatueretur Spiritum Sanctum à Patre per Filium procedere, negari tamen non debet, ab iſta tranſactione reſiliiſſe Orientales, & in ſua ſententia ad noſtra uſque tempora acriter perſtare.

XV. Juſtiſſimè verò iſtam proceſſionem Spiritus S. à Patre, & Filio in Eccleſiis noſtris doceri, patet. 1. Quia Joh. 16. 13. 14. 15. Spiritus S. dicitur *audire* & *accipere* à Filio; Ergo eſt à Filio. Vt enim Filius dicitur eſſe à Patre, quia audit à Patre, ſic & Spiritus S. debet dici eſſe à Filio, quia audit à Filio. Et quum in divinis eſſe ab aliquo, & audire ab aliquo neceſſario ſit unum & idem, ob ſummam rerum divinarum ſimplicitatem, omnis accidentis expertem, (audire enim eſt accipere ſapientiam, quæ ſapientia idem eſt quod eſſe divinum) eo ipſo ſane quo Spiritus S. audit à Filio, eſt à Filio. Et ſi aliud eſt audire à Filio, quàm eſſe à Filio, vel eſt *perfectio*, vel *imperfectio*. Si *imperfectio*, Spiritus S. deſinet eſſe Deus, quippe qui debet habere eminenter omnem perfectionem: Si *perfectio*, vel eam habet ab æterno per proceſſionem à Filio, vel in tempore. Si prius, procedit à Filio: Si poſterius: Ergo cœpit eſſe aliqua perfectio in Spiritu Sancto quæ ante in ipſo non fuit, adeoque ipſius eſſentia non fuit antè ſummè perfecta. Et iſta perfectio eſt vel οὐσιώδης, & ſic idem eſt quod οὐσία ejus, vel dabitur aliquid οὐσιῶδες in eo diſtinctum ab οὐσίᾳ, adeoque non erit ſummè ſimplex. Sin ſit quid ἐπουσιῶδες, dabitur accidens in Spiritu Sancto: Audire etiam Spiritum Sanctum à Filio oportet, quia mittitur à Filio, miſſus verò audit à mittente. 2. Spiritus Sanct. *loquitur à Filio*, ergo eſt à Filio. Sicut Filius loquitur à Patre, quia eſt à Patre, ſic & Spiritus Sanctus eſt à Filio, quia loquitur à Filio, Johan. 6. 19. & 8. 28. Loqui etiam ab aliquo infert relationem ad alium, & quidem ut ad anteriorem non *tempore*, ſed *ordine exiſtendi*. Et quum in divinis idem ſit ordo operandi qui

exiſtendi, qui non à ſe operatur, ſed à Filio, etiam eſt à Filio. Unde Pater nunquam dicitur loqui à Filio vel à Spiritu S. nec Filius à Spiritu S. quia nec Pater eſt à Filio vel Spiritu Sancto nec Filius ab iſto. Ergo quia Spiritus S. dicitur loqui à Patre & à Filio, meritò dicitur procedere ab utroque. 3. Sic omnia quæ Pater habet, Filius etiam habet. 4. Tolleretur & ordo & nexus intimus inter perſonas S. Trinitatis. Quæ argumenta etiam dilatari, & illis argumenta alia varia addi poſſent.

XVI. *Modus* quo Spiritus Sanctus à Patre & à Filio eſt, deſcribitur per ἐκπόρευσιν vel per *proceſſionem*, qui adorandus potius quàm ſcrutandus, nec vel ſuper ratione diſtinctionis generationis & proceſſionis argutandum, nec in ἐκπορεύσεως nomenclatione quærenda peculiaris ratio, quum & Filio tribuatur Ἔξοδος & Ἔκλαμψις, nec generationis & proceſſionis rationes exigendæ ad productiones Intellectus & Voluntatis, quę rem implicant potius quàm explicant. Certum, proceſſionem iſtam nec eſſe mutationem à nō eſſe *negativo* ad eſſe poſitivum, nec à *privatione* ad *habitum*, nec ab imperfecto ad perfectum, ſed eſſentiæ ejuſdem indiviſibilem communicationem. *Deſcribi* poteſt, quod ſit modus communicationis eſſentiæ diuinæ, quo tertia perſona Trinitatis à Patre & Filio eandem eſſentiam habet, quam & Pater habet & Filius. Si tamen hîc balbutire liceat, dici poteſt, generationem Filii eſſe communicationem talem eſſentiæ divinæ, ut per eam perſona quæ generatur accipiat proprietatem communicandi alteri perſonæ eandem naturam, at proceſſio Spiritus Sancti eſt talis communicatio eſſentiæ divinæ, ut tamen perſona quæ procedit non accipiat proprietatem communicandi eſſentiam iſtam alteri perſonæ. Sic *Auguſtinus*. Eſt differentia inter generationem & proceſſionem, ſed ego diſtinguere neſciò, quia utrumque inenarrabile. Sic quævis generatio eſt proceſſio quædam, ſed non contra. Et Pater ad Filium habet rationem Patris vel generantis, ad Spiritum rationem ſpirantis. Diſtinguenda etiam interna & æterna iſta Spiritus Sancti proceſſio à proceſſione externa & tranſeunte quæ terminatur ad creaturas, vel à miſſione ejus temporaria.

XVII. III. Diſtinguendæ perſonæ ratione *modi operandi*, ſequitur verò is modum exiſtendi. Ut itaque Pater à ſe ipſo eſt, ſic à ſe ipſo operatur, ut Filius eſt à Patre, ſic operatur à Patre, Joh. 5. 19. ut Spiritus S. eſt à Patre & Filio, ſic operatur ab utroque; & ut Filius & Spiritus Sanctus ſunt à Patre, ſic Pater operatur per Filium & Spiritum Sanctum, Joh. 1. 3. Col. 1. 16. Hebr. 1. 2. & ut Spiritus S. eſt à Filio, ſic Filius operatur per Spiritum Sanctum non contra, Johan. 15. 26. Quamvis itaque *opera ad extra* dicantur indiviſa & communia ex æquo perſonis ſingulis, tum ratione *principii operationis*, tum ratione ἐνεργείας, tum ratione ἀποτελέσματος: *modus* tamen *operandi* diverſarum perſonarum diverſus eſt. Et ſanè, ut principium operum perſonalium eſt perſona ſecundùm ſuam propriam relationem operans, ſic principium operum eſſentialium eſt eſſentia divina communiter ad omnes perſonas ſe habens.

XVIII. IV. Diſtinguuntur perſonæ ratione *terminorum* operationum. Vtut itaque opera *ad extra* ſint communia tribus perſonis, & ex parte *principii* operandi & ex parte ipſarum *operationum*, ſingularia tamen ſunt ex parte *terminationis*. Sic Vox è cœlo audita, Matt.3.& 17. terminatur ad Patrem, Incarnatio terminatur ad Filium, 1.Tim.3.16. Apparitio ſub ſpecie Columbæ terminatur ad Spiritum Sanctum, Matt.3.16.

XIX. Diſtinguuntur etiam Perſonę conſequenter *relationibus*, ut enim unicuique perſonæ peculiaris eſt ſubſiſtentia, peculiaris proprietas, ſic & peculiaris ſingulis eſt relatio, quæ non ſunt *principia conſtitutiva* perſonarum, ſed earum *notificativa* tantùm: Nec Relationes componunt ſed diſtinguunt tantùm. Vocantur à quibuſdam notiones ſubſtantiales eſſentiam modificantes. Sic Paternitas nobis notificat primam perſonam Trinitatis, Filiatio ſecundam, Proceſſio tertiam. Et quamvis in Patre dentur relationes duæ Paternitas & Spiratio, Pater tamen non diſtinguitur in Perſonas duas, quia Paternitas & Spiratio in Patre non ſunt relationes oppoſitæ, ſolæ verò illæ relationes in hoc myſterio diſtinctionem faciunt quæ ſunt oppoſitæ. Adde Spirationem Spiritus Sancti eſſe communem Patri & Filio, unde proprietas characteriſtica Patris eſſe nequit. Sic ἀγεννησία non debet ſtatui proprietas characteriſtica Spiritus Sancti, quia illi potius perſonæ tribui debet quæ prorſus ἄναρχος eſt, & ratione eſſentiæ & ratione perſonæ. Adde ἐκπόρευσιν & ἀγεννησίαν de una perſona minus commodè efferri.

XX. Diſtinguendæ verò ſeriò trium perſonarum characteriſticæ proprietates, vel *actus notionales*, ut potentia gignendi, potentia ſpirandi, ab *attributis eſſentialibus*, & δεικτικῶς, à potentia activa Dei, quæ communis eſt ſingulis perſonis, & refertur propriè ad actum per quem producitur vel ἄλλο vel ὅμοιόν τι ἑαυτῷ.

XXI. Quæ diſtinctiones omnes haudquaquam intercedunt vel unitati eſſentiæ divinæ, vel ejus ſimplicitati, nec enim vel eſſentia componitur ex perſonis, quippe quæ nec natura nec ordine ea ſunt priores, & quæ ſingulæ totam eſſentiam habent, nec perſonæ dici poſſunt compoſitæ ex eſſentia, quia nec iſta prior eſt perſonis, nec realiter differt à perſonis. Nec eſſentia cum modo ſubſiſtendi compoſitionem inducit, ſed diſtinctionem tantùm, & modificare dicitur eſſentiam non multiplicare. Adde modum hîc impropriè ſumi, quippe qui ordinariè poſterior eſt ſubjecto quod modificat, hîc non item. Nec tres perſonæ tres Deos conſtituunt, ut tres perſonæ finitæ tres homines, quia in diverſis ſuppoſitis humanis tres ſubſternuntur humanitates, vel eſſentiæ numero diverſæ, in divinis una tantùm numero eſſentia, quæ utut ſummè ſingularis ſit, communicabilis tamen eſt, adeoque hactenus in prædicatione velut naturam univerſalis induit, nec complectè diſtribuitur in una perſona. Hinc etiam nomen Dei aliter prædicatur de omnibus perſonis conjunctim, aliter de ſingulis ſigillatim. De omnibus quidem prædicatur *indeterminatè*, de ſingulis *determinatè*, ut Deus intelligatur vel quà gignens, vel

quà genitus, vel quà procedens. Et Trinitatis vox de ſingulis perſonis enuntiata non ſignificat trium unitatum eſſentialium collectionem, ſed trium ſuppoſitorum unitatem eſſentialem, adeoque Deus *trinus* eſt non *triplex*, & trinus συνυπάρξει non συνθέσει. Et quamvis verus Deus ſit Trinitas, tamen non quidquid eſt verus Deus, eſt Trinitas, ſed vel Trinitas, vel aliqua ejus perſona. De hoc myſterio piè olim *Gregorius Nazianzenus* homilia de Baptiſmo: οὐ φθάνω τὸ ἓν νοῆσαι, καὶ τοῖς τρισὶ περιλάμπομαι· οὐ φθάνω τὰ τρία διελεῖν, καὶ εἰς τὸ ἓν ἀναφέρομαι. Myſterium itaque iſtud manet nobis Myſterium in *via*, quæ noſtra hîc eſt infirmitas, ut qui Deum concipimus, *quales ſumus* non *qualis eſt*, & recepti perfectionem aſſequimur pro recipientis infirmitate. Ut verò ἀνεξερεύνητον nobis eſt & ἀκατάληπτον: ſic etiam eſt ἄῤῥητον & ἄφραστον. Et verè hîc locum habet quod *Tatianus* jam olim dixit, τὸ τῆς ὑποστάσεως ἐστὶν ἀνώτερον τῆς κοσμικῆς καταλήψεως. Et huc applicandum *Auguſtini* dictum, ſi ad ullum argumentum aliud; *Diſputare vis mecum, mirare & exclama, ô altitudo! Ambo conſentiamus in pavore, ne pereamus in errore.* Venerandum itaque, non ſcrutandum quomodo pluralitas in ſe unitate, & unitas in pluralitate; Hoc ſcrutari temeritatis eſt, credere pietatis, noſſe verò vita æterna, ut bene *Bernardus*.

XXII. Damnamus *in genere* omnes *Antitrinitarios* veteres & recentes. *In ſpecie*, 1. Illos qui cum *Sabellio* ut unam eſſentiam ſic unam perſonam ſtatuêre, quæ alio & alio reſpectu jam Patris, jam Filii, jam Spiritus induat nomen. Quam hæreſin recoxit *Michael Servetus*, portentum hominis à furiis conflatum, qui perſonæ nomen veluti in theatro intelligi debere cenſuit, de eodem ſuppoſito diverſas ſæpe repræſentante perſonas. 2. *Tritheitas*, qui ex tribus perſonis tres conflarunt eſſentias, unam *eſſentiantem*, duas *eſſentiatas*. Quam blaſphemiam repoſuit ſuperiori ſeculo *Valentinus Gentilis*. 3. *Arianos*, qui Dei Filium converterunt in ſpiritum creatum Patri ὁμοιούσιον non ὁμοούσιον creaturis quidem aliis omnibus anteriorem, creaturam tamen. 4. *Samoſatenianos*, & *Photinianos*, qui Filium Dei ψιλὸν ἄνθρωπον contenderunt, quibus ſuccollat hodieque infauſti *Socini* gurguſtium. 5. Πνευματομάχους omnes, qui vel perſonalitatem Spiritus S. deſtructum ivêre, vel perſonalitatem ejus divinam, & eum in donum vel affectum, vel inſtinctum divinum duntaxat hodieque convertunt. 6. *VVeigeliana* portenta ſuper natura divina, velut corporea. 7. *Anabaptiſtarum* quorundam deliria, tres eſſentias divinas fingentium, quæ ita à ſe invicem ſeparari poſſint, ut una poſſit eſſe in cœlo, etſi reliquæ ſolùm ſint in terra. 8. Vel profana, vel anxia ingenia, quæ hic argutationibus carnalibus ſibi aliiſque crucem figunt, & pluſquam Oceanum concha ſua metiuntur. Et ſanè dum homines id genus ſuæ velificantur libidini, faſtui ſuo, & revelationem cœleſtem ludibrio habent, ipſi ludibrium omnibus tandem debent, & in juſtum præcipitant exitium. Quod horum curioſis non ſemel contigit, quorum exitus ſine horrore cogitari non poteſt.

DIS-

DISPVTATIO
DE
ATTRIBVTIS DEI IN GENERE.

Thesis I.

OCcupanda nobis ex ordine conſideratio *attributorum* divinorum, quæ concipiuntur velut quid ditativa Dei prædicata, ex quibus natura ejus pateſcit, & per quæ nobis declaratur. Diſtingui poſſunt à *Nominibus* Dei, quæ etiam Deo attribui dicuntur, quod illa velut *ὀνομαστικὰ* Dei prædicata vocari poſſint, iſta verò *πραγματικὰ*, & quod iſta *fundamenta* ſint illorum, illa *denominationes* ex his fundamentis deductæ.

II. Attributorum verò Dei conſideratio duplex eſt, *generalis* una, *ſpecialis* altera; illa ad tres quæſtiones revocari poteſt. 1. *An* dentur attributa Dei. 2. *Quid ſint* iſta attributa, & qualiter à nobis intelligenda. 3. *Quæ* ſint potiſſimæ iſtorum *attributorum diſtinctiones.*

III. Quæſtionem *primam* expedimus, 1. *Diſtinctione*, 2. Ejus *applicatione*. *Diſtinctio* eſt, attributa dici vel *primò* ſive *propriè*, vel *tranſſumptive*: illo ſignificatu, attributa ſunt paſſiones vel affectiones ſuorum ſubjectorum realiter ab iis diſtinctæ: iſto ſunt perfectiones quædam, quæ per modum attributorum, vel affectionum à nobis concipiuntur, & efferuntur. *Applicatio* diſtinctionis eſt, attributa Deo *primo* ſignificatu non convenire, ſed *ſecundo* duntaxat, quum perfectiones iſtæ realem habeant identitatem cum ipſo Deo.

IV. Hoc verò ſenſu attributa Deo adſcribimus, tum quia Scriptura talia de Deo enuntiat, tum quia perfectiones, attributis iſtis expreſſæ revera Deo conveniunt, *κατὰ πρᾶγμα*. Meritò verò attributa vocantur, quia tribuuntur Deo, non inſunt, ſunt enim idem cum eo cui tribuuntur, etſi pro imbecillitate conceptus noſtri inadæquati & compoſiti à Deo diſtinguantur.

V. Quæſtionem *ſecundam* decidimus, 1. *κατ' ἄρσιν*, oſtendendo, *quid non ſint* attributa Dei, 2. *κατὰ θέσιν*, docendo *quid ſint*.

VI. *Κατ' ἄρσιν*. 1. Attributa Dei non ſunt plura *πραγματικῶς* & *ἔσωθεν*, ſed una duntaxat perfectio, eminentiſſimo modo omnes alias in ſe comprehendens, quamvis *ὀνομαστικῶς*, & *ἔξωθεν* iſta perfectio *per modum* plurium attributorum de Deo efferatur.

VII. 2. Attributa Dei non ſunt ἐπουσιώδη ſive *accidentalia*, qualia ſunt in creaturis in quibus præſupponunt eſſentiam illius, cui attribuuntur, & eam accidentaliter perficiunt. At Deus 1. Accidentia habere nequit, nec ea in Deo ſine imperfectione & æternitatis ac ſimplicitatis divinæ everſione ſtatui poſſunt. 2. Deus non poteſt perfici per aliquid à ſua eſſentia diverſum, ſic enim in ſe ſummè perfectus non eſſet.

VIII. 3. Attributa Dei non ſunt adæquati conceptus eſſentiæ divinæ. Per unum enim attributum una perfectio in Deo concipitur *formaliter* & diſtinctè, per aliud alia; ſic aliam ſibi perfectionem repræſentat intellectus noſter per miſericordiam, quàm per juſtitiam: per ſapientiam, quàm per potentiam, tametſi *fundamentaliter* identificentur inter ſe.

IX. 4. Attributa divina non ſolùm non *realiter* diſtinguuntur ab eſſentia divina, ſed nec inter ſe. *Non ab eſſentia*, tum quia perficeretur per aliquid realiter à ſe diſtinctum, adeoque in ſe ſummè perfecta non foret, tum quia ſingula in ſuo conceptu eſſentiam implicant, & eam ſub certa perfectione ut certo *formali*, quamvis *inadæquatè* repræſentant. Hinc bene dictum, Deum non alio magnum, alio Deum eſſe, ſed eo magnum eſſe, quo Deum, quia non eſt illi aliud magnum eſſe, aliud Deum eſſe, quum eadem ſit ejus magnitudo, quæ virtus, & eadem eſſentia quæ magnitudo. *Nec à ſe invicem* diſtinguuntur *realiter*: Quia in Deo daretur ἄλλο καὶ ἄλλο *aliud & aliud*, & ſumma naturæ divinæ everteretur ſimplicitas. Hinc in Deo non eſt aliud, fortem, juſtum, ſapientem eſſe, Eadem itaque πραγματικῶς & ἔσωθεν Dei fortitudo, juſtitia & ſapientia, quamvis diſtinguantur à ſe invicem νοηματικῶς σχετικῶς & ἔξωθεν, ſive habita ratione ἐνεργείας, vel *operationis*, ſive ἀποτελεσμάτων ad eam conſequentium.

X. Hanc identitatem attributorum Dei tum cum eſſentia divina, tum inter ſe, probat egregiè genus prædicationum, quod in Scriptura uſitatum, in qua non *in concreto*, duntaxat attributa efferuntur de Deo, ſed etiam *in abſtracto*, nec in *caſibus* duntaxat obliquis, ſed in *recto* etiam. Et ſanè eo ipſo creaturæ attributa habent tum ab eſſentia ſua, tum à ſe invicem diverſa, quia ſunt entia compoſita & dependentia, habentia eſſe per *participationem*, id ipſum verò nec concipi debet in Deo, nec poteſt ſine infinitatis, unitatis & ſimplicitatis divinæ perfectiſſimæ everſione, ubi enim differentia intrinſeca eſt rei & rei, ibi eſt pluralitas & oppoſitio. Et ſi omne contradiſtinctum includit negationem ſui contradiſtincti, magis ratio talis eſt illorum, quæ primò diverſa ſunt.

XI. Identitas vero iſta non evertit diſtinctionem omnem attributorum à ſe invicem, quamvis enim πραγματικῶς & *fundamentaliter* idem ſint ſub πολυωνυμίᾳ, diſtingui tamen ſolent tum νοηματικῶς quoad conceptum formalem diverſum, tum *objectivè*, tum *effectivè*. Immò & oppoſita quandoque de attributis illis enuntiantur, dum quædam *affirmativè* efferuntur, quædam *negativè*, quædam ab æterno Deo propria fuêre quædam in temp[illegible] ei competere cœpêre, v. g. denominatio creatoris, &c. ſine ulla [illegible] nova naturæ divinæ perfectione.

Κατὰ

XII. *Κατὰ θέσιν*, Attributa ſunt ipſa Dei eſſentia per plures *inadæquatos conceptus* nobis repræſentata. Sic infinitas non eſt carentia termini, ſed ipſa eſſentia divina apprehenſa ut carens omni termino & finitione; Sic omnipotentia eſt ipſa eſſentia Dei apprehenſa ut carens omni obſtaculo in agendo, & æternitas eſt ipſa eſſentia Dei, ut carens omni termino in durando, & ſic de aliis. Repræſentari verò dicitur eſſentia divina per attributa, ut per plures inadæquatos conceptus, tum quia alioquin eſſent vocabula planè *ſynonima*, ſi eſſentiam divinam eodem planè modo per omnia repræſentarent, tum quia alium conceptum formalem ſibi format intellectus noſter concipiendo juſtitam, alium concipiendo miſericordiam. Et ſanè perfectio divinæ naturæ una planè eſt & ſummè ſimplex, prout bene dictum, illa ſumma natura tota bona eſt, nec tamen compoſita ex pluribus bonis, nec in ea ſunt plura bona, ſed unum bonum pluribus nominibus ſignificatum, & id eſt quodlibet illorum bonorum, quod ſunt omnia ſimul; non objicitur tamen intellectui noſtro ſub ſingulis attributis *adæquatè*, vel ſecundùm totam rationem ſui, ſed modò ſub hac perfectione hoc attributo expreſſa, modò ſub alia.

XIII. Obſervandum tamen, inadæquatos illos conceptus eſſentiæ divinæ nobis objici, per modum *præciſionis* ſimplicis, vel per *abſtractionem præciſivam*, non verò per *excluſionem*, nec ob id multitudinem rerum in natura divina ſtatui *à parte rei*, quaſi attributa iſta multa forent *ὄντως* & *realiter*, ſed tantùm ex *parte conceptus noſtri*, qui occaſionem ex diſtinctione operationum & *ἀποτελεσμάτων* ſumit ea diſtinctè concipiendi, quæ *fundamentaliter*, & in ipſo Deo ſunt ſummè unum, etſi *eminenter*, & *virtualiter* ſe exerant per multa & in multis.

XIV. *Quæſtionem tertiam* ſic expedimus: Diſtingui poſſunt attributa divina. 1. In *abſoluta*, quæ non dicunt reſpectum ad aliud, talia attributa ſunt æternitas, infinitas & id genus alia: *Et reſpectiva*, quæ reſpectum dicunt ad aliud, qualia ſunt juſtitia, miſericordia, creatoris item & Domini denominationes.

XV. 2. Diſtinguuntur in *affirmativa*, vel *poſitiva*, quæ terminis affirmativis perfectionem aliquam de Deo enuntiant qualia ſunt, omniſcientia, omnipotentia, bonitas: Et in *negativa*, quæ terminis negativis imperfectionem aliquam de Deo removent, qualia ſunt, infinitas, incomprehenſibilitas, inviſibilitas, immortalitas & alia id genus.

XVI. 3. Diſtinguuntur attributa in *propria*, quæ Deo primò competunt, ſecundariò creaturis, ut bonitas, juſtitia. Et in *figurata* vel *impropria*, quæ primò competunt creaturis, ſecundariò verò de Deo efferuntur, ut pœnitentia, triſtitia, & alia id genus, quæ *ἀνθρωποπαθῶς* de Deo dicta *θεοπρεπῶς* ſunt intelligenda.

XVII. 4. Diſtinguuntur attributa in *ἐνεργητικὰ* vel *operativa*, quæ concipiuntur per modum perfectionis ſe exerentis ad extra, qualia ſunt potentia, juſtitia, miſericordia. Et in *ἀνενέργητα* vel *nonoperativa*, iſta, quæ concipiuntur per modum perfectionis non exerentis ſe ad extra, qualia

ſunt æternitas, ſimplicitas, &c. quæ tamen diſtinctio haudquaquam eo ſenſu adhiberi debet, quaſi quædam ex iſtis attributis, ἐνεργητικὰ nimirum communicari poſſint naturæ humanæ Chriſti, non communicatis aliis, quæ vocantur ἀνενέργητα. Nec enim unum communicari poteſt, quin communicentur omnia, propter ſummam eorum identitatem.

XVIII. 5. Diſtinguuntur tandem attributa in *incommunicabilia*, & *communicabilia*, non ſenſu jam modò à nobis negato, quaſi alia ex attributis communicentur creaturæ, alia non item, ſed alio ſenſu, quatenus effecta analoga quibuſdam attributis reperiuntur in creaturis, aliorum verò haudquaquam. Sic verbi gratia, bonitas, ſapientia, juſtitia attribuuntur etiam creaturis; independentia verò, æternitas, immenſitas, infinitas, & quæ ſunt alia id genus nulli creaturæ tribui vel debent, vel poſſunt, quin implicetur contradictio in *adjecto*, & ſtatuatur *oppoſitum* in *appoſito*. Nec talium attributorum datur effectum *analogum*, vel dari poteſt.

DIS-

DISPVTATIO
DE
ATTRIBVTIS DEI incommunicabilibus in ſpecie.

THESIS I.

ACTUM Diſputatione ſuperiore de *Attributis* Dei *in genere*, quæ diſtributa fuère in *incommunicabilia* & in *communicabilia*. Sequitur diſquiſitio de *attributis* Dei *incommunicabilibus in ſpecie.*

II. Ἐξβχαεία horum attributorum revocari poteſt ad duo capita. 1. Ad Quæſtionem, *An ſint* talia. 2. Ad Quæſtionem, *Quæ* & *quot ſint.*

III. Quæſtio, *An ſint* talia, decidi poteſt ex collatione naturæ creatæ cum increata, ex qua patet, quaſdam in iſta perfectiones reperiri, quæ non ſolùm in illa non reperiuntur, ſed nec reperiri poſſunt ſine *contradictione in adjecto*, ſive *formaliter*, ſive *analogicè* etiam, quales ſunt, v.g. ſimplicitas, & infinitas naturæ divinæ. Nec enim conceptus aliquis communis abſtrahi à talibus poteſt, in quo ulla ratione conueniat natura creata cum increata. Hinc ἀντονομαστικῶς & ἐξόχως proprietates Dei vocari ſolent, quippe quæ verè & omni modo tales ſunt.

IV. Quæſtio, *Quæ* & *Quot* ſint attributa incommunicabilia, decidi itidem poteſt ex collatione naturæ utriuſque creatæ & increatæ, ex qua conſtabit, quæ & quot perfectiones efferantur in Scriptura de natura increata, quæ tamen de creata haudquaquam efferri poſſunt. Revocantur verò Attributa illa commodè. 1. Ad ea quæ efferuntur à nobis θετικῶς & καταφατικῶς, vel *poſitivè*. 2. Ad ea quæ efferuntur à nobis ἀφαιρετικῶς, vel ἀποφατικῶς, ſive *negatiuè*. Prioris ordinis ſunt, *Simplicitas* & *Perfectio*; Poſterioris, *Infinitas*, ad quam refertur *æternitas* & *immenſitas.*

V. *Simplicitas* Dei eſt attributum ejus incommunicabile, per quod Natura diuina à nobis concipitur non ſolùm ut expers omnis *compoſitionis* & *diviſionis*, ſed etiam ut incapax abſolutè omnis *componibilitatis* & *diviſibilitatis*: Nec *componibilitas* ſolùm *ex aliis*. ſed & *cum aliis* præſcindit à naturæ diuinæ perfectione, ut liceat nobis hic βαρβαρίζειν.

VI. Simplicitas Dei probari poteſt tum *authoritativè*, tum *ratiocinativè*.

Authoritative, 1. A primitate Dei, quia Deus eſt primum Ens abſolutè, Rom. 11. 36. Apoc. 1. 17. & 2. 8. & 22. 1. Omne verò compoſitum poſterius eſt vel tempore, vel natura ſaltem iis ex quibus componitur. 2. Ab *αὐτουσίᾳ* Dei: Deus eſt eſſentia ſua: Eſt enim Jehova & אהיה אשר אהיה Exod. 3. verſ. 14. Ὁ *ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος*, Apoc. 1. 4. idque non diuiſim, ſed conjunctim, & ſimul, quod ſummam Dei ſimplicitatem arguit *à parte rei*. 3. Ab attributione promiſcua nominum & *concretivorum* & *abſtractivorum*, quæ in Scriptura reperitur, quippe quæ Deum promiſcuè repræſentat, & viuentem & vitam, & ſapientem & ſapientiam, item charitatem, 1. Ioh. 4. 16. & lucem, Ioh. 1. 9. & quæ ſunt alia id genus. *Ratiocinative* idem Dei attributum probatur. 1. Ex æternitate Dei abſoluta & omnimoda quæ repugnat compoſitioni. 2. Ex independentia ejus totali. 3. Ex *ἀπαγωγῇ* omnium modorum compoſitionis, ſiue craſſiorum, ſiue ſubtiliorum etiam, eorumque à Deo remotione. Et ſanè Deo nec *Phyſica* compoſitio competit ſive *eſſentialis* ex materia & forma, ſiue *integralis* ex partibus integrantibus, nec *Logica*, vel ex genere & differentia, vel ex ſubjecto & accidente, vel *Metaphyſica* ſiue ex actu & potentia, ſiue ex eſſe & eſſentia, ſiue ex natura & ſuppoſito. Repugnat enim eſſentiæ divinæ perfectioni, ut habeat aliquid perfectibile, & aliquid perfectivum, vel aliquid carens actualitate & actuabile, imò repugnat in eo *ἔσωθεν* dari aliquid & aliquid. Vnde optimo jure dicitur etiam *αὐταυτός*.

VII. Peccant itaque grauiter. 1. *Manichei*, qui eſſentiam Dei cenſebant eſſe materiam rerum quarundam creatarum. 2. *Photinians* veteres & recentes, dum 1. Negant vel ſimplicitatem eſſe attributum Dei, vel in Scriptura ſacra doceri. 2. Dum juſtitiam & miſericordiam ut qualitates in Deo contrarias concipiunt. 3. *Conradus Vorſtius*, dum & corpus aliquo modo Deo tribui poſſe cenſet, & compoſitionem aliquam ex ſubjecto & accidentibus, partim ob decreta varia, partim ob affectus diuerſos, qui Deo tribuuntur, velut *ἔσωθεν*, partim ob actiones Dei varias, partim ob cultum & offenſam, quæ ad Deum referuntur *ἔξωθεν*.

VIII. *Perfectio* eſt Attributum Dei incommunicabile, per quod natura divina à nobis concipitur, ut ſummè perfecta, & omnem perfectionis plenitudinem perfectiſſimo modo *in ſe* & *à ſe* habens, & ſibi ad perfectam beatitatem omnimodo ſufficiens, adeoque nec ullius indiga, nec vel perfectibilitatis, vel perfectionis ſuſceptiua, nec vel defectus capax vel profectus. Hoc attributum Scriptura ſacra exprimit, dum Deum vocat שדי Gen. 17. 1. quod propriè eſt *αὐτάρκης*, vel potius *αὐταρκέστατος*, & quod LXX. reddunt per *ἱκανὸν* & *Παντοκράτωρ*. Perfectio iſta impropriè per *τελειότητα* exprimitur, quippe quæ intrinſecè finitudinem aliquam implicat, conuenientius verò per *αὐτοτελειότητα*. Tribuenda verò omnimoda perfectio Deo tum *οὐσιωδῶς*, tum *ἐνεργητικῶς*, tum *κτητικῶς*. Nec à Deo duntaxat removenda imperfectio *privativa*, ſed & *negativa*, nec ei tribuendæ tantùm perfectiones *ſecundùm quid*, ſed perfectio in tota ſua latitudine *ſimpliciter* & *abſolutè*, continens omnem perfectionem creatam vel *virtualiter* vel *eminenter*. Hinc

ter. Hinc etiam ſimpliciter Deus *indefectibilis* eſt, nec *ab intrinſeco* ſolùm talis, ut Angeli & animæ rationales, ſed etiam *ab extrinſeco*, quia perfectionem ſuam amittere ab ulla cauſa nequit, non magis quàm eſſe ſuum, ut quod ſummè cum eo identificatur. Hinc ſub iſto perfectionis attributo concipitur Dei *immutabilitas*, quippe qui nec *in melius* mutari poteſt, quin negetur abſoluta ejus perfectio *antecedenter*, nec in *deterius*, quin negetur *conſequenter*, adeoque quin utrobique ſtatuatur *oppoſitum in appoſito*. Ob id etiam Deus dicitur ſolus habere ἀθανασίαν *immortalitatem*, 2.Tim.2.16. quia vita Dei & indefectibilis omnimodo & independens eſt, & idem quod eſſe Dei.

IX. Perfectioni iſti Dei intercedunt, 1. *Antitrinitarii* veteres & recentes, qui vel ſimplicitatem Dei in dubium vocant, vel αὐτοθεότητα filii Dei; vel per cultum Deo aliquid accedere credunt. 2. *Conradus Vorſtius*, variis de Deo effatis, quæ cum ejus perfectione conſiſtere nequeunt, v. g. dum mutabilitatem decretis Dei affingit, & Deo quantitatem aliquam, & finitudinem eſſentialem. 3. Doctrina *Pontificiorum* de operibus *meritoriis*, quaſi per ea Deus vel obnoxius fieret, vel obnoxius fieri poſſet homini.

X. *Infinitas* eſt attributum Dei incommunicabile, per quod natura diuina concipitur à nobis, ut carens omni termino, vel omni terminatione tum *eſſentiæ*, tum *durationis*, tum *circumſcriptionis*. Conuenit itaque notio iſta Deo non *privativè* ut rebus quibuſdam, quæ interminatæ ſunt κατά τι, ſed *negativè*, quatenus nec actu terminos ullos habet, nec habere poteſt, nec in *eſſendo*, nec in *exiſtendo*, nec in *durando*. Hanc infinitatem Scriptura docet, dum Deum vocat abſolutè גדול, & docet magnitudinis Dei nullum eſſe finem, Pſal. 145. 3.

XI. Eſt verò Deus infinitus. 1. Ratione *eſſentiæ ſuæ*, tum *originaliter*, quia independens eſt abſolutè, quippe qui nihil ſe vel ſuperius vel prius nec habet, nec habere poteſt, tum *formaliter*, quia eſſentiam habet ἄπειρον non ἀόριστον, quæ non *actu* tantum infinita eſt in *caſu obliquo*. ſed etiam *actus* infinitus *in recto*, tum *virtualiter*. quia omnia producere poteſt quæ vult, nec ſphæram ullam certæ actiuitatis habet, & quia nullo concurſu ullius cauſæ eget in agendo, & quia independenter plane agit, nec obſtaculum in agendo habere poteſt, & quamuis non producat *effectum infinitum*, quippe qui producibilis non eſt ſine *contradictione in adjecto*, producit tamen vel agit *modo infinito*, adeoque quæ infinitas non poteſt reperiri in *termino*, propter incompoſſibilitatem & repugnantiam, illa reperitur in ipſo *agendi modo*.

XII. Iſti infinitati eſſentiali Dei olim interceſsêre *Manichæi*, qui Dei eſſentiam per creaturas ſparſam cenſuêre: & intercedunt hodieque directè *Sociniani* & *Vorſtius*; indirectè *Remonſtrantes*, dum infinitatem δυνάμεως & ἐνεργείας Deo adſcribunt, infinitatem verò eſſentiæ vel tollunt vel in dubium ſaltem vocant.

XIII. Deus etiam infinitus eſt, 2. Ratione carentiæ omnis terminationis *in duratione*. Et hæc *infinitas* vocatur *æternitas*, quam Scriptura Deo

tribuit, Pſal.90.2. & 102.13. &c. Convenit verò Deo non ſolum *à parte poſt*, ſed etiam *à parte ante*, quippe qui non ſolum omni modo *indefectibilis* eſt, & entitatem habet omnis defectibilitatis & mutabilitatis expertem, ſed etiam ſemper talis fuit, nec initium ſuæ perfectionis vel habuit, vel habere potuit. Præſcindit etiam æternitas iſta ab omni ſucceſſione, & fluxu partium durationis, nec tale quid ex coëxiſtentia Dei cum rebus ſucceſſivis concludi debet. Vnde duratio Dei ſimul ſemper tota eſt, & perpetuum hodie, vel *nunc* potius nec *nunc fluens* ſed *ſtans*. Hinc adſcribitur ei quod ſimul ſit ὁ ὢν, ὁ ἦν, ϗ ὁ ἐρχόμενος, Apoc.1.4. non *diviſè*, ſed *indiviſè*, non *formaliter*, ſed *eminenter*.

XIV. Iſtud etiam attributum labefactant *Sociniani*, & poſt illos *Vorſtius*, qui negant æternitatem Dei immunem eſſe ab omni ſucceſſione, & *tempus* generali aliqua notione Deo tribui poſſe cenſent. At quod ſucceſſionem in ſua duratione includit, neceſſariò etiam includit iſtius ſucceſſionis principium, quum ſucceſſio nihil aliud ſit quàm ordo ſecundùm prius & poſterius.

XV. Deus etiam infinitus eſt, 3. Ratione carentiæ omnis terminationis *localis*, vel quoad *circumſcriptionem*. Et hæc infinitas vocatur *immenſitas*, qualem Scriptura Deo tribuit, 1.Reg.8.27. Pſal.139.7.8.9. Competit verò talis Deo non tantùm ratione *virtutis* & *operationis*, ſed etiam ratione *eſſentiæ*. Eſt etiam immenſitas illa Dei non *diviſibilis*, ſed *indiviſibilis*, & tota ſimul. Immenſitas etiam illa Dei præſcindit ab omni vel *extenſione*, vel *multiplicatione*, vel *commiſtione* cum rebus aliis. *Res* itaque tenenda, quam Scriptura definit, *modus* haudquaquam definiendus, quem illa non definit.

XVI. Huic Dei attribuo intercedunt. 1. *Gentiles*, qui Deum cælo incluſum cenſuère. 2. *Sociniani*. qui omnipræſentiam eſſentialem negant, & cum iis *Vorſtius*, qui idem dogma interpolavit. 3. Illi qui πανταχουσίαν vel πολυτοπίαν carni Chriſti adſcribunt, quippe quæ inter attributa ἀκοινώνητα eſt.

XVII. Ex iſtis attributis omnibus pateſcit revera, Deum eſſe ἀκατάληπτον naturæ creatæ, & ob id finitæ, tum ratione *eſſentiæ* ſuæ, tum ratione *attributorum*, quibus nec concipiendis mens noſtra, nec deſcribendis verba ſufficiunt. Et hic præter τὰ γνωστὰ ſemper manent ἄγνωστα multa, & ea ipſa quæ γνωστὰ ſunt, *negativè* potius concipiuntur quàm *poſitivè*. Satis itaque eſt hic *oram* & *crepidinem* veluti Majeſtatis illius tangere, quæ hic nube tecta ſe nobis exhibet, & Sponſæ ſuæ *per cancellos* duntaxat ſui copiam facit, aliquando verò pleniorem ſui cognitionem indulgebit *candidatis æternitatis*.

DISPVTATIO
DE
DECRETIS DEI IN GENERE.

THESIS I.

THEORIAM, tum *abſolutam* de *eſſentia* Dei, tum *relatiuam* de *perſonis* diuinis, excipit conſideratio *actuum eſſentialium internorum* Dei, qui vocari ſolent *Decreta* in Scholis Theologicis. Quæ ad duo capita compendio revocari poteſt. 1. Ad quæſtionem *an ſint* vel dentur talia. 2. Ad quæſtionem *quid ſint*.

II. Quæſtionem *an ſint* decreta Deo tribuenda, decidimus. I. per κατάφασιν, *affirmando*, id fieri poſſe & debere. II. per κατασκευήν, idem probando *argumentis*, tum *inartificialibus* teſtimonij, tum *artificialibus* rationis.

III. *Argumenta inartificialia* ducuntur ex clariſſimis Scripturæ S. locis, quæ decreta Deo tribuenda eſſe docent, oſtendendo partim *verbaliter*, ut liceat uti terminis *technologicis*, Deum *decernere*, Act.4.28. Rom.8.30. Eph. 1.9. partim *nominaliter*, adſcribendo Deo decreta vel conſilia, ut עצה *Conſilium* Pſalm.33.11. & Ieſ.46.10.11. ὡρισμένην βουλὴν, Act.2.23. βουλῇ, 13.36. Hebr.6.17. πρόθεσιν, Rom.9.11. εὐδοκίαν, Eph.1.9.

IV. *Argumenta artificialia* duci poſſunt. 1. *à Naturæ divinæ perfectione*, ad quam pertinet, ut nihil fiat ſine eius vel *efficientia*, vel *permiſſione* & *directione*, ſed ut omnia quæ eueniunt, eueniant ſecundùm ὡρισμένην βουλὴν τοῦ Θεοῦ. Act.2.23. κατὰ πρόθεσιν, Rom.9.11. κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ ἣν προέθετο ἐν αὐτῷ, Epheſ.1.9. Et ſanè cum voluntas Dei non poſsit pendere à rebus, ſed res potius à voluntate Dei, nec quicquam accedere in tempore, vel ad cognitionis, vel ad volitionis Dei incrementum, opus, ab æterno omnia à Deo definita fuiſſe, tum quæ ipſe facere vellet, tum quæ ut ab aliis fierent, & permittere vellet & ordinare. 2. *à ſcientiæ Dei perfectione*, ad quam pertinet non tantum ſcientia indefinita *ſimplicis intelligentiæ*, ab æterno nota habere quæcunq; ſunt in genere τῶν δυνατῶν, h.e. *paßibilium*, ſed etiam *definitè* noſſe *futuritionem* illorum quæ ex iſto ordine Deus voluit tranſire in ſtatum τῶν μελλόντων vel τῶν ἐσομένων, h.e. *futurorum* per *ſcientiam viſionis* (noſtro concipiendi modo) qua Deus certò ſcit, & *quæ* ſint futura, & *quomodo* ſint futura. Quum verò ea in rebus ipſis intueri non potuerit (quippe quæ nō fuere ab æterno, & quarū *præſentialitas* ab æterno, quam fingūt quidam Scholaſtici merū:

commentum eſt) ea Deus aliter intueri non potuit quàm in ſuo decreto. 3. *à dependentia* omnium & *cauſarum* ſecundarum, & *rerum*, & *eventuum* a prima cauſa, ſine qua non ſecundæ cauſæ forent, ſed primæ, non obnoxiæ, ſed ἀϊδίως vel ἀνυπευθύνως. Vnde omnia & *entia*, & *agentia*, & *actus* eorundem, & quicquid *in* iis, *ab* iis, & *cum* iis, utpote quæ *eſſe* tantum habent *per participationem*, reduci debent, vel ad cauſæ primæ *efficientiam*, ratione eorum quæ bona ſunt, vel ad eius *permiſſionem* & *ordinationem*, ratione eorum quæ talia non ſunt.

V. Quæſtionem *quid ſint* decreta Dei decidimus. 1. Κατ' ἄρσιν removendo imperfectiones omnes à decretis diuinis. 2. Κατὰ θέσιν attribuendo illis omnes perfectiones eis conuenientes.

VI. Κατ' ἄρσιν obſeruandum. 1. Decreta Deo non competere *propriè* vel αὐτοπαθῶς, ſed μεταφορικῶς & *tralatitie* tantùm, adeoque decreta Dei non eſſe cum deliberatione vel conſultatione prævia, cum ſuſpenſione mentis & fluctuatione voluntatis antecedente, & cum diſcurſu quodam, ſiue à poſteriori ad poſterius, ſiue à noto ad ignotius, quæ *antecedenter* in decretis humanis reperiuntur ob intellectus & voluntatis noſtræ imperfectionem. 2. Decreta Dei non eſſe *accidentia*, vel quid ἐπουσιῶδες, ſic enim eſſentiæ divinæ aliqua accederet entitas, adeoque perfectio; At cum eſſentia divina in ſe infinitè perfecta ſit, nec *perfectibilis* eſſe poteſt, nec aliquod ejus *perfectivum* dari poteſt. Nec etiam accidentia id genus, vel *eſſe creatum* habere poſſent, vel *increatum*. Non creatum, quia quod tale nec æternum eſt, nec niſi finitum eſſe poteſt; Nec increatum, quia daretur aliquod increatum habens *eſſe diminutum*, & indigens ſuſtinente, quod abſurdum. Nec decreta ſunt in Deo per *inhærentiam*, ſed per *identitatem* ad eſſentiam Dei. 3. Decreta Dei non eſſe multa & ἄλλως καὶ ἄλλως, *aliter* & *aliter* ſe habentia in Deo ἐνεργῶν quamvis ſe habeant πρὸς ἄλλα καὶ ἄλλα, ad *alia* & *alia*. ἐκτὸς, quæ itaque in entibus finitis *formaliter* diuerſa ſunt, ea *eminenter* identificantur in ente infinito. Et has quidem imperfectiones remotas voluit à Deo potius quam ipſa decreta ἁπλῶς, Vir Illuſtris *Iulius Cæſar Scaliger* dum Exercit. 365. §. 8. in *Ludouicum Viuem*, *conſilium* Deo tribuentem inuehitur, & inquit, *tam eſſe impiam vocem in divinis, conſilium, quam pluralitatem Deitatis, quatenus nimirum Deus non eget conſilio* (inſtar hominum) *tanquam medio, aut inſtrumento, aut idea ad gubernandum, nec diſceptat vel ratiocinatur, vel proponit, vel colligit, vel cum alio confert aut ab ullo accipit*. Eodem ſenſu ibidem negat Deum *prævidere*, ſed *videre*, quia illi nihil futurum ſit, ſed omnia præſentia.

VII. Κατὰ θέσιν obſeruanda. 1. *Diſtinctio* vocis. 2. *Deſcriptio*. 3. *Deſcriptionis* ἐξήγησις. 1. *Diſtinctio* vocis eſt, decretum Dei ſumi vel *formaliter* in ſcholis Theologicis, pro actu Dei decernentis, vel *objectivè* ſive *terminativè* pro re decreta. Hic verò à nobis intelligitur priori ſignificatu, non poſteriori. 2. *Deſcriptio* eſt, decretum Dei eſſe actum mentis voluntatiſq; divinæ, æternum, ſapientiſſimum, liberrimum, & immutabilem, de omnibus extra ipſum futuris, vel *efficiendis*, vel *permittendis*, & *ordinandis*.

VIII. 3. Deſcriptionis Ἐξήγησις eſt; *Decretum* dicitur actus mentis voluntatiſque diuinæ, non per *diſcretionem*, ut in ente finito, ſed per *identitatem* realem, nec enim in Deo mens & voluntas potentiæ diuerſæ ſunt, ſed ipſa Dei eſſentia, intelligens & volens, à nobis tamen *diſcretivè*, pro noſtro concipiendi modo, qui compoſitus eſt, ſic conſideratur, quia in omni decreto noſtro concurrunt, & *actus mentis* & *actus voluntatis*, ille ut *dirigens*, iſte ut *imperans*, priori modo decretum eſt actus *ſapientiæ*, poſteriori actus *libertatis*.

IX. *Objectum* decreti Dei dicuntur eſſe omnia extra Deum futura, eaque vel bona, vel mala: circa illa tribuitur Deo decretum *effectivum*, circa iſta *permiſſivum*, circa vtraque *ordinativum*, illa ſunt à decreto propriè, iſta *ſecundùm* decretum, illa ſe habent ad decreta ut *effecta* ad *cauſam*, iſta ut *conſequentia* ad *antecedens* tantùm.

X. *Bona* verò quæ ſunt à *decreto* Dei *effectiuo*, habent ſe vel ut *fines*, vel ut *media*. *Finium* unus *ſummus* eſt, *ſubalterni* alij, ille extra Deum dari nequit, primum enim principium & ultimus finis reciprocantur, nec id finis rationem habere poteſt reſpectu Dei, quod non *ſummè amabile* eſt, quale nihil datur extra Deum: iſti varij ſunt, ſed omnes ad illum, vel *ordinantur* actu, vel *ordinabiles* ſunt, adeoque *ordinandi*. *Media* varium inter ſe ordinem habent, in *executione*, in *intentione* verò unum eundemque; Sic in intentione finis prius intenditur mediis noſtro concipiendi modo; in executione verò media priora ſunt fine, quamvis in ipſo Dei decreto ἔσωθεν, nec *momenta temporis* dentur inter iſta, nec, ſtrictè loquendo, *naturæ* vel *rationis* etiam, ob ſummam naturæ diuinæ ſimplicitatem & perfectionem, etſi ἔξωθεν dentur utraque.

XI. *Mala* quæ ſunt *ſecundùm decretum permiſſivum*, nec decreto iſti ut cauſæ efficienti adſcribi debent, nec fiunt per *permiſſionem Ethicam*, hoc eſt, per relaxationem legis, ſed per *permiſſionem* duntaxat *Phyſicam*, hoc eſt, per non impeditionem actus, nec per *influxum* Dei *poſitivum* fiunt: quamvis enim concurrit Deus, *immediatione*, tum *virtutis*, tum *ſuppoſiti*, cum agentibus omnibus in productione entitatis actus, haudquaquam tamen ei adſcribenda ἀταξία, & *inordinatio* accedens actui. Habent itaque ſe mala ut ἐπιγινόμενα potius, quàm ut γεννήματα, actibus enim *entitativè* bonis accedit inordinatio, per negationem tantùm influxus diuini ad *bene eſſe* ipſorum actuum. Nec tamen mali *cauſalitas* ad Deum jure referri poteſt, imò ſine blaſphemia ad illum referri non poteſt, ſed ad cauſas ſecundas tantùm, quæ ab ordine debito in agendo deficiunt. Et quicquid perfectionis eſt in actu, cauſæ primæ, quicquid defectus actui ἐπιγινόμενον, ſecundis cauſis adſcribi debet. Nec *deficientia* Deo impingenda, quæ imperfectionis nota, ſed *negatio* duntaxat actionis concipienda, & quidem in illo qui αὐτοκράτωρ eſt, & ἀδέσποτος, & ἀνυπεύθυνος prorſus.

XII. Nec tamen cenſendum, *decretum* Dei eſſe tantùm *permiſſivum* mali, *reduplicativè* qua malum eſt: Immò etiam eius *directivum* eſt vel *ordinativum*, ut ex ſpeciali de prouidentiæ decreto doctrina patet, quo & mali

coercentur, & mala, & ex utriuſque, contra vel præter agentium intentionem & actuum naturam, bona educuntur per cauſæ primæ ſapientiam & potentiam: quod ex hiſtoria, tum venditionis Ioſephi, tum rebellionis tribuum, tum crucifixionis Chriſti patet. Et quicunque *nudum decretum permiſſivum* ſtatuunt, tum ſapientiæ, tum potentiæ Dei, immò ipſi etiam bonitati ejus intercedunt, nec enim Deus mala fieri permitteret, niſi ex malis bonum producere poſſet velletque.

XIII. Decretum verò Dei eſſe actum. 1. *Aeternum*, patet tum *à priori* ex decernentis natura, cui nulla vel cognitio vel volitio nova in tempore accedere poteſt, tum ex declaratione Scripturæ à *poſteriori*, Actor. 15.18. 2. Decretum actum *ſapientiſſimum* eſſe, patet tum à *priori* itidem, ex natura decernentis, tum à *poſteriori*, ex natura ſive *finium* ſive *mediorum* decretorum, nec ſapientia Dei ſolum elucet in decreto, *effectivo* boni, ſed etiam in *permiſſivo* & *directivo* mali. 3. Decretum eſſe actum *liberrimum* etiam patet, tum à *priori* ex natura decernentis, tum à *poſteriori* ex natura rerum decretarum, quippe quæ, ultimo fine excepto, non ſunt ſummè amabiles, nec neceſſariam cum iſto fine connexionem ex ſe habent, quaſi aliter attingi non potuiſſet. Nec ob id ſequitur decretum liberum non poſſe identificari cum volitione vel voluntate aut eſſentia Dei, modo diſtinguatur decretum, conſideratum ratione *actus* velut *interni* & in ſe, & conſideratum ratione *terminationis externæ* ad hoc vel illud objectum. Ratione *actus interni* decretum eſt ipſa volitio Dei, vel eſſentia volens ſive decernens, tum *naturaliter* id quod ſummè amabile eſt, tum *liberè*, quod tale non eſt, qui tamen duo modi ut in ente finito *formaliter* diverſi ſunt, ſic identificantur *eminenter* in ente infinito, & neceſſario quidem ob ſummam naturę divinę ſimplicitatem & perfectionem. Et ut eadem intellectione Deus ſe *naturaliter* intelligit, & alia non *naturaliter*, ſed *liberrimè*, ſic nihil obſtat Deum eadem volitione id *neceſſariò* & *naturaliter* velle, quod ſummè amabile eſt, id non item, quod tale non eſt. Nec, ob conceptus noſtri imperfectionem, id Deo negandum, ſine quo perfectio ejus omnimoda conſtare non poteſt. Et cum intellectus noſter non ſit menſura entis finiti, minus infiniti menſura eſſe poteſt, quippe quod menſuram nec habet nec habere poteſt. Nec vel ratio alia quærenda niſi à perfectione Dei, vel exemplum aliud ſimile, magis quam Ens aliud æquè ſimplex ac Deus adeoque alius Deus.

XIV. 4. Decretum eſſe actum *immutabilem* patet, tum à *priori* ex decernentis natura, tum à *poſteriori*, ex ipſa Scripturæ S. declaratione, Heb. 6.17. Et ſanè actus Dei nec in melius mutari poſſunt, nec in deterius, quin vel non fuerit Deus *antecedenter*, vel deſinat talis eſſe *conſequenter*. Nec tamen ex iſta decreti divini immutabilitate ſequitur, abſoluta *neceſſitate* vel *naturæ*, vel *coactionis*, circumſcribi cauſas ſecundas liberas in actionibus ſuis, vel omnem *προαίρεσιν* aut ſpontaneitatem illarum tolli; qui enim decernit ut res fiant, decernit etiam ut conuenienter fiant, & ſecundùm principia, quę & inſevit creaturis, & cōſervat in creaturis. Quamvis fateamur

inde

inde duplicem ſequi neceſſitatem in rebus, ſed utramque *hypotheticam*, unam *immutabilitatis* ratione decreti divini, alteram *infallibilitatis* ratione præſcientiæ divinæ: neutra tamen neceſſitatur homo neceſſitatione evertente ipſius libertatem, vel τὸ ἑκούσιον ejus, ſed tollente τὸ αὐτεξούσιον ſolum, & τὸ ἀδιάφορον quod ei nec competit nec competere poteſt.

XVI. Rejicimus vero 1. Commenta *Sociniana* & *Vorſtiana*, quibus decreta accidentaria, & temporaria, & inita, & ſibi invicem adverſantia, & mutabilia Deo affinguntur. 2. *Remonſtrantium*, & aliorum, conditionata Deo decreta tribuentium errores, quamvis enim decreta quædam conditionata dici poſſint *à poſteriori*, quatenus media quædam ſibi ſubordinata habent, & ſint non tantùm de finibus ſed etiam de mediis, & illi per iſta attingi debent, *à priori* tamen nulla decreta Dei conditionata ſunt. 3. Eorum errores qui *volitorum* cauſas, *volitionis* divinæ cauſas faciunt, & *voluntatis antecedentis* nomine *velleitatem* Deo affingunt, & docent Deum aliquid *antecedenter* ad actum cauſæ ſecundæ velle, v.g. ſalutem omnium & ſingulorum, quod nolit *conſequenter* ad illum. Hoc enim eſt & immutabilitati decretorum Dei intercedere, & voluntatem creatoris à voluntate creaturæ ſuſpendere. 4. Illorum qui decreta Dei concidunt in partes varias, & ſecum invicem pugnantes. 5. Illorum qui decretum Dei circa mala culpæ merè *permiſſivum* ſtatuunt, & loco decreti *directivi* circa peccata, quod Eccleſiæ Orthodoxæ docent, illis *effectivum* eorundem per meram calumniam impingunt. Quæ; ut & alia id genus commenta, quamvis alia aliis intolerabiliora ſint, omnia ἄγραφα cenſemus, & ἀντίγραφα, & ἀδιάλογα, & ἄλογα; aliena quippe à Dei decernentis natura, & à Sacræ Scripturæ de ea declaratione.

DISPVTATIO ANTISOCINIANA Miſcella,

EXHIBENS

EPITOMEN THEOLOGIÆ Socinianæ.

THESIS I.

QVOD capularis ſed Beatus ſenex Siemon de Chriſto retrò profeſſus fuit, Luc. 2. 34. Chriſtum eſſe poſitum *εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον*, id ab eo tempore omni ævo in Chriſti hoſtibus compertum, quorum multi primis ſeculis in *perſonam* illius graſſati directè & potiſſimum fuêre, alii ſequioribus temporibus in *officium* Chriſti eadem *κακοηθείᾳ* incurrêre. Vterque Sathanæ & Hæreticorum conatus ſuperiore & noſtro ſeculo à *Socinianis* & occupatus & inſtauratus fuit.

II. Nomen Sectæ iſti hæſit à *Lælio* Patruo & *Fauſto* Nepote *Socinis*, domo Senenſibus, Hetruſcis, gente Italis, quorum uterque acuto, ſed in ſuam & variorum aliorum perniciem inquieto ingenio præditus, acumen ſuum in *Perſonam* & *Officium* Chriſti, ſed infelici conatu, conjunctim expertus fuit. Uterque *Pauli Samoſatem* Epiſcopi Antiocheni, damnati in concilio Antiocheno gemino, priori ſub *Gallieno* Anno CCLXV. poſteriori verò ſub *Claudio* Anno CCLXX. & *Photini* Sirmienſis Epiſcopi, in Sirmienſi Synodo, jam olim ſub *Conſtantio* Anno à Chriſto nato CCCLI. damnati hæreſin interpolavit, contendentium, Chriſtum eſſe *ψιλὸν ἄνθρωπον*. A qua hæreſi deflexus fuit non facilis tantùm, ſed neceſſarius etiam ad ſubverſionem doctrinæ de Satisfactione Chriſti: nec enim nudæ creaturæ ſatisfactio *adæquata* eſſe potuit vel infinitæ iræ divinæ placandæ, vel infinitæ gratiæ & gloriæ nobis promerendæ. Nec ipſe *Socinus* diffitetur in reſponſione altera ad Andream Volanum, ſe ſententiæ Pauli Samoſateni & Photini de Filii Dei exiſtentia adhærere. His Patriarchis iſtius hæreſeos vel acceſſere in omnibus, vel accenſeri poſſunt in pleriſque Doctores ejuſdem commaris, *Matthæus Gribaldus*, *Georgius Blandrata*, *Bernhardus Ochinus*, *Paulus Alciatus*, *Eraſmus Iohannis*, *Ionas Schlichtingius a Bukovviec*, *Iohannes Crellius*, *Valentinus Smalcius*, *Iohannes Volkelius*, *Georgius Enjedinus*, *Hieronymus & Petrus Moroſcovii à Morſcovv*. *Iohannes Somerus*, *Chriſtophorus Oſtorodius*, *Adamus Goſlavius*, aliique complures gurguſtii *Racoviani* vel Doctores vel Alumni, qui magna fiducia & ſcriptis ac Sophiſmatibus variis in generaleſta

ralem Chriſtianiſmi doctrinam impetum fecêre, & peſtilentia id genus dogmata partim ſparsêre, partim confirmavêre, quamvis à ſe ipſis multi in variis & in varia abeant. *Michaelem Servetum, Valentinum Gentilem, Franciſcum Davidis*, & alia id genus portenta hominum non tangimus, quorum dogmata monſtroſa, blaſphemiæ horrendæ, conatus impii orbi nota. Et ſanè ſingulari Dei beneficio factum, quod ψλ δομῶν... horum ... eſtium contra Dominum non eſſet ..., Marc. xi. 18. & Satanæ regnum diviſum.

III. Duplex verò potiſſimùm cauſa, homines ingenio cæteroquin non parum valentes in horrendos illos errores pertraxiſſe videtur. I. *Abuſus rationis*, & nimia de ratiociniis ſuis fiducia ſe erigens contra revelationem verbo Dei expreſſam. Rationem enim alterum Religionis principium, præter verbum ſcriptum conſtituendam, & Religionem Chriſtianam ad eam inflectendam cenſuêre, non admittendo myſteria vel trinitatis vel incarnationis, vel ſatisfactionis Chriſti, eo quod à ratiociniis humanis aliena viderentur, & ſcandalum eſſe gentibus, Judæis ſtultitia, carni corruptæ utrumque. II. *Studium*, ſed perverſum, ejuſmodi Religionem procudendi, in qua quivis facile uniri poſſent, quemcunque profiterentur Chriſti cultum, extructam quippe ex ratione, & compoſitam ſpecioſè ad ingenii humani ſive captum ſive plauſum etiam.

IV. Oppoſuêre ſe impietati iſti partim naſcenti, partim creſcenti celeberrimi quique in orbe Europæo Theologi: E noſtris *Iohannes Calvinus, Theodorus Beza, Hieronymus Zanchius, Daniel Toſſanus, Lambertus Danæus, Franciſcus Iunius, Zacharias Urſinus, Ioſias Simlerus, David Pareus, Amandus Polanus, Iacobus Coverus, Henricus Bullingerus, Bartholomæus Kekermannus, Otto Caſmannus, Iohannes Piſcator, Hieronymus Ravensbergerus, Iohannes Polyander à Kerckhoven, Sibrandus Lubbertus, Henricus Altingius, Ludovicus Crocius, Iacobus ad Portum, Chriſtianus Becmanus, Iohannes Henricus Alſtedius, Matthias Martinius, Iohannes Henricus Biſterfeldius, Ludovicus Lucius, Iohannes Iunius*, & cum noſter adhuc eſſet, *Hugo Grotius*, complures etiam alii, præſertim verò Profeſſores celeberrimi Academiarum Belgicarum, qui & Scriptis & Diſputationibus eruditis compluribus hoc argumentum pertractarunt. Ex *Lutheranis* hoc penſum occuparunt, *Aegidius Hunnius, Albertus Graverus, VVolffgangus Franzius, Balthazar Meiſnerus, Iacobus Martini, Andreas Keſlerus, Chriſtianus Matthias, Iohannes Gerhardus, Ioſua Stegmannus, Iohannes Himmelius, Theodorus Thummius, Paulus Tarnovius, Iohannes Botſacus*, aliique: E *Pontificiis* Socinianis ſe oppoſuere, *Gregorius de Valentia, Martinus Smiglecius, Franciſcus Suarez, Robertus Bellarminus, Iacobus VVuieki*, aliique, qui omnes ſuam in hoc argumento laudem merentur, quamvis hic alius alio felicius pugnam hanc depugnet.

V. *Quæſtionem*: An Sociniani *Chriſtiani* vocari debeant? Ita decidendam cenſemus, ut *comparatè* tales dici poſſint, collati cum Mahumetanis, Iudæis, & Paganis, qui Chriſtum vel planè inſectantur, vel ſaltem nullum ejus cultum præ ſe ferunt, nec nomen à Chriſto vel petunt, vel gerunt.

Abſolutè verò tales dici non debent in ſenſu *univoco*, quia eundem nobiſcum Chriſtum non profitentur, & partim *perſonam* Chriſti, partim *officium* ejus *apertè* & *directè* everſum eunt, adeoque & alium Chriſtum credunt, & prima de Chriſti cognitione principia & fundamentum omnis ejus cultus prorſus ſubvertunt.

VI. *Quæſtionem* verò, An pro *hæreticis* habendi ſint? rotundè affirmamus, quippe qui & peſtilentia dogmata innumera ſpargunt, & veteres hæreſes complures Anti-Trinitariorum, Antinomorum, Manichæorum, Donaſtitarum, Pelagianorum, aliorumque id genus hominum, & in Dei Majeſtatem, & in hominis naturam *quadruplicemque* ejus *ſtatum* retrò incurſantium commenta refodiunt & Eccleſiæ Chriſtianæ ſumma pertinacia, quamvis ſæpius moniti, reponunt.

VII. Dogmata heterodoxa Sociniana pleraque revocari poſſunt ad *duo capita*. 1. Ad ea quæ perversè tradunt *de Deo*. 2. Ad ea quæ perversè tradunt *de Homine*.

VIII. De *Deo* horrenda dogmata propugnant. 1. Quoad *nomenclationem* de Deo. 2. Quoad *Naturam* Dei. In *priori* genere 1. Nomen τετραγράμματον· יהוה ſoli Deo in Scriptura S. proprium, creaturis commune faciunt, ut negent Chriſtum eſſe ſummum Deum, quippe cui in Novo Teſtamento ea quæ de Jehova in Veteri dicta ſunt, disertè applicari vident. 2. *Nomina* Hebræa, Græca & Latina *Dei*, ſua natura *propria* & *Synonyma, appellativa* & *paronymica* faciunt, ut loca de Deitate Chriſti & Spiritus S. agentia facilius eludant.

IX. In *poſteriori* genere 1. In Deum οὐσιωδῶς *eſſentialiter* conſideratum incurrunt. 2. In Deum conſideratum ὑπαρκτικῶς, ſive ὑποστατικῶς, *perſonaliter*. In Deum οὐσιωδῶς conſideratum peccant. 1. *Immenſitatem* eſſentialem Dei negando, & Deum virtute non eſſentia infinitum fingendo, quippe cujus eſſentialem vel ſubſtantialem in rebus omnibus creatis præſentiam, tametſi illis nec commenſuratam, nec incluſam, negant, adeoque *contradictione in adjecto* peccant, finitæ eſſentiæ infinitam virtutem, & toto genere ſubjecto ſuo ſuperiorem, affingendo. 2. *Simplicitatem* Dei variè labefactando, dum negant eam eſſe ex Dei proprietatibus, eo quod hoc termino formali non exprimitur, quamvis ſine ea nec Deitas Deo conſtare poſſit, nec infinitas, nec æternitas. 3. *Aeternitatem* Dei impugnando, dum & tempus ejuſque differentias de Deo alio à Scriptura Sacra ſenſu efferunt, nec eſſentiam Dei ab omni ſucceſſione immunem cenſent. 4. *Immutabilitatem* divinam in dubium vocando, dum volitionum & decretorum Dei mutabilitatem docent, eaque à creaturis & earum actibus ſuſpendunt. 5. *Omniſcientiam* Dei cavillando, dum futurorum contingentium ſcientiam Deo adimunt, contrariam quippe, ex ſua ſententia, hominis libertati, & ponentem neceſſitationem ei intercedentem, immò eam evertentem. 6. *Juſtitiam* Dei oppugnando, dum negant eam eſſe naturalem Dei proprietatem, ut ſic ſatisfactionis neceſſitatem evertant, adeoque ſic juſtitia univerſalis Deo non

erit

erit naturalis, vel aliquod attributum Dei non erit naturale, ſed vel *ſupernaturale*, vel *præternaturale*, vel aliàs *accidentarium*. 7. Alias Dei proprietates negando, dum docent ſatis eſſe credi Deum eſſe unum, æternum, juſtum, ſapientem & potentem. Reliqua curioſa potius eſſe quàm neceſſaria.

X. Incurrunt etiam in Deum *ὑποστατικῶς* conſideratum. 1. *Trinitatem* Perſonarum præfractè negando, eo quod & ſecundum *literam* in Scriptura non exſtet, & ſecundùm *rem* rationi corruptæ contraria videatur, quaſi Scriptura ex *ſono* metienda foret, & non ex *ſenſu*, & ratio corrupta regula foret credendorum, vel infinita natura adæquatè à ſubjecto finito cognoſci poſſet, vel *apprehenſiva* cognitio ſufficere nequeat in myſteriis id genus, quæ *ἀκατάληπτα*, & in quibus *comprehenſiva* dari non poteſt. II. *Divinitatem Chriſti* Servatoris impugnando, eumque ex *ſummo* Deo in inferiorem & factitium convertendo, loca *ὁμοουσίας* Chriſti demonſtrantia variis ſtrophis & gloſſematibus pervertendo, & alia vel *συστατικὸν* Chriſti & œconomiam officii, vel naturam ejus humanam concernentia prioribus perversè opponendo, quæ componenda erant. III. Divinitatem Spiritus S. negando, eamque in meram virtutem accidentalem Dei convertendo, probationes de divinitate ejus impugnando, & perſonalitatis ejus probationes petitas partim ex *Nomenclatione*, partim ex *attributis*, partim ex *operationibus*, partim ex *ἀποτελέσμασι* vel *ἰδιώμασι* perſonalibus convellendo.

XI. De *homine* etiam graviſſimos errores docent Sociniani. 1. Quoad *ſtatum* ejus *inſtitutum* in creatione. 2. Quoad *ſtatum* ejuſdem *deſtitutum* in corruptione. 3. Quoad *ſtatum* ejuſdem *reſtitutum* in gratia. 4. Quoad *ſtatum* ejus *præſtitutum* in gloria.

XII. Quoad ſtatum *inſtitutum* peccant; 1. *In genere*, negando potiſſimas imaginis Dei homini concreatæ perfectiones, nec eam tam *qualitativè* quàm *relative* deficiendo. 2. *In ſpecie*, negando concreatam homini primo *ſapientiam*. 3. Negando eandem imaginem homini in creatione conceſſam conſtitiſſe in *juſtitia* & *ſanctitate*. 3, *Immortalitatem* ſtatus primi, hoc eſt, *potentiam non moriendi* primo homini conceſſam inficiando, & illam vel imperitè vel malignè ad ſolum ſtatum gloriæ reſtringendo, vel cum *impotentia moriendi*, quæ ſolius ſtatus gloriæ eſt, confundendo 5. Imaginem Dei ad *dominium* hominis in reliquas creaturas, vel ſolùm, vel præcipuè ſaltem reſtringendo, ipſum tamen nec rectum nec ordinatum neceſſariò conſtituendo, quippe quali ſine ſapientia in mente, & juſtitia in voluntate haudquaquam locus etiam in ſtatu integritatis eſſe poterat.

XIII. Quoad ſtatum *deſtitutum* peccant, 1. Negando *perſonalem* Adami *corruptionem*, adeoque imaginis divinæ amiſſionem, ſpontaneo lapſu ſuo auctori jure meritò conciliatam. 2. Negando *univerſalem* totius generis humani in Adamo velut *principio* ejus tum *ſeminali* tum *repræſentativo*, *reatum*, adeoque & *univerſalem* ejuſdem *corruptionem*; velut partim apertè

S. Scripturæ declarationi, partim experientiæ omnium ſeculorum, partim conſcientia uniuſcujuſque contrariam. 3. Peccati *originalis*, vel *originati* ex peccato *originante* in totum genus humanum derivationem inficiando, & id velut fabulam vel *Auguſtini* vel *Scholaſticorum* exagitando. 4. *Mortem temporalem* naturæ creaturæ ſequelam, non naturæ corruptæ labem, & ſtipendium peccati ſtatuendo, contra diſertam Scripturę Sacræ declarationem. 5. *Libertatem arbitrii* in homine animali ſupra ſphæram naturalem attollendo ad objecta ſpiritualia, & vires ei concedendo legi Dei parendi, adhibita etiam à Deo mera motione *Ethica* vel *objectiva*, conſiſtente in nuda objectorum credendorum & faciendorum propoſitione, addita minarum ac promiſſionum ſanctione vel appendice. 6. Homini non regenito *facultatem* bona opera *univocè* talia & *bene* quidem præſtandi, immò eidem facultatem etiam legem implendi adſcribendo. 7. Notitiam naturalem Dei homini in ſtatu naturæ corruptæ inſitam negando, adeoque *principia* & *Theoretica*, & *Practica* homini connata, ipſamque συντήρησιν & συνείδησιν vel evertendo, vel elevando ſaltem.

XIV. Quoad ſtatum *reſtitutum* multimodis etiam peccant Sociniani, 1. Negando *deſtinationem* æternam reſtitutionis quorundam ad ſalutem præ aliis, quamvis nec præſtantiorum aliis ex ſe, nec *Phyſicè*, nec *Ethicè*, ex mero *amore communicationis*, antecedentem omnem actum procedentem ab objecto deſtinato ad ſalutem. 2. Negando æterni Filii Dei ſubſiſtentis antę τὴν τοῦ λόγου incarnationem in tempore factam, ad executionem æterni iſtius decreti. 3. Negando actualem *Patrum* Teſtamenti Veteris *ad fidem* in Meſſiam venturum *vocationem*, & Typorum partim *perſonalium* partim *realium* Teſtamenti Veteris ad Chriſtum relationem, ſpiritualium etiam promiſſionum ad vitam æternam ducentium propoſitionem, durante ejuſdem Teſtamenti œconomia. 4. Negando verum Chriſti *ſacerdotium*, & veram ejus pro peccatis noſtris *ſatisfactionem*, & illud *figuratum* duntaxat admittendo, immò ſacerdotale ejus munus cum Regio ejuſdem munere etſi *actibus formalibus* diſtincto confundendo, ſatisfactionem verò ut abſurdam, impoſſibilem, & injuſtam traducendo, & ſubrogationem Chriſti *vice* & *loco* noſtro improbis cavillis impetendo, juſtam intereà hominis innocentiſſimi, nec vel ob ſua vel ob aliena peccata rei, condemnationem & mortem ſtatuendo. 5. Totum Servatoris *Officium* partim ad *patefactionem* voluntatis Dei de merè gratuita peccatorum remiſſione, partim ad *confirmationem* ejuſdem per vitæ ſanctæ mortiſque patienter exantlatæ exemplum, partim ad *collationem* ſalutis per poteſtatem morte ſua acquiſitam reſtringendo, adeoque id *inadæquatè* immò ſubdolè præcipua ejus parte ſatisfactione nimirum pro peccatis noſtris truncata, exponendo. 6. *Converſionem* unius præ alio à diſpoſitionibus ejus præviis vel intellectus vel voluntatis arceſſendo, concurſum hominis animalis cauſalem & activum in primo converſionis actu ponendo, & vires ejus ex officio metiendo. 7. *Juſtificationem* hominis ad Dei miſericordiam citra Chriſti ſatisfactionis interventum referendo, remiſ-

emiſſionem peccatorum & ſatisfactionem pro iis præſtitam perperàm ariis cavillis opponendo, eandem juſtificationis in Veteri & in Novo Teſtamento rationem negando, adeoque Patrum Veterum juſtificationem per fidem in meritum Chriſti tollendo. 8. *Fidem*, juſtificationis inſtrumentum, & applicationis ſatisfactionis Chriſti medium eſſe ex parte noſtra negando, & eam in meram obedientiam mandatorum, ex fiduciali gratiæ Dei in Chriſto applicatione, transformando. 9. *Imputationem* juſtitiæ Chriſti, ut dogma ἄγραφον, ἀτίχεφον, ἀδιάλογον & ἄλογον traducendo. 10. *Operibus bonis* vitæ puritati & innocentiæ ex parte hominis juſtificationem adſcribendo. 11. Verbi Dei prædicationem & hortationem ad fidem inutilem fore docendo, niſi vires hominis animalis ſufficiant ad fidem & converſionem inchoandam. 12. *Sacramenta in genere* in meras teſſeras profeſſionis Chriſtianiſmi convertendo, & negando, ea eſſe ſigna partim σφραγιστικά, partim μαρτυρικά rerum ſignatarum & inſtrumenta moralia ad fidei & ſpei noſtræ confirmationem facientia. 13. *In ſpecie*, *Baptiſmum* neceſſarium Chriſtianis omnibus *neceſſitate præcepti* eſſe negando, ejuſque uſum ad Eccleſiæ primitivæ tempora potiſſimum reſtringendo, reſpectu eorum qui vel e Synagoga, vel è gentilitate ad Chriſtianiſmum primò traducti fuêre: *Pædo-baptiſmum* etiam nec *mandato* nec *exemplo* Sacræ Scripturæ probato niti docendo, & Anabaptiſtis hac in parte ſuccollando. 14. *Sacram Cœnam* nudi panis & vini, adeòque mera ſignorum externorum partim *exhibitione*, partim *perceptione* definiendo, nec eam ad fidei noſtræ confirmationem, ſed ad charitatis tantùm à Chriſto in morte ſua probatæ commemorationem referendo. 15. *Eccleſiæ* militantis *defectionem totalem* poſſibilem eſſe docendo, & veras ejus *notas* convellendo. 16. Neceſſitatem *vocationis* legitimæ ad miniſterium Eccleſiaſticum, etiam in Eccleſia conſtituta, negando. 17. *Præceptorum* legis Moſaicæ olim Dei populo propoſitorum *imperfectionem* tum *extenſivam* tum *intenſivam*; & ejus per Chriſtum, partim novorum quorundam præceptorum adjectione quoad *rem*; partim veterum ſublimiore ſanctione quoad *modum* perfectionem docendo. 18. *Magiſtratus* dignitatem, poteſtatem & jura variè labefactando, adeòque in poteſtates indirecte inſurgendo.

XV. Quoad ſtatum *præſtitutum*. 1. Negando, animas corporibus ſuis ſolutas in *ſtatu ſeparationis* frui viſione Dei (qui ad diem judicii. 2. Negando *eadem corpora* ſubſtantia tenus reſuſcitanda, & iis Epicuræas de Judaico & Mahumetano Paradiſo opiniones affingendo, qui cenſent eadem corpora reſuſcitatum iri. 3. *Mortem æternam* annihilatione impiorum, non damnatione, vel cruciatibus æternis eorundem contra Scripturam, definiendo.

XVI. Et hæc quidem præcipua ſunt portenta Theologiæ Socinianæ, a quibus toto pectore abhorremus. Et omnibus Chriſtianis omnibus, qui ſe ſalvos cupiunt, & declinanda & deteſtanda cenſemus. Seductoribus verò æquè ac ſeductis bonam mentem revelationis divinæ reve-

rentem, & rationis corruptæ ratiociniorumque ejus minus audientem à Domino precamur, ut monſtroſis iſtis dogmatibus relictis, Trinunum nobiſcum Deum, & ex verbo ſuo rectè agnoſcere, & vero ejus cultui adeoque ſuæ ſaluti operari in tempore cum timore ac tremore condiſcant.

DISPUTATIO
DE
PROVIDENTIA DEI.

Theſis I.

DOCTRINA de providentia Dei nec ignorari ſine gravi diſpendio poteſt, nec ſciri ſine ſingulari ſolatio. Et quo magis ab iis quas ei humana vel ignorantia vel pervicacia affricuit, corruptelis liberatur, eo & ad Dei gloriam illuſtrandam magis conducit, & ad majorem hominis in pietate & individuo ejus comite tranquillitate, profectum facit.

II. Nobiliſſimum hoc argumentum duobus abſolvi poteſt: Quæſtionis. *An ſit*, & Quæſtionis *Quid ſit*, pertractatione.

III. Quæſtio, *An ſit* vel detur providentia, vix inter Chriſtianos decidi deberet, niſi larvæ inter eos eſſent & cymbala, quæ Chriſti nomen profitentur, quamvis nec Chriſtum habeant, nec Spiritum Chriſti.

IV. Dari verò Providentiam & *auctoritativè* probari poteſt, & *ratiocinativè*, ut nobis liceat hîc βαρβαρίζειν. *Auctoritativè*, tot fermè Scripturæ S. teſtimoniis probari poteſt, quot S. Scripturæ dantur paginæ. Conſulantur vel ſola capita Iob. 12. 38. 39. 40. 41. Pſ. 91. 104. 107. 136. Matth. 6. & 10. Act. 14. 15. & 17. 24. Eph. 1. 11. Hebr. 1. 3.

V. *Ratiocinativè* providentiæ Dei adſtruendæ ſufficere poſſunt argumenta: 1. A *natura Dei*, qui nec ſummè ſapiens cenſeri ſine providentia poteſt, nec ſummè potens, adeoque nec Deus. Quî enim vel ſummè ſapiens ſit, qui non omnia proſpicit, nec omnibus? Quî ſummè potens, qui non omnia partim ſuſtinet, partim adminiſtrat, partim moderatur? Immò qui prima cauſa dici poteſt, ſi præter eum cauſæ dantur primæ independentes? 2. A *natura rerum creatarum*, quarum plurimæ nec finem proſpiciunt, nec eum proſpicere poſſunt, & tamen in eum certis legibus & conſtanti tenore feruntur, adeoque à mente ſuperiore omnium præſcia

dirigi

dirigi debent. 3. Ab *harmonia* & *ordine* omnium admirando, qui inter tot & confuſa in ſpeciem,& ſibi invicem oppoſita ſine rectore & numine ſuperiore dari non poteſt. 4. A *prædictionibus* admirandis eventum futurorum ad minimas uſque eorum circumſtantias, in Veteri, Novoque Teſtamento, quæ Prouidentia Dei ſublata nec dari potuiſſent, nec concipi. 5. A *confeſſione* ſapientiorum inter gentiles etiam,uno *Plinio* excepto, cui vox ſapientiſſimo cæteroquin viro parum digna excidit Hiſt.Nat. lib. 11. cap. VII. *Irridendum eſſe,agere curam rerum humanarum, illud quicquid eſt ſummum.* Nec ratione ab eo adjecta quicquam futilius,quaſi *tam triſti ac multiplici miniſterio* non poſſet non pollui. 6. A *conſcientiæ ſenſu*, quæ Deum ſibi præſentem in omnibus ſentit, ac omnium directorem & moderatorem, bonorum vindicem,malorum judicem vel in ſe vel aliis experitur. 7. A *contrarietate* rerum quæ ſe inuicem perimerent niſi à mente ſuperiore intra obices & cancellos ſuos coercerentur & admiranda contemperatione partim toti uniuerſo ſeruando, partim eius partibus colligandis conſervandiſque deſtinarentur. Meritò itaque *Nemeſius* cap.XLII. iſta duo in Deo conjungit τὸ καλῶς ποιῆσαι, καὶ τὸ τῶν γινομένων καλῶς ἐπιμεληθῆναι. Et *Baſilius* obſeruat, nihil poſſe dici ἀπρονόητον οὐδὲ ἠμελημένον παρὰ θεοῦ, & ἀκοίμητον Θεοῦ ὀφθαλμὸν πάντα σκοπεῖν, καὶ πᾶσι παρεῖναι. 8. Ab admiranda boni ex malis eductione quæ ſapientiſſimam omnium directionem in ſuprema illa mente arguit. Exempla obvia in permiſſione lapſus,venditione Joſephi, tentatione Jobi,crucifixione Chriſti,perſecutione Eccleſiæ, & aliis id genus. 9. A *beneficiis* & *judiciis* extraordinariis, quæ Deus effundit, illa in bonos, iſta in malos præter & ſupra omnem rerum humanarum vel ordinem vel apparatum.

VI. Quæſtionem. *Quid ſit* providentia ad duo revocamus capita. Vel enim ſpectari debet in *antecedente decreto*, vel in *ſubſequente executione*, & ſic providentia alia dari poteſt *ordinativa* rerum futurarum, alia *actualis* vel *executiva*, quarum illa eſt æterna rerum omnium ad fines ſuos deſtinatio, ſta temporalis omnium ſecundùm decretum iſtud adminiſtratio.

VII. Providentia in *antecedente decreto* ſpectata, remota imperfectione omni quæ in decretis humanis reperitur,quippe quæ nec antecedentem in Deo præſupponunt deliberationem, nec *inhæſivè* ei inſunt, ſed *attributivè* duntaxat & *denominativè* de Deo efferuntur, eſt æterna Dei voluntas de rerum omnium creatarum partim *conſervatione*,partim *gubernatione*. Hoc ecretum Spiritus S.per ראה Hebræorum exprimit, Gen.22.8. & 1.Sam. 6.1. quia revera Dei prouidere videre eſt, nec prouidere dicitur, niſi in ordine ad res, quibus prouidet Deus, quia illarum & conſeruatio & gubernatio, ut & ipſa productio, ſequuntur iſtam Dei providentiam. Eandem phraſin exprimit Apoſtolus quando Heb.11.v.40. τὸ προβλέψαι Deo tribuit. Eidem rei exprimendæ adhibet Scriptura πρόγνωσιν, Actor.2.v. 23. & τὸ προορίζειν, Act.4.v.28. Tribuenda verò ex æquo prouidentia iſta æquè ac eius executio Deo Trinuno. Patri, Johan.5. verſ.7. Filio,Hebr. 1.3. Spiritui Sancto, Geneſ.1.2. Pſal.104.30. Eſa.40.12.13. quum executio

k

reſpondeat κτ̓ πάντα decreto, ut res ſuo reſpondet exemplari.

VIII. Quia verò & æternum providentiæ decretum non melius quàm *à poſteriori* in actuali ejus executione intelligimus, & idem utriuſque *objectum* eſt, præſtat nos providentiam Dei in iſto decreti æterni ſpeculo intueri, & partim *quibus* providerit Deus, partim *quæ*, partim *quomodo*, partim *ad quid*, & *in quid*, contemplari.

IX. Ut *cauſa efficiens* prouidentiæ vel *ſubjectum* quod providet, Deus eſt, ſic *materia* vel *objectum*, circà quod occupatur, ſunt & *perſonæ* omnes, & *actus* omnes perſonarum, & *res* omnes, & rerum omnium *circumſtantiæ*. Nec quicquam vel dari poteſt in rerum natura vel evenire, quod non ex providentia illa detur vel eveniat, & ſecundùm eam. Actor.17.25.28. Eph.1. 2. Heb.1.3.

X. Tantam verò eſſe ſphæræ hujus objecti latitudinem, præter rerum ipſarum rationem ac naturam, docet Scriptura diſertè. Primò *perſonas* omnes creatas huic *providentiæ* divinæ ſubjici, patet ex earum enumeratione adæquata. Sunt enim vel *merè ſpirituales* natura, ſiue Angelicæ, vel *ſpirituales partim, partim corporeæ*, ſiue humanæ. Angelicas perſonas providentiæ divinæ ſubjici, tum bonas quæ ſervarunt originem ſuam, tum malas, quæ eâ exciderunt, docet Spiritus S. Illas Pſal.91.11. & 104.4. Dan.4.10. Heb.1.14. Iſtas Job.1. ℣.12. 1.Reg.22.21.22. Matt.8.31.32. Humanas eidem Dei providentiæ obnoxias eſſe, nec in genere duntaxat, ſed & in individuo patet ex Pſ.36.7. Pſal.22.10. & 71.6. 1.Sam.2.6. Dan.2.21. Matth.10.30. Act.17.26. 1.Tim.4.10.

XI. *Actus* etiam omnes perſonarum eidem providentiæ ſubeſſe, eoſq; 1. Secundùm *qualitatem* partim *bonos*, partim *malos* (quamvis ut ex *forma* conſideratione patebit ἀγαθῶς καὶ ἁγίως) docet Scriptura. *Illos* 2.Cor.3.5. Phil. 2. verſ.13. Jac.1.17. *Iſtos* Gen.45.8. & 50.20. Exod.4.21. & 9.12. 1.Sam.16. 15. 2.Sam.12.11.12. Act.2. ℣.23. 2.Theſſ.2. ℣.11. 2. Secundùm eventum, partim *neceſſarios*, Pſal.104.13.14. Hoſ.2.21.22. Matt.18.7. & 24. ℣.24. Luc. 24.46. 1.Cor.11.19. partim *contingentes*, Exod.21.13. Deut.19.5. Pſal.33. verſ. 10. Prov.16.19. & 21.1. Ezech.20.26. Matth.10.19. partim *voluntarios*, Gen. 45.8. Exod.4.11. Ier.10.23. Iac.4.17.

XII. Res verò omnes hac ſphæra comprehendi ex earum etiam diſtributione liquere poteſt. Sunt verò illæ vel *animata* vel *inanimata*. Illæ 1. *Senſitiva anima* præditæ, eæque vel *aëreæ*, vel *terreſtres*, vel *aquatiles*. *Aëreas* providentiæ divinæ ſubjacere patet ex Iob.39.3. ex toto Pſalmo fermè 104. & ex Pſ.148.10. Matth.12.26. & 10.29. *Terreſtres* patet ex Geneſ.1.30. ex Pſ.104. & Pſ.147.9. *Aquatiles*, patet ex Iobi capite 41. ex Pſ.104.25. &c. Matth.17.27. Luc.5.6. Ioh.21. ℣.6. 2. Præditæ *anima vegetativa* tantùm, quales ſunt herbæ, flores, frutices, arbuſta, arbores, Pſal.104. ℣.16.17. Matt. 6. ℣.28. 1.Cor.15.38.

XIII. Res *inanimata* ſunt vel *cœleſtes* vel *ſublunares*. *Cœleſtes* à providentia divina regi patet ex Ioſ.10. verſ.13. Pſal.104.19. &c. Ier.31.35. *Sublunares* ſunt vel *ſimplices* comparatè, ut elementa quæ iſti regimini obnoxia

ſunt

ſunt Iob.38.10. &c. Pſal.104. Matth.8.27. vel *imperfectè miſta*, ut meteora, quæ & ipſa Dei providentiæ ſubjici docent loci 1.Sam.7.9. Iob.5.10. Pſ. 18.13. & 50.3. & 104.13. &c. 148. ꝟ.4.5. Matth.5.45.& 8.27. Actor.14. ꝟ.17. Vel *perfectè miſta*, quales ſunt mineralia, foſſilia, metalla, lapides & alia id genus, Pſ.11.6. Ezech.16.17.& 38.22. Ioel.3.5. Hagg.2.8.

XIV. Ex horum locorum collatione patet, 1. Non *genera* tantùm & *ſpecies*, ſed & *individua* & *ſingularia* quæque providentiæ iſti ſubeſſe. 2. Non *magna* tantùm vel *majora*, ſed & *minima* quæque, nec quidquam infra providentis ſapientiam eſſe, quod non fuit infra potentiam creantis, Pſ.147.9. Matth.6.28. &c. c.10. ꝟ.29.30. 3. Non *neceſſaria* tantùm, ſed & *contingentia*, ſive *caſualia*, ſive *fortuita*, quæ vel velut *αἰτία* videntur, vel ſaltem à nulla cauſa providente, Pſ.33.10. Prov.16.17. Matth.10.29.

XV. *Forma* providentiæ Dei duobus actibus circumſcribi poteſt. 1. *Conſervatione* omnium, Neh.9.6. Pſ.36.7. Heb.1.3. 2. Eorundem *gubernatione*. *Conſervatio* vel *ſpecierum* eſt, vel *individuorum*, ſive quoad *eſſe* eorum, ſive quoad eorundem *operari*, Act.17.28. *Species* conſervat Deus, *eſſentias* rerum eaſdem ſervando & perpetuam illis *durationem* impertiendo, benedictionis primariæ aliquoties repetitæ Gen.1. efficacia. *Individua* conſervat Deus in eſſe, *ſemper* dum ſunt, non *ad ſemper*, ut ſemper ſint, durationem illis exiſtentiæ impertiendo, interdum brevem, interdum longam, ſed definitam tamen & obnoxiam interitui Iob.14. verſ.6. minorem ſemper duratione univerſi, unde tempus edax, & tempore omnia conſumi dicuntur, quia nullius individui ſublunaris completi duratio æquè extenditur ac duratio univerſi. Hinc patet dependentia cauſarum omnium ſecundarum à prima tum in eſſe tum in operari, quam Apoſtolus innuit Act.17.28. quippe quæ eſt attributum entis finiti inſeparabile. Et meritò *Scholaſtici* docent non magis perſiſtere poſſe creaturam in ſuo eſſe ſine Dei conſervatione, quàm lapidem vel lignum ab homine ſuſtentatum, eo manum ſubducente. Quod ipſum Pſaltes innuit Pſal.104.28.29.30. Nec hoc tantùm commune iis quæ informantur *forma*, ut loquuntur Scholæ, *amiſſibili*, qualia ſunt corpora ſublunaria, ſed & iis quæ informantur *forma inamiſſibili*, qualia ſunt corpora cœleſtia. Utut enim *indefectibilia* ſint *ab intrinſeco*, quatenus principium ſuæ corruptionis in ſe non habent, talia tamen non ſunt *ab intrinſeco*, quia ut per potentiam Dei cœpêre habere eſſe, ſic per eandem poſſunt deſinere id habere, Deo manum ſubducente. A qua obnoxietate nec animæ quidem humanæ eximi poſſunt, nec in ſtatu *informationis*, nec in ſtatu *ſeparationis*.

XVI. *Gubernatio* alter providentiæ divinæ actus eſt, quo Deus omnes & ſingulas creaturas cujuſcunq; vel ordinis ſint vel conditionis ad fines à ſapientia ſua præſtitutos per media à ſe ordinata per potentiam ſuam deducit, Dan.4.3. Rom.11. v.36. Eph.1.2. Nec verò iſta gubernatio vel naturam rerum in cauſis *naturalibus* evertit, vel in *liberis* earum libertatem tollit, nec ullam iſtis ſive *naturæ* ſive *coactionis* neceſſitatem immittit, ſed conveniens eſt & naturis ſingularum, & facultatibus iiſdem ab eo à quo gubernantur inſitis.

XVII. Eſt verò *gubernatio* iſta vel *extraordinaria* ſive *immediata*, vel *ordinaria* ſive *mediata*. *Extraordinaria* vel *immediata* eſt, quum Deus vel *abſque* mediis vel *præter* aut *ſupra* media, vel *contra* media, eorumque naturam operatur, partim ob *finem theoricum*, ad independentiam ſuam à cauſis ſecundis oſtendendam, partim ob *finem practicum*, ad erigendam filiorum ſuorum ſpem contra ſpem, & animos eorum à cauſarum ſecundarum intuitu in earum defectu ad ſe erigendos.

XVIII. *Abſque mediis* Deum operari Scriptura teſtatur non tantùm in rebus creandis, ſed & in rebus jam creatis gubernandis, ſive illæ *naturales* ſint, ut patet ex fœcundatione terræ immediata, Gen.2.5.6. ſive *libera*, ut patet ex ſuſtentatione Moſis & Eliæ miraculoſa, Exod.34.28. 1.Reg.19.8. & miraculorum variorum immediata patratione, Roman.4.13. *Præter* aut *ſupra media*, Deum quandoque operari patet ex pleriſque Moſis & Prophetarum & Chriſti miraculis, in quibus quidem ſæpè uti voluit mediis, ſed talibus quorum necullus in effecta producta influxus eſſe potuit, nec ulla naturalis cum iis connexio. Sic percuſſione aquarum eæ converſæ in ſanguinem, aquis Jordanis curata lepra, prehenſione manus erecta mortua, fimbriæ Chriſti apprehenſione curata ægra, umbra Apoſtolorum ſanati morbidi. *Contra media* Deum interdum operari patet exemplis ut Eliæ aquas affundentis altari in quo ignis accendi debebat, corvi alentis Eliam, Chriſti curantis luto cœci oculis impacto cœcitatem. Gemina exempla in Solis & ſtatione & retrogradatione, & ſociorum Danielis præſervatione in fornace Babylonica. Ut ut verò iſta Dei gubernatio intercedat *naturæ particulari*, nunquam tamen intercedit *univerſali*. Illi à ſe interceſſum quandoque voluit Deus ad potentiæ & bonitatis ſuæ, iſti nunquam, ad conſtantiæ ſuæ teſtificationem.

XIX. *Mediata* Dei *gubernatio* eſt, quâ Deus cauſarum ſecundarum interventu ſecundùm earum naturam illis à ſe inſitam operatur, partim ob *finem theoricum* ad bonitatis ſuæ demonſtrationem, partim ob *practicum*, ad mediorum à ſe conditorum uſum, Matth.4. verſ.6.7. Act.27.24.31. Nec iſta gubernatio mediata imbecillitatis nota eſt, ſed potentiæ, nec fit ex defectu virium, ſed ex abundantia bonitatis, nec creatoris à creaturis notat dependentiam, ſed iſtarum potius ab illo, quippe cui omnes ſunt obnoxiæ & *ſemper* & *ad ſemper*.

XX. *Mediata* iſta gubernatio ſpectari poteſt vel in creaturis *inanimatis* vel in *animatis*, iiſque partim *ratione* vel *intellectu* deſtitutis, partim præditis. Quæ prævidentiæ divinæ operatio non eſt deſtructiva naturæ rerum, ſe perfectiva, & Creatori ſimul ac Creaturis glorioſa.

XXI. Gubernatio Dei ſpectata in creaturis *inanimatis*, eſt earum motio & ad actus & ad fines ſuos ſecundùm vires illis inſitas, & earundem *ῥοπὴν* ſive inclinationem naturalem, ſine ulla actus *quo* vel finis *ad quem* feruntur, cognitione. Hoc modo Deus corpora *ſimplicia* ciet, & *mixta* ſive *imperfectè* ſive *perfectè* talia. Sic levia moventur à centro ſurſum, gra-

uia

via ad centrum deorſum, neutra circa illud.

XXII. Gubernatio Dei ſpectata in creaturis *animatis*, eſt earundem motio & ad *actus* & ad *fines* ſuos, prævia utrorumque apprehenſione, conveniente naturis ſingularum. Ut verò illa partim ſolo *ſenſu*, partim *ratione*, partim *intellectu* prædita ſunt; ſic diverſa circa ſingula Dei gubernatio datur, diverſa etiam ſingulorum apprehenſio eſt. Illa quæ ſolo *ſenſu* prædita ſunt, gubernat Deus ea ad actus & fines ſuos ciendo, prævia ea quam habent apprehenſione ſenſitiva quæ tantùm verſatur circa τὸ ἥδιον & circa τὸ χρήσιμον, circa *jucundùm* & *utile*, haudquaquam verò circa τὸ καλὸν ſive *honeſtum*, quod iſtis naturis non eſt ἐφικτόν. Nec vel finem apprehendunt quà talem *formaliter* ſive *reduplicativè*, vel connexionem mediorum aſſequuntur cum fine, ſed ut inanimata feruntur *inclinatione* ſibi à natura inſita, ſic iſta feruntur *inſtinctu* naturali. Et ut illæ ſolum finem *particularem* norunt, *univerſalem* non item, ſic ad illum tantùm feruntur, non verò ad iſtum.

XXIII. Gubernatio Dei ſpectata in creaturis *ratione* præditis, h. e. hominibus, eſt earundem motio ad *actus* & *fines* convenientes, intercedente & apprehenſione *directiva* intellectus, & *inclinatione* ac *determinatione* liberâ voluntatis. Et quamvis Deus cum earum actionibus concurrat *immediatione* tum *ſuppoſiti*, tum *virtutis*, nec hoc tamen concurſu, vel earum gubernatione Deus euertit principia iis inſita, ut nec eorum ſiue naturam, ſiue facultates, ſiue ordinem, ſiue uſum. Hinc eas gubernat partim propoſitione objecti ſiue amplexandi, ſiue fugiendi, partim motione potentiæ ad ejus ſiue amplexationem, ſiue fugam idque ſub ratione vel *honeſti*, vel *utilis*, vel *jucundi*, ut & intellectus rationem motiuam ſui ad actum apprehendat in ipſo objecto, & voluntas in id feratur ex propria & liberrima determinatione ſine ulla *neceſſitatione* vel *naturæ* vel *coactionis*. Quæ tamen motio non excludit *neceſſitatem* vel *dependentiæ* à cauſa prima, vel partim *immutabilitatis* ex parte decreti diuini, partim *infallibilitatis* ex parte præſcientiæ diuinæ. Ut ut itaq; agat neceſſariò, ſecundùm rationem prædictam, liberrimè tamen agere non deſinit, quia agit, quod ſibi videtur agendum, & quod vult agere. Et præcipuæ quæ hic à ratiocinatione humana opponi ſolent argutationes ad eludendum vel Dei cum homine concurſum, vel iſtius libertatem, in eo peccant, quod libertatis naturam metiuntur ex ἰσοῤῥοπίᾳ in utrumque oppoſitorum, & ei τὸ ἀμφιῤῥεπὲς eſſentiale faciunt, partim neceſſitatis & libertatis rationes *incompoſſibiles*, ut loquuntur Scholæ, conſtituunt, manifeſto elencho & vitioſæ definitionis libertatis, & oppoſitorum. Neceſſitatis enim libertatiſque rationes compatibiles in eodem ſubjecto eſſe patet ex omni agente libero ſiue primo, ſiue ſecundis, & ex cuiuſque inclinatione & liberrima, & neceſſaria ad vltimum finem, & ex natura ipſius voluntatis cui ipſa libertas neceſſaria eſt. Supponitur etiam gratis, libertatem in agendo eſſe independentiam, & hominem liberum eſſe non poſſe, quin ſit αὐτεξούσιος, vel ἀδέσποτος, adeoque quin ſit non homo, & deſinat eſſe quod eſt.

XXIV. Ut verò agentium ex ratione duplices ſunt *actus*, quidam boni, quidam mali, duplices etiam *fines* actuum, ſic diverſa Dei circa utroſque eſt gubernatio, & aliter Deus concurrit cum illis, aliter cum iſtis. In *actibus bonis* intercedit gubernatio Dei *effectiva*, & actus *phyſicè* conſiderati, & *ἀξίας ethicæ* in actu, quia omne bonum à primo bono eſt & *effectivè* & *approbativè*. In actibus verò *malis* intercedit gubernatio Dei & *permiſſiva* & *directiva*. *Permiſſiva* non ratione permiſſionis *ethicæ*, h. e. relaxationis legis, ſed ratione permiſſionis *phyſicæ*, h.e. non impeditionis Pſal.81. 73. Actor. 14. 16. *Directiva* tum quoad *fines* à peccante non ſpectatos, tum quoad *modum* vel *menſuram* malorum actuum. Priori modo Deus bonum è malo educit, vel mala in bonum admirando convertit modo Geneſ.50. 20. poſteriori autem circumſcribit & coercet tanquam obice objecto tum peccantes, tum peccata, Iob.1.12. & 2.6. Act.2.24. & 4.28.

XXV. Quæ Dei circa malos & mala gubernatio. 1. Deum peccati authorem haudquaquam facit, quippe qui eius nec *phyſica* cauſa cenſeri poteſt, ut qui nec malum inſpirat, nec infundit, nec facit, nec *ethica*, quippe qui id nec imperat, nec ſuadet, ſed prohibet & punit. 2. Peccantes nullomodo excuſat, nec enim vel *naturæ* vel *coactionis* neceſsitatem illis in operando infert, nec intercedit, quominus liberrimè agant quæ ipſis agenda videntur, & quæ agere volunt, adeoque nec iſta gubernatio vel libertatem, vel *προαίρεσιν*, vel ſpontaneitatem in actione tollit.

XXVI. Quod quidem locum habet non tantùm ratione actuum hominum à primo ortorum, ſed etiam reſpectu primi lapſus primi hominis, quia Deus eum nec coegit ad lapſum, nec illi inſpirauit voluntatem labendi, nec naturæ neceſsitatem inſevit ad labendum, qualis reperitur in agentib. ex neceſsitate naturæ, carentibus libertate omni & *contradictionis* vel *exercitij*, & *ſpecificationis* vel *contrarietatis*, nec illi abſtulit gratiam ullam in creatione datam, ſed tantùm diſtulit gratiam confirmationis non datam, idque ex liberrimo voluntatis ſuæ beneplacito, quo de ſuo diſpenſat ut vult, liber æquè donorum ſuorum negator ac dator. Præterquam quod in creatione omnia primo homini dedit neceſſaria ad τὸ poſſe ſtare, & ad τὸ poſſe non labi. Nec dare illi debuit, vel actualem *ſtationem*, ut ita loqui liceat, vel τὸ *velle* ſtare, tum quia indebitum prorſus erat donum, tum quia hominem & tentatum voluit, & in tentatione ſibi relictum, tum quia ex tentati & liberrimè deficientis lapſu ſanctiſsimos & utiliſsimos fines educere voluit, ut ex tota peccati & redemptionis œconomia *à poſteriori* patet. Nec neceſsitas lapſus ex negatione iſtius gratiæ vel libertati labentis, vel ſpontaneitati ad labendum ulla ratione intercedit, non magis quàm negatio gratiæ reſtitutionis intercedit in irregenitis & Diabolis quominus liberrimè labantur in ſingulis actibus ſuis. Nec concurſus diuini ad τὸ ſtare actuale negatio Deum peccati auctorem arguit, vel exactorem ab homine ut ſit independens in ſuo actu, ſed oſtendit tantùm aliquam lapſus neceſsitatem quamuis conjunctam cum ſumma labentis libertate; & Deum voluiſſe permittere, negato iſto concurſu, vel negata

iſta

iſta confirmationis gratia ut certò laberetur. Sed prout Deus eum certò labi voluit ut patet ex decreto æterno Dei de eius & redemptione & inſtauratione, ſic ſimul liberrimè eum labi voluit. Nec magis ob negatum iſtum Dei ad ſtationem actualem primi hominis concurſum deſiit ipſius defectio eſſe liberrima, quàm ob liberrimum Dei concurſum cum cauſa agente ex neceſsitate naturæ, v. g. ignis deſinit eius operatio eſſe naturalis vel neceſſaria. Præterquam quod nec homo labens vel cogitauit de negatione concurſûs diuini, vel magis à culpâ lapſûs excuſatur quàm Herodes & Pilatus ob negationem concurſus diuini ad non tangendum Chriſtum à flagitio in ipſum admiſſo.

XXVII. In gubernatione etiam Dei diſtinguenda ſemper in actione mala, I. *Actus* reduplicatiuè quà talis. II. *Αταξία* cum eo conjuncta, vel eum comitans. III. *Iudicium* conſequens. 1. Ad *Actum* quemvis Deus *efficienter* concurrit, quippe qui quà talis ſemper bonus eſt, ſecundùm *entitatem* ſuam, nec magis cum actu vitium confundi debet, quàm lepra cum corpore, vel macula cum ſubſtantia parietis. 2. Ad *ἀταξίαν* concurrit *permiſsiuè*, nec ſolicitantem ad peccatum inhibendo, nec objecti propoſitionem prohibendo, nec cupiditates hominis exæſtuantes coercendo. Quæ permiſsio vtique actus voluntatis eſt, quandoquidem Deus non nolens, ſed volens permittit peccatum, quippe quo nolente, h, e. non decernente nihil accidere poteſt, & qui malo ipſo ad optimos fines uti ab æterno conſtituit: & quos etiam in tempore ex eo, quamvis præter & ſupra tum intentionem peccantis tum naturam peccati, educit. 3. Ad judicium etiam Deus concurrit *efficienter*, quippe quod quà tale optimum eſt. Et quamvis idem & culpa eſſe poſsit & pœna *ſubjectiuè* vel *materialiter*, *formaliter* tamen vel ſecundùm diuerſas formalitates ſemper in eadem actione perverſa diſtingui poteſt & vitium & judicium.

XXVIII. Gubernatio Dei ſpectata in creaturis mero *intellectu* prædiis, quæ ob id *intelligentiæ* nominari ſolent, vel Angelis, eſt eorundem motio ad *actus* & *fines* convenientes intercedente pari ratione & apprehenſione prævia intellectus & inclinatione ac determinatione libera voluntatis. Ut enim duo iſta agendi principia ſibi à Deo inſita Angeli habent; ſic Deus per illa & illorum uſum eos gubernat, nec ullam vel naturæ vel coactionis neceſſitatem iis infert, quanvis eadem dependentiæ neceſsitate reſpectu Dei cum reliquis creaturis teneantur, à qua nulla creatura, utut in ſphæra ſuperiori conſtituta, eximi poteſt, quin deſinat eſſe talis. Et quanvis ipſi Angeli liberrimè agant quod agunt, adeoque quod maximè & liberrimè cenſent agendum, non deſinunt tamen neceſſariò agere, habita ratione tum immutabilitatis decreti diuini, tum infallibilitatis præſcientiæ diuinæ.

XXIX. Quod quidem tum reſpectu illorum locum habet, qui perſtitêre in integritate & ſede ſua, in qua creati fuêre, tum reſpectu illorum qui ea excidêre. Nec enim ob *collationem gratiæ confirmationis* quam Deus prioribus indulſit, deſiit eorum obedientia eſſe libera, non magis

quàm Chriſti in terris, quæ & ipſa & libera fuit & neceſſaria ſimul. Nec ob *negationem* iſtius *gratiæ*, ex qua ſequitur lapſus, deſiit poſteriorum inobedientia pariter eſſe libera, affectando enim gradum ſuperiorem ὑπεροχῆς bonis principiis ſed mutabilibus, liberè, inſtar hominum, abuſi ſunt, & id fecêre quod faciendum ſibi falſa boni majoris apparentis ſpe illecti, deluſique cenſuêre. Nec vel confirmati Angeli in bono, vel derelicti in malo hodieque gubernationi Dei minus ſubſunt, ſed ut utrorumq; eſſe ſemper dependens eſt, ſic & operari. Nec ob id vel bonorum Angelorum motus minus laudabiles eſſe deſinunt, vel malorum minus culpabiles, cauſa prima non excludente, ſed includente cauſas actuum proximas, à quibus ſpeciem ſumunt. Utut itaque & illi certò permanent in bono, iſti in malo, utrique ſumma libertate & lubentia in eo perſiſtunt in quo perſiſtunt, nec magis concurſus Dei cum actibus malis iſtorum vitio inquinatur, quàm concurſus Solis ad maturationem plantæ venenatæ Solem inficit, aut inficere poteſt.

XXX. *Finis* providentiæ divinæ vel *ſupremus* eſt, vel *ſubalternus*. *Supremus* prouidentis gloria, partim in ſapientiæ, partim in potentiæ, partim in bonitatis, partim in juſtitiæ, partim in miſericordiæ diuinæ demonſtratione, quæ ex bonorum efficientia, malorum permiſsione, utrorumque directione & ordinatione elucet, cui nec mala intercedere poſſunt *ethica*, nec ea quæ in ordine ſive *phyſico*, ſive *politico* occurrere videntur ἄτακτα & confuſa. Quippe quæ omnia & ſapientiſsimè permiſſa, & potentiſſimè ad bonos fines directa tandem patet, Prouerb. 16. 4. Roman. 11. 36. *Subalternus* finis eſt, partim bonorum vel tentatio, vel caſtigatio, vel liberatio, vel tandem ſalus, Roman. 8. 28. partim malorum pœna. Sæpe etiam uniuerſæ potius quàm particularis naturæ bonum, prout in communitate ad commune potius omnium, quàm ad ſingulare, hujus vel illius indiuidui bonum omnia diriguntur.

XXXI. *Effecta* prouidentiæ diuinæ ſunt & *res* & *perſonæ* omnes, partim quà conſeruatæ in ſuo eſſe, partim quà gubernatæ in ſuis actibus, Actor. 17. 28. Col. 1. 17. quæ ut neceſsitatem habent, ſed *hypotheticam* tantùm & *conſequentiæ*, ex parte cauſæ primæ; ſic nec libertatem reſpectu cauſarum liberè, nec contingentiam, reſpectu contingenter agentium habere deſinunt, Deut. 19. 4. Pſal. 107. 23. 24. Matt. 10. 29. 30. Luc. 22. 22. Nec ſub hac ſphæra continentur naturæ tantùm uniuerſales, ſed & ſingulares, nec cœleſtes tantùm & digniores, ſed & ſublunares, quæque maximè providentia diuina indignæ, ut & eventus qui præter eam & eius directionem contingenter omninò accidiſſe videntur.

XXXII. *Adjuncta* prouidentiæ diuinæ metienda ſunt ex natura providentis, ejuſque attributis. Quum enim providens & ſapientiſsimus ſit, & optimus, & liberrimus, & potentiſsimus, & juſtiſsimus ac immutabilis, eadem in prouidentiæ diuinæ tum adminiſtratione, tum conſideratione elucent attributa, Deuteronom. 33. 4. Job. 12. 13. Pſalm. 115. v. 3. Pſal. 119. 137. Pſ. 139. 7. 8. Eſa. 46. 10. Dan. 4. v. 35. Quæ & ipſa partim rebus, partim

partim eventibus, partim replicatione omnium & ſingulorum, & conſcientia ipſa hominis in providentiam Dei intuentis probantur. Certum quidem, occultam interdum providentiæ divinæ rationem eſſe tum in beneficiis, tum in judiciis, & intellectui humano ἀνεξιχνίαστον, prout ipſa providentis natura talis eſt, Rom. 10. 33. Certum tamen etiam, eam nec inſipientem nec injuſtam nec malam eſſe poſſe, non magis quàm ipſa providentis natura, quippe quæ aliena eſt ab omni in agendo non tantùm deficientia, ſed & defectibilitate.

XXXIII. Damnamus 1. Eos qui cum *Epicuri* Schola omnem Deo providentiam abrogavêre, ac Deum inſtar Baalis vel cœcum vel abſentem vel impotentem finxêre, adeoque Numen verbis profeſſi, re ipſa ſuſtulêre. 2. Eos qui cum *Manichæorum* Schola duo principia & condentia & providentia ſtatuêre, unum bonis, alterum malis eventibus ciendis & regendis deſtinata. 3. Eos qui aliquam & potiſſimam quidem prouidentiæ diuinæ partem euerſum iuêre, ſiue uniuerſalia, ſiue digniora, ſiue cœleſtia tantùm prouidentiæ diuinæ ſubjiciendo, cum *Peripateticorum* quorundam Schola, eamque inter intelligentias & corpora cœleſtia diuiſam, & intelligentias & aſtra regenti, & utriſque prouidenti ſubduxêre. Quò pertinet illorum opinio, qui contendunt, Deum & cauſas ſecundas inſtituiſſe, & vires iis ad agendum inſeviſſe, ad actiones verò haudquaquam eas impellere. Hac ratione cauſæ ſecundæ, & ſecundæ erunt, quà tales, & primæ ſimul *ex hypotheſi*, movebunt enim non motæ prius. 4. Eos qui cum *Stoicorum* Schola fatalem quandam rerum omnium combinationem ex neceſſitate quadam naturæ ortam & Deum ipſum implicantem finxêre. 5. Eos qui cum *Libertinorum* Schola prouidentiæ diuinæ ſcelera & flagitia ſua impacta voluêre. 6 Eos qui cum *Aſtrologorum* & *Planetariorum* quorundam Schola non naturales tantùm euentus ab aſtris ſuſpendunt, ſed & actus liberrimos æquè ac contingentes planè ſive caſuales, ſiue fortuitos. 7. Totam veritatis hoſtium turbam, qui orthodoxarum Eccleſiarum doctrinam de prouidentia Dei, Deum peccati auctorem ſtatuere conſpirantibus & animis & ſuffragiis, ſed ex mera ærugine contendunt, cum vel ipſimet gemina nobis doceant, vel docere debeant, niſi & ſapientiæ & prouidentiæ Dei oculos configere velint. 8. Eos qui prouidentiam Dei circa peccata in meram permiſſionem, & otioſam quidem conuertunt, & operationem *efficacem* ab *efficiente* diſtinguere vel nolunt, vel non norunt. 9. Eos qui profano ſpiritu vel cauſarum ſecundarum operationes à prouidentia diuina ſubuerti cenſent, vel finem opponunt mediis, vel Dei prouidentiam à mediis & iis quidem quibus ipſi Deum alligatum volunt, ſuſpendunt, adeoque & potentiæ & libertati Dei pariter intercedunt.

DISPVTATIO
DE
PROVIDENTIA ACTVALI DEI.

THESIS I.

OPERA *Naturæ*, in Scholis Theologicis ſic dicta, diſtingui ſolent in opera *Creationis* & *Providentiæ*: de illis actum Diſputatione ſuperiore, de iſtis hac agendum.

II. Sunt verò opera Providentiæ ea, quæ Deus edit in natura, partim res omnes in ſuo eſſe *conſervando*; partim eas & earum actus tum *gubernando*, tum *dirigendo* ad fines decreto Providentiæ ſuæ præſtitutos.

III. Ut itaque in argumento de decretis Dei actum jure de decreto Providentiæ, ſic in argumento de executione decretorum & operibus inde procedentibus agendum de actuali Dei Providentia.

IV. Iſtius Thematis Conſideratio revocari poteſt ad duo Capita, 1. Ad quæſtionem *an ſit?* 2. Ad quæſtionem *quid ſit?*

V. Quæſtionem, *an ſit* ejuſmodi Providentia Dei, decidunt argumenta 1. ἄτεχνα. 2. ἔντεχνα: illa ſunt *teſtimonia* S.Scripturæ, iſta *rationes*. *Prioris generis* argumenta habentur demonſtrativa Capitibus integris fermè Iob.28.38.39.40.41. Pſalmis etiam 39.90.91.94.104. 107.147 Dan.4. v.35. Matth.6.26.&c. Matth.10.29.&c. Ioh.5.17. Actor.14.15.&c.& 17.25. Eph. 1.11. Hebr.1.3.

VI. *Poſterioris generis* argumenta peti poſſunt tum à *natura* Dei *providentis*; tum à *natura rerum*, circa quæ Providentia Dei occupatur.

VII. A *natura* Dei *providentis*, quippe qui 1. Ens *Primum* eſt & prima rerum omnium Cauſa: ut omnis entitatis effectrix, ſic omnium quæ vel in Ente vel ab Ente ſunt ſive productrix, ſive directrix. 2. Ens *Sapientiſſimum*. Sapientia infinita præditum, quale principium omnium directivum eſſe debet, ſine cujus ductu nihil vel ſit in rebus creatis, vel fiat ab illis. 3. Ens *Potentiſſimum*, à cujus nutu alia omnia pendere debent in fieri, eſſe, & operari. 4. Ens *præſcium omnium* antequam fiant, etiam quæ maxima fortuita & caſualia videntur, idque ex decreto, in quo ſolo ea Deo velut objici poſſunt.

VIII. A *natura rerum*, circa quæ Providentia Dei occupatur, idem probari poteſt. Cum enim illæ & cauſæ ſecundæ ſint, & entia dependentia,

neutrum

neutrum dici poſſent, niſi à conſervatione & directione Cauſæ primæ penderent. Adde admirandum rerum omnium ordinem, qui non poteſt non à ſumma Sapientia pendere.

IX. Ad Quæſtionem *quid ſit* Providentia Dei actualis; notanda ejus 1. *Deſcriptio.* 2. *Diviſio.* 3. *Natura.*

X. *Deſcriptio* eſt, Providentiam Dei actualem eſſe, omnium entium quæ ſunt à Deo conſervationem, eorumque cum actibus qui vel ab iis vel circa ea fiunt gubernationem & directionem ad gloriam ſuam.

XI. *Diviſio* eſt, providentiam illam diſtribui poſſe vel in *communem* & *propriam*; vel in eam quæ *circa alia entia*, & in eam quæ *circa homines* occupatur; cujus conſideratio [illegible] potiſſimùm attendi debet.

XII. *Providentia communis*, quæ circa alia entia extra hominem verſatur, *Natura* referri poteſt. 1. Ad ejus *Cauſas.* 2. *Effecta.* 3. *Adjuncta.*

XIII. *Cauſa efficiens* Providentiæ actualis eſt Deus Trinunus, Pater, Joh.5.17. Filius, Hebr.1.3. & Spiritus Sanctus, Gen.1.2. Pſal.104.30. ſalvo operandi modo, conformi modo ſubſiſtendi *Cauſa προηγουμένη* eſt merum Dei beneplacitum, Dan.IV.35. *Cauſa Inſtrumentales*, ſunt Creaturæ quævis, cœlum, terra, Hoſ.2.v.21.22. Inſecta, Joelis 2.11, Homines, Rom.13.4. Angeli, Hebr.1.v.14.

XIV. *Cauſa materialis* vel *objectum* circa quod Providentia actualis verſatur, ſunt *in genere.* 1. *Entia* omnia. 2. *Actus* omnes entium. *In ſpecie*, Objectum Providentiæ divinæ conſiderari poteſt 1. Ratione *graduum eſſendi*, qui ſunt in mundo; ſic Providentiæ Dei ſubſunt & ea quæ *eſſe* tantùm habent, Iob.28.24. & ea quæ habent *eſſe vitale*, Pſal.104.13.14. Matth.6.30, & ea quæ habent *principia ſenſationis & motus*, Pſal.147.9. & ea quæ habent *rationem*, Prov.16, v.1.9. & denique ea quæ mera *intellectione* utuntur, Pſ.91, 11. & Pſ.104.4. 2. Ratione *Quantitatis*: & ſic ſub objecto Providentiæ divinæ continentur, & magna, Job.38.verſ.8.&c. Dan.4.v.10. & medioxuma, Matth.6.v.26.28. & parva, Matth.10.v.30. 3. Ratione *Qualitatum*; & ſic ſub objecto providentiæ divinæ ſunt tum *neceſſaria* ratione nexûs cauſarum neceſſarii in natura conſtituti; Hoſ.2.v.21.22. Pſal.104.v.13.14, tum *contingentia* ſive *caſualia* ſive *fortuita*, Exod.21.v.12.13. Prov.16.v.33. ſive *libera*, Proverb.21.1. tum *bona*, Phil.2.13. tum *mala*, ſive *æquivocè* ea quæ *pœna*, Amoſ.3.v.6.7. ſive *univocè* ea quæ *culpa* dicuntur, Gen.45.v.8.& 50.verſ.20, 2.Sam.12.v.11.12. Act.4.v.27.28.

XV. *Cauſa formalis* vel *forma* Providentiæ divinæ eſt, omnium quæ in Sphæra objecti providentiæ divinæ reperiuntur, partim *conſervatio* partim *gubernatio.* *Conſervatio* eſt actus, quo Deus omnia à ſe condita ſuſtentat, Neh.9.v.6. Pſ.36.v.7. & ſpectatur ſive quoad *eſſe ſpecificum* rerum, Gen. 1.v.28.29. ſive quoad *eſſe individuale*, Job.14.v.6, Pſ.39, v.5.6, ſive quoad *vires* & *actus* rerum, Act.17.v.28.

XVI. *Gubernatio* eſt actus, quo Deus & *res* omnes, & *perſonas* omnes & *actus* omnium tum rerum tum perſonarum ſapientiſſimè regit, & ad fines ſuo decreto præſtitutos dirigit, Rom.11.verſ.36. Epheſ.1.2. Diſtingui illa

poteſt ad faciliorem captum 1. *Formaliter.* 2. *Modaliter. Formaliter*, eſt enim vel *effectiva* & *perfectiva* boni, quod à Deo efficienter eſt, Phil.2. v.13. Jac.1.v.17. vel *permiſſiva* mali, *permiſſione* non *ethica* per relaxationem legis, ſed velut *phyſica* per non impeditionem ejus. Quæ gubernatio etſi nullo modo ſit effectiva mali *abſtractivè* & *reduplicativè* ſumti, otioſa tamen non eſt ſed *efficax*, partim ad malorum *concretive* talium, ad mala ſponte ruentium, coërcitionem potentem; partim ad eorum directionem ſapientem ad optimos & à malis non intentos fines ſine ulla peccati contage, Gen. 50.v.20. 2.Sam.16.v.10. Act.4.v.28.

XVII. *Modaliter* conſiderata gubernatio Dei, eſt vel *mediata* vel *immediata*, vel *ordinaria* vel *extraordinaria*. *Mediata* eſt, qua Deus miniſterio cauſarum ſecundarum res gubernat; non ex defectu potentiæ, ſed ex abundantia bonitatis, & teſtandæ ſuæ non indigentiæ, ſed potentiæ, Hoſ.2. v.21.22. Pſ.91.11.&c. Ut verò Deus utitur cauſis *inanimatis* per *pondus* vel *inclinationem* quandam illis inſitam; *animatis* per *inſtinctum* naturæ illorum impreſſum: ſic utitur *rationalibus* convenienter naturæ *principii* tùm *directivi* tum *imperativi*, quod eſt in illis, ſalvo *mentis* judicio, ſalva *voluntatis* libertate, ſine ulla vel *naturæ* vel *coactionis* neceſſitate, concurſu ſuo attemperato naturæ illorum quibuſcum concurrit, & principiis illi à ſe inſitis.

XVIII. *Immediata* Gubernatio eſt, qua Deus vel *ſine mediis*, Gen.2.5.6. Rom.4.17. vel *præter* aut *ſupra*. Joh.2. & 11. vel *contra* naturam mediorum, Exod.14.16. Joſ.3.16. 1.Reg.18.34. 2.Reg.6.6. in rerum vel *effectione* vel *mutatione* vel *directione* agit, oſtendendæ ſuæ potentiæ non alligatæ cauſis ſecundis, nec earum indigæ: nobis etiam erudiendis, ut ex *mediata* Dei gubernatione, benedictionem ejus in mediis & per ea nobis quærendam diſcamus; ex *immediata* diſcamus, mediis utendum quidem eſſe, haudquaquam tamen hærendum.

XIX. *Ordinaria Gubernatio* Dei eſt, qua & *plerumque* utitur, & utitur *ordine* à ſe in natura conſtituto *ſervato*, Hoſ.2.21.22. *Extraordinaria*, qua Deus quandoque tantùm & *ordine* à ſe in *natura particulari* conſtituto *immutato* utitur, v. gr. in miraculorum productione. Recurrit itaque quoad rem *ordinaria* gubernatio cum *mediata*, *extraordinaria* cum *immediata*.

XX. *Finis* Providentiæ actualis eſt vel *ſummus*, Dei providentis gloria, Proverb.16.4. Rom.11.36. Col.1.16. vel *ſubalternus*, tum rerum omnium partim ſubſiſtentia; partim ordo & conjunctio, tum hominis præſertim inſtructio, conſolatio & ſalus, Matth.6.28. & 10.28.29. Rom.8.28.

XXI. *Effecta* providentiæ ſunt partim *res*, partim *actus* rerum: Illæ & quà *conſervatæ* tum in eſſe ſuo, tum in operari ſuo, & quà *gubernatæ*; iſti quà *gubernati*, Act.17.28. Col.1.17. Sunt verò effecta quædam *providentiæ ordinariæ*, opera nimirum naturæ creatæ vim non excedentia; quædam *providentiæ extraordinariæ*, opera nimirũ naturæ createę vim excedentia, ut miracula.

XXII. *Adjuncta* providentiæ ſunt conformia naturæ Dei providentis. Eſt itaque providentia partim *liberrima* in deſtinatione, partim *ſapientiſſima* in directione, partim *potentiſſima* vel *efficaciſſima* in executione,

partim

artim *ſanctiſſima, juſtiſſima* & *optima* in modo agendi, partim *immutabilis* in ermino deſtinato, Deut.4.35.Pſ.115.3.Eſa.46.10.Rom.11.33.

XXIII. *Providentia* Dei *propria* ſpectari poteſt circa homines. Ut enim Deus in creaturis aliis ſublunaribus variis aliquod ſui *veſtigium*, ſic in iſtis *maginem* ſuam exſtare voluit, adeoque ſingulari quadam ratione circa llarum gubernationem ſe habet: quippe qui & reliquarum creaturarum quaſi compendium quoddam ſunt & velut objectum præcipuum curæ divinæ. Quamvis verò & Angeli ad hanc providentiæ divinæ partem eferri poſſint, quia tamen Scriptura de providentia Dei circa Angelos parcior, circà homines uberior longè eſt, & iſta conſideratio & utilis magis & magis neceſſaria illa eſt providentiæ propriæ Theoriam reſtringimus hîc ad homines.

XXIV. Poteſt verò providentiæ propriæ conſiderari 1. *Objectum*. . *Actus* circa iſtud objectum. *Objectum* iſtud vel *generale* dici poteſt, vel *ſpeale*, idque *comparativè*: Illud ſunt quivis homines, iſtud fideles, 1.Tim.4. o.& utrorumque actus tum boni, tum mali.

XXV. Quia itaq; objecta iſta diverſi generis & ordinis ſunt diverſi-nodè etiam circa iſta occupatur providentia Dei propria. Circa quoſvis omines; partim eorum naturam conſervando, partim eorum motus diigendo, Actor.17.27.28. Circa fideles, non ſolùm eorum naturam conſerando & motus eorum dirigendo, verùm etiam iis motus bonos inſpiando, & eos ſingulari ratione protegendo. 1.Tim.4.10. Illa providentia *ræ* tantùm, iſta *amoris* etiam *comparatè* vocari poteſt.

XXVI. Vt verò actus hominum ſunt *duorum generum*, boni & mali, ſic tiam providentia Dei aliter circa illos, aliter circa iſtos occupatur. Circa *onos actus* occupatur 1. *Effectivè* tum quoad *materiam*, h.e. entitatem actus, um quoad *formam*, h.e. qualitatem ejus, Jac.1.17. ciendo & actus, Act.17. 7.28. & bonitatem actuum, tum quoad propoſitum, tum quoad execuionem, Phil.2.17. ſine ulla vel *naturæ* vel *coactionis* neceſſitate Nec ob id Deus in homine velle vel operari dici debet in genere *cauſæ formalis*. ſed in enere *cauſæ efficientis* duntaxat. 2. *Approbativè*, partim probando bonos ctus, Rom.12.1.2. Eph.5.10. partim remunerando, non *legaliter* ſed *Evangelicè*, non ex rigore, ſed ex gratia, quandoque in hac vita, ſemper in futura, .Tim.4.8.Heb.6.10.

XXVII. Circa *malos actus* occupatur providentia Dei 1. *Effectivè*, quoad entitatem actuum, quæ bona eſt nec poteſt non eſſe à primo Ene. 2. *Permiſſivè*, quoad malitiam actuum, *permiſſione*, ut dictum eſt, on *ethica*, quæ actus juſtitiæ eſt, ſed *phyſica*, quæ eſt actus potentiæ ive libertatis. Nec enim Deus vel legem ſolvit, quam dedit, vel diſpenſat legem datam in actibus arietantibus in *honeſtum æternum*, ſed antùm ſuſpendit influxum ſuum, nec inhibet vel peccantem, vel pravam peccantis voluntatem, quo minus erumpat. Pſalm.81.13. Actor.14. 6. Nec ob id ulla peccati cauſalitas Deo adſcribi poteſt; cujus quippe nec *cauſa phyſica* eſt, id vel inſpirando vel efficiendo ſive in totum, ſive ex parte; nec *ethica*, id vel imperando vel conſulendo. 3. *Directivè*,

& malos *concretivè* coërcendo, & mala *abſtractivè* circumſcribendo, tum *intenſivè* quoad eorum vim, tum *extenſivè* quoad eorum durationem, & ea ordinando ad fines à ſua ſapientia præſtitutos & præter agentium deſtinationem, & præter actum naturam Gen.50.20. Jobi 1.12. Act.2.24. & 4. 28. 4. *Iudicialiter*, & mala improbando, & malos puniendo, morte tum ſpirituali, tum corporali, tum æterna, in illis qui relinquuntur in ſtatu peccati ſub lege, Deut.27.26. Rom.6.23 Quod verò *ratione demeriti* incurrunt filii Dei, id *ratione executionis* inhibetur a Deo in iis, qui à ſtatu peccati in ſtatum gratiæ ſunt translati; cum quibus Deus non agit κατὰ τὸ ἀκριβοδίκαιον τοῦ νόμου, ſed ſecundùm ἐπιείκειαν in Euangelio manifeſtatam, Roman. 5.1. & 8.1.

XXVIII. His in anteceſſum poſitis, damnamus, 1. *Atheos*, impios, profanos, qui actualem Dei providentiam in totum negant. 2. *Paganos*, qui eam ad nobiliores duntaxat creaturas reſtrinxerunt. 3. Conquerimur de illorum iniquitate, qui ex Reformatarum Eccleſiarum de actuali Dei providentia, doctrina, nec veritatis nec charitatis ratione habita, inferunt eas Deum facere Auctorem peccati. 4. Illorum ſententiam improbamus, qui nudam & otioſam permiſſionem in providentia Dei circa mala ſibi imaginantur. 5. Illos explodimus qui *naturæ naturatæ* tantùm adſcribunt, quod *naturæ naturantis* eſt potiſſimùm; vel qui aut caſui aut fortunæ tranſcribunt quod Dei directioni tranſcribi debet. 6. Illos perſtringendos cenſemus, qui futurorum contingentium præſcientiam certam Deo ademtum eunt, & talia reſpectu Cauſæ primæ etiam dari cenſent.

DIS-

DISPVTATIO
DE
OPERIBVS CREATIONIS.

Thesis I.

A Ctum hactenus de *Decretis* Dei: Agendum deinceps de Dei *Operibus*, quæ ſunt velut executio decretorum Dei, Pſ. 115.v.3.Eph.1.v.11.Sunt verò illa vel *Naturæ*, vel *Gratiæ*; illa communia ſunt, iſta non item: Inter illa primum eſt *opus Creationis*, & ἀποτελέσματα id conſequentia. Diſcipiendum itaque nobis in præſens, I. De creatione in *genere*, II. De peribus creationis in *ſpecie*: utrumque compendio pro methodi noſtræ nſtituto.

II. *Creatio* eſt prima rerum omnium in principio ex nihilo à Deo ad loriam ſuam productio, Gen.1.v.1.Neh.9.v.6. Matth.23.v.9. Hebr.11.v.3. rov.16.v.4.

III. *Cauſa* creationis *efficiens* eſt Deus, unus eſſentia, trinus perſonis, uippe quæ, *quoad rem*, ut opus ad extra, tribus perſonis communis eſt. atri enim tribuitur, Actor.4.v.24. Filio, Johan.1.v.1.3. Col.1.v.16. Spirii S.Pſalm.33.v.6. Quamvis *quoad modum operandi* conformem modo ſubſtendi, & creatio, & opera ejus Patri velut ἀντονομαστικῶς interdum adſcrintur, ut 1.Corinth.8. verſ.6. Eſt verò creatio ſolius Dei opus, infinitæ uippe virtutis, & *entis per eſſentiam* duntaxat, non *per participationem*. Cau *inſtrumentalis* creationis nulla fuit, qualis nec in actione inſtantanea, ulliuſque præparationis indiga datur, nec dari potuit in productione mnium ex nihilo, nec enim quod non eſt præparari poteſt per cauſam ſtrumentalem. Cauſa προηγουμένη creationis nulla fuit præter ſolius Dei, on ex neceſſitate naturæ, ſed ex libertate voluntatis ſe communicantis, eneplacitum.

IV. *Materia* creationis *prima*, ut *immediatæ*, nulla fuit, nec, quando creao productio ex *nihilo* vocatur, nihilum *materia*, ſed *termini* duntaxat raonem habet, nec de *materia* creationis, ſed de ejus *ordine* intelligi debet, uod mirum *poſt nihilum*, velut *terminum à quo* omnia producta fuerint, uippe quod concipi ſolet velut prius prioritate & *naturæ* & *durationis*, uamvis nihilum nec naturam habeat nec durationem. *Secunda* verò vel *ediatæ* creationis materia datur, Geneſ.1. verſ.2.20.24. & 11. verſ.7.22.

ſed indiſpoſita, nec ulla *cauſarum ſecundarum* vi diſponibilis (ut liceat *βαρβαρίζειν*) ad termini productionem, & in qua ſola datur *potentia obedientialis*, vel *occulta non repugnantia*, in ordine ad cauſam primam infinita virtute agentem. Unde ut prima creatio ex nihilo abſolutè, ſive *materialiter*, ſive *formaliter* conſiderata, ſic ſecunda ex nihilo *ſecundùm quid*, vel *formaliter* tali eſſe dicitur.

V. *Forma* creationis conſiderari poteſt tum ἀποφατικῶς, *negativè*, tum καταφατικῶς, *affirmative: priori modo* dicimus creationem concipi non debere vel ut modum quendam ſive generationis, ſive ἀπ' οὐσίας aut emanationis ex eſſentia Dei, ſive motus ſucceſſivi, ſive molitionis alicujus operoſæ, ſive mutationis etiam naturalis, *poſteriori modo*, eam concipi debere, partim ut productionem inſtantaneam, partim ut ſapientem rerum productarum tum diſpoſitionem, tum exornationem, Pſ.33.v.9. Pſ.104.v.24. Jerem.10.v.12. Quamvis ratione rerum productarum diſtingui poſſit in κτίζειν, ποιεῖν & πλάσσειν, quarum prima, productio ex nulla ſecunda, ex rudi plane, tertia, ex ſecunda aliqua materia, jam aliquo modo præparata dici poteſt. Primo modo productæ ſunt ſubſtantiæ immateriales tum completæ, tum incompletæ, ſecundo corpora naturalia varia, tertiò fœmina. Ad formam creationis etiam referri poteſt, diſtributio in *mandatum* ut res ſint, & *ordinationem* tum *uſus*, ut in certos fines ſint, tum *continuationis* & rerum, & uſus earum, ut conſtanter ſint.

VI. *Finis* creationis duplex eſt, *ſummus*, & *ſubalternus*. *Summus* Creatoris gloria, ex attributorum ejus, ſapientiæ, potentiæ, & bonitatis demonſtratione reſultans, Pſ.19.v.1. Prov.16.v,4. Rom.1.v.20. & 11.v.36. *Subalternus*, creaturarum tum intelligentium, tum rationalium partim inſtructio, partim felicitas, Rom.1.v.20. Act.17.v.26.

VII. *Effecta* creationis poſſunt conſiderari, tum in *genere*, tum in *ſpecie*. *In genere* effectum creationis eſt mundus *collectivè*, vel *aggregativè* conſideratus cum partibus ſuis, tum viſibilibus tum inviſibilibus, tum ſubſtantialibus, quæ propriè creatæ, tum accidentalibus, quæ proprie concreatæ dici poſſunt.

VIII. *In ſpecie* opera creationis diſtingui poſſunt ſecundùm ordinem productionis eorundem, in Scriptura S. repræſentatum, prout quælibet in ſextiduo primo creationi deſtinato produci cœpere, Exod.20.v.11.

IX. *Primæ* diei opera fuêre; *Primum*, Cœlum ſupremum ſub quo comprehendendos etiam Angelos cenſemus, argumento locorum, Gen.1.v.1.6.7.8. & 2.v.1. Pſ.148.v.1.2.4.5. & Job.38.v.7. Hebr.11. verſ.10.16. ut qui Deo in creatione rerum jam applauſiſſe leguntur, adeoque & jam creati, & creati in ποῦ aliquo fuêre, Col.1.verſ.16. Eſt verò cœlum illud, quoad *ſubſtantiam*, ſubtiliſſimum; quoad *quantitatem*, ampliſſimum, & verus locus; quoad *qualitatem*, lucidiſſimum; quoad *durationem*, indefectibile *ab intrinſeco*, quoad *ſitum* ſupremum & ſupra omnes cœlos aſpectabiles, 1.Timoth.6.v.16. Apoc.21.v.22. Joh.14.v.23. Matth.3.v.16. Act.7.v.57. Eph.4. verſ.10. Sic Angeli quoad *ſubſtantiam*, ſunt naturæ ſpirituales, eæque com-

completæ; quoad *quantitatem diſcretam*, numero indefinitæ, non infinitæ; quoad *qualitatem*, intellectu, voluntate, & agendi virtute ingenti prædi-tæ, Pſalm.103. verſ.20. Pſalm.104. verſ.4. Hebr.1. verſ.14. Dan.7. verſ. 10. 2.Reg.19. verſ.35. & agiles, hinc Angeli velut alati repræſentantur, Ezechiel.1. verſu 6. Quoad *durationem*, indefectibiles etiam ſunt *ab intrinſeco.*

X. *Secundum* opus primi diei fuit ובהו תהו, ſive chaos, vel maſſa informis κατά τι & οὐχ ἁπλῶς *ſecundùm quid*, & *comparatè* talis, Geneſ.1.℣.1. 2.3. quæ quoad *ſubſtantiam* fuit ex terra & aqua concreta, conſtans *materia* non *præëxiſtente*, ſed *coëxiſtente*; quoad *quantitatem*, abyſſus, moles ampliſſima; quoad *qualitatem*, inanis partim, & vacua ornatu, partim tenebricoſa. Tertium opus primæ diei, fuit lux primigenea, quoad *ſubſtantiam*, corporea, in qua primam quod apparuit lumen, ut qualitas hæſit; quoad *qualitatem* ſplendida, Gen.1.℣.3. quod dicitur ſplenduiſſe è tenebris, 2.Cor.4. ℣.6. ratione habita non *materiæ*, ſed ordinis, vel *termini à quo*, quia ſplenduit poſt tenebras.

XI. *Secundæ* diei opera fuêre, I. Expanſum, hoc eſt, cœlum tum æthereum, tum aëreum, Geneſ.1. ℣.7.8.14.20. quoad *ſubſtantiam* corporeum; quoad *quantitatem*, ampliſſimum; quoad *qualitatem* partim diaphanum, ut cœlum aëreum, partim lucidum, ut cœlum æthereum reſpectu ſtellarum tum fixarum, tum erraticarum. II. Diviſio *aquarum ſuperiorum ab inferioribus*, hoc eſt, nubium exſtantium ſupra infimam expanſi partem, Geneſ.1. ℣.7. Pſal.104. ℣.3. & 148. ℣.4. Job.26. ℣.8. Pſal.18. ℣.12. ab aquis quæ infra expanſum terræ permiſtæ, & velut circumfuſæ, indiſtinctæ ad tertium uſque diem fuêre.

XII. *Tertiæ* diei opera fuêre. I. Collectio aquarum inferiorum in certos alveos, adeoque terræ & aquarum inferiorum diſtinctio, Geneſ.1. ℣.9. II. Germinatio terræ, plantarum, fruticum & arborum ſeminiferarum productio, Gen.1. ℣.9.10.11. ut individuis exſtinctis ſervarentur rerum ſpecies. Refertur à multis inter ejuſdem diei opera Paradiſi plantatio, Gen.2. ℣.8.

XIII. *Quartæ* diei opera fuêre, productio luminarium in expanſo æthereo, Geneſ.1. verſ.14.15.16. quorum *materia* fuit lux primigenea, vel ſubſtantia illa lucida primò creata, *uſus* partim generales, partim ſpeciales, partim naturales, partim artificiales, in diſtinctione tum lucis & tenebrarum; tum tempeſtatum anni, in influxibus variis, in prognoſticationibus ſive naturalibus, ſive civilibus, ſive œconomicis variis, ubi phyſicæ, medicæ, nauticæ & ruſticæ obſervationes locum habent; aſtrologiæ, quæ judiciaria vulgo vocatur, hariolationes temerariæ non item, quarum ut principia explodenda cenſemus, ſic & principiata inde derivata.

XIV. *Quintæ* diei opera ſunt, I. Aquatilium ex aqua. II. Volatilium ex terra productio, Geneſ.1. ℣.20.21. & 2. ℣.19. adeoque mundi ſublunaris exornatio, per creaturas ſenſu & motu præditas, gradatione debita

obſervata, & proceſſu inſtituto à ſtructura domus, ad productionem incolarum ejus; eorumque imperfectionem primo, poſt perfectiorum.

XV. *Sextæ* diei opera ſunt, I. Animalium terreſtrium productio, Gen.1.℣.24. quorum tria genera recenſentur, manſuetum, reptile, & ferum; ad quæ alia omnia revocari debent, ſive perfecta, ſive imperfecta, ſive utilia, ſive noxia ex conſequenti, quorum ſpecies ſunt innumeræ, naturæ diverſiſſimæ. II. Hominis ad Dei imaginem ſexu diſtincto creatio, Gen.1.℣.26.27. & 2.℣.7.22. ut reliquis creaturis, quæ vel *gradum eſſendi* tantùm habent, vel *gradum vitæ*, vel *gradum motus & ſenſus*, accederent rationales etiam mundi ſublunaris incolæ, in quibus non *veſtigium* quoddam Dei duntaxat exſtaret, ſed *imago* etiam ejus & compendium velut reliquarum creaturarum, unde homo πάσης κτίσεως nomine deſignatur Marc.16.℣.15.

XVI. Productio hominis utriuſque, & quoad *genus*, & quoad *partem* utriuſque *formalem* eadem fuit, uterque enim per *creationem mediatam* productus fuit, & animam habuit nec eductam è potentia materiæ, nec traductam ab anima alia, ſed creando infuſam, & infundendo creatam, hinc utriſuq; anima quoad *ſubſtantiam* ſpiritualis fuit; quoad *qualitatem*, intelligendi ac volendi facultate prædita; quoad *durationem*, immortalis & indefectibilis etiam *ab intrinſeco*; quoad *cauſam exemplarem*, ad Dei imaginem condita, quam retulit partim quoad *ſubſtantiam* ſuam, tum ſpiritualitate, tum ſimplicitate; partim quoad *potentias* intelligendi, & volendi; partim quoad *qualitates*, ſapientiâ, juſtitiâ, ſanctitate. Diverſa verò fuit utriuſque hominis productio, quoad *partem materialem*, partim *originaliter*, quia mas productus fuit ex pulvere terræ, fœmina ex coſta viri, in quo ille documentum humilitatis habuit, iſta ſubjectionis, uterque homo amoris mutui; partim *formaliter*, quia mas productus fuit per modum πλάσεως, fœmina per modum τμήσεως cujuſdam.

XVII. *Subjectum* creationis *occupans* ſpectari poteſt vel *aggregativè* & *collectivè*, & hoc mundus eſt, partim *diſtributivè*, & hoc ſunt partes mundi, tum integrales, cœlum, terra, aquæ, tum incolæ ſingularum partium, Exod.20.℣.11. Philip.2.℣.10. Hebr.11.℣.3.

XVIII. *Adjuncta* ſpectari poſſunt vel creationis *formaliter* conſideratæ, vel ejuſdem conſideratæ *effectivè* ſive *terminativè*, ratione rerum ipſarum creatarum: *priori* notione, adjuncta creationis ſunt, quod ſit actio ſummè ſapiens, ſummè potens, & ſummè bona, conformis naturæ ſuæ cauſæ à qua ortum habet, Rom.1.℣.20. *Poſteriori* notione adjuncta rerum creatarum ſunt, quoad *quantitatem*, earum finitudo, tum quoad molem, tum quoad numerum; quoad *qualitatem*, earum bonitas; quoad *conditionem*, earum mutabilitas, quæ reſpectu creaturarum ſpiritualium non ducitur in actum, ſed reſpectu corporum, ſublunarium præcipuè, idque partim abſolutè, partim ſecundùm quid, ut enim aliquarum mutationem corruptivam, ſic aliarum perfectivam aliquando ſecuturam ſtatuimus, Gen.1. ℣.31. Pſalm.102.℣.27. Rom.8.℣.20.21.22.23.

XIX. His καταφατικῶς præſtructis, rejicimus. I. Et veterum Peripateticorum ſententiam de æternitate mundi actuali, & recentium quorundam de æternitate ejus poſſibili *à parte ante.* II. Opiniones varias veterum recentiorumque Philoſophorum de productione mundi, ſive ex ſubſtantia Dei, ſive ex præexiſtente materia æterna, ſive ex fortuito atomorum concurſu, ſive ex aliis id genus principiis falſis. III. Errores eorum qui vel Chriſtum creationis cauſam inſtrumentalem conſtituunt, vel Angelos. IV. Eorum qui in vetere Eccleſia duo principia prima conſtituêre, unum bonorum, alterum malorum. V. Eorum qui vel cœlum beatorum τῷ χρόνῳ, vel Angelos ut orbium cœleſtium formas aſſiſtentes & motrices finxêre. VI. Eorum qui vel animam hominis corruptibilem *ab intrinſeco* vel primum hominem mortalem, *potentia proxima* à creatione ſtatuêre, vel imaginem Dei in homine plane negavêre, aut eam ad merum dominium quod homo in creaturas alias obtinet, reſtrinxêre. Errorum aliorum circa hoc argumentum percenſendorum catalogum, ut & alia id genus, quæ ad id ſpectant, ob compendii ad quod arctamur rationem, prætermittimus.

DISPVTATIO DE ANGELIS.

THESIS I.

VT inter Creaturas, quas Deus in inferiori hemiſphærio locavit, excellunt homines; ſic in ſuperiori eminent Angeli, quorum dignitas & ὑπεροχὴ eò major, quo magis accedunt ad divinam, & ab omni *materia* non tantùm *inhærentiæ*, ſed & *adhærentiæ* contage ſunt immunes.

II Diſputationem de Creaturis iſtis nobiliſſimis partimur in *generalem* & *ſpecialem*, quarum illa in ea quæ bonis & malis Angelis ſunt communia inquiremus, iſta in ea quæ utriſque ſunt particularia.

III. *Generalis* de Angelis *Theoria* revocari poteſt ad *locum* ὀνοματικοῦ & πραγματικοῦ, quorum ille *nomina*, iſte *naturam* Angelorum complectitur.

IV. Ad *locum* ὀνοματικοῦ quod attinet, obſervari poſſunt nomina Angelorum. I. Ἔγγραφα. II. Ἄγραφα, quorum illa in ſcriptis divinis, iſta in humanis occurrunt, illa propriè noſtri fori ſunt, iſta non item. Ἔγγραφα ſunt vel Hebraica, vel Chaldaica, vel Græca. Hebræum nomen commune

eſt מלאך. Chaldæum מלאך & מלאכא, quod etiam quandoque exprimitur per אנגלא & πληθυντικῶς per plurale tum *abſolutum* אנגלין, tum emphaticum אנגליא vocabulo illo formato ex Græco, ut multis aliis, quod *legatum* vel *nuntium* ſignificat ἀντονομαστικῶς, & ἄγγελοι. Sic ad nomenclationem communem pertinet deſignatio Angelorum per רוח Hebræorum & רוחא Chaldæorum, & per πνεῦμα Græcorum. Hinc Angeli cum [illegible] vocantur πνεύματα λειτουργικά. Ab Hebræa origine ſunt etiam Syrorum רוחא & מלאכא *Angelus* & *Spiritus*. Sic Græci, inter quos *Syneſius* & *Damaſcenus*, præter nomina ἴλχαφα habent ἄχαφα alia, & Angelos vocant νόας & νοερὰς φύσεις, item δαίμονας, quamvis in Novo Teſtamento iſtud momen ſpeciale ſit, & καταχρηστικῶς duntaxat in ſequiorem partem ſumatur, pro iis qui non ſunt ἀδαίμονες ſed κακοδαίμονες. Latinis nomina ordinaria ſunt, *Angelorum*, *Spirituum*, *Geniorum*, *Intelligentiarum*, & *Mentium*, quibus Creaturas iſtas deſignant. Nomina verò omnia angelica ſunt vel οὐσιώδη, quale eſt nomen πνεύματος, *ſpiritus* vel ἐνεργειώδη, eaque vel *abſoluta*, deſignantia ſive *virtutes* eorum, qualia ſunt nomina ſpecialia, *Cherubim* & *Seraphim*, & generalia, *Intelligentiarum*, *Mentium*, ſive *dignitates* eorundem, qualia ſunt nomina ſpecialia, *Thronorum*, *Dominationum*, *Imperiorum*, *Poteſtatum*, (quæ tamen etiam σχετικῶς intelligi ſano ſenſu poſſunt,) vel *relativa*, qualia ſunt nomina *Angelorum*, *& Spirituum miniſterii munere fungentium*. Nomenclationem Angelorum tum Iudaicam, tum Paganam ulteriorem, ut inſtituto noſtro inutilem, prætermittimus.

V. *Locus generalis* ὁ πραγματώδης de Angelis revocari poteſt ad conſiderationem. I. Quæſtionis, *An ſint* Angeli. II. *Quid ſint*. *Prior* Quæſtio, quæ eſt de *Subjecti exiſtentia* hîc præſupponitur à nobis, non demonſtratur, quippe quæ nititur non tam argumentis probabilibus, ſive à gradibus entium & complemento Univerſi, ſive à teſtimoniis humanis, ſive ab experimentis variis, quàm apodictico & omni exceptione majori argumento, clara nimirum & crebra Scripturæ Sacræ aſſertione. *Sadducæorum* itaque ſive veterum, ſive recentiorum, ſpiritus ejuſmodi negantium, deliria deteſtamur.

VI. Quæſtionem, *Quid ſint* Angeli, revocamus ad diſquiſitionem, I. De *origine*. II. De *natura* Angelorum.

VII. *Origo* Angelorum ſpectari poteſt, vel ratione *cauſæ efficientis* eorundem, quæ Deus eſt: vel ratione *temporis* quo producti fuêre, quod probabiliter primus Creationis dies eſt: Vel ratione *modi productionis*; qui Creatio eſt, eaque immediata. *Primum* probatur *implicitè*, Gen. II. 1. 1. Ioh. 1.3. *explicitè*; Col. 1.16. *Secundum* argumento loci Iob. 38.7. *Tertium* ex ipſa natura rei productæ: Nec enim aliter produci potuêre ſpiritus independentes à materia, tum in *eſſendo*, tum in *operando*. Quum itaque modus iſte productionis Gentilibus clarè compertus non fuerit, non mirum, eos circa originem Angelorum hallucinatos eſſe, dum Mentes ejuſmodi Deo coævas multi finxêre.

VIII. *Natura* Angelorum *in genere* conſiderari poteſt, I. Quoad *quidditativa*

dittativa

ditativa eorum *attributa*. II. Quoad *attributa* eorundem *qualitativa*, ut liceat nobis βαρβαρίζειν. Utraque deſcriptione iſta comprehenduntur, quà Angelus dicitur eſſe ſubſtantia ſpiritualis, finita, completa, intelligendi, volendi, & agendi virtute inſtructa. Priora duo *attributa quidditativa* comparatè dici poſſunt, *reliqua qualitativa*,

IX. *Quidditativa* ſunt, I. Angelos eſſe *ſubſtantias*. Quod patet. 1. Ex deſcriptione eorundem, quæ habetur in Scriptura, quæ angelos nobis deſcribit ut naturas per ſe ſubſiſtentes, & ſuſtinentes accidentia; ac vera ὑφιστάμενα. 2. Ex nominibus, operationibus & ἀποτελέσμασι, quæ ipſis tribuuntur. II. Angelos eſſe *ſubſtantias ſpiritales*, patet etiam tum ex nominibus, quæ ipſis Scriptura tribuit, tum ex modo ſive ſubſiſtendi, ſive operandi eorundem, quod inter alia coëxiſtentia plurium in iiſdem corporibus & in eodem *ubi* oſtendit, Luc. 8. 30.

X. Explodenda itaque commenta illorum, I. Qui Angelos vel motus vel affectus quoſdam duntaxat eſſe cenſuêre cum *Sadducæis* veteribus. II. Qui Angelos vel cum priſcis *Meſſalianis* corporeos finxêre, & aſpectabiles, vel cum *Conrado Vorſtio* idem hodieque pertendunt, qui eorundem errorem interpolavit & recoxit.

XI. *Qualitativa* Angelorum attributa ſunt: I. Angelos eſſe ſubſtantias *finitas*, tum ἐνουσιῶς, quoad eorundem eſſentiam, tum ἐνεργητικῶς, quoad eorum ſive præſentiam; ſive virtutem operandi. Id ipſum liquet ex deſcriptione eorundem, quam Scriptura repręſentat, partim in eorum creatione, partim in eorundem dependentia à Creatore, partim in operibus, partim in modo operandi, partim in præſentia eorum definitiva, partim in numero eorundem fundato in diverſitate naturæ vel eſſentiæ, partim in *defectibilitate* illorum *ab extrinſeco* in ordine ad cauſam primam.

XII. II. Angelos eſſe Subſtantias *completas* ex eo patet, tum quia Scriptura illos nobis repræſentat ut ὑφιστάμενα, & ut actus independentes à corporibus ſive in *eſſendo*, ſive in *operando*, quo ipſo etiam contradiſtinguuntur animabus rationalibus, quæ quamvis eodem productionis modo per creationem immediatam originem habeant, & independentes ſint à corporibus, partim *quoad operari* ratione actionum immaterialium & inorganicarum, *in ſtatu informationis*, partim quoad *eſſe, in ſtatu ſeparationis*, ſunt tamen ſemper *ſubſtantiæ incompletæ*, ordinatæ ad perfectionem alterius, & ejus vel actu perfectivæ, vel potentia ſaltem & deſtinatione.

XIII. Explodenda itaque illorum deliria, qui ex apparitionibus angelicis in corporibus aſſumptis concluſêre, Angelos eſſe corporeos, non obſervatis diſtinctionibus *formarum aſſiſtentium, & informantium, actuum tranſitoriorum & permanentium, & ordinis naturalis ac diſpenſationis ſupernaturalis*.

XIV. Angelos *intelligendi virtute* præditos eſſe, patet tum ex actibus & miniſteriis eorum, quibus in S. Scriptura adhibiti leguntur, tum ex perfectione naturæ eorundem. Qualis verò ſit ratio intellectionis angelicæ, nec Scriptura tradit, nec temerè definiendum. Cognitionis itaque Angelicæ diſtinctionem in *matutinam*, qua Angeli Deum immediatè, &

omnia in Deo intuentur, & *veſpertinam*, qua res creatas intuentur, & ex iis Deum per elevationem mentis intelligunt *mediatè*, æquè infirmam cenſemus ac fundamentum utriuſque, *dictu* nimirum *allegoricum*, quamvis ab *Auguſtino* ipſo jam olim tale quid traditum fuerit. Et ſano ἀποφατικῶς à nobis potius cognoſci poteſt, quàm καταφατικῶς. I. Intellectionem Angelicam non exerceri per intuitionem eſſentiæ propriæ, ut cauſæ exemplaris rerum omnium, nec intelligere Angeli idem eſſe, quod *eſſe* ejus. II. Intellectionem angelicam diſtinctam eſſe à ratiocinatione humana, etſi *diſcurſivam* etiam aliquo modo. III. Intellectionem Angelicam non eſſe omniſciam, nec futurorum quorumvis præſagam, nec cordis vel cogitationum humanarum *à priori* conſciam. Principia cæteroquin cognitionis Angelicæ cenſemus eſſe partim ἔμφυτα, partim ἐπίκτητα, adeoque & notitiam eorundem partim *naturalem*, partim *adventitiam*, eamque vel *infuſam*, vel *experimentalem*.

XV. Angelos *volendi virtute* præditos eſſe, patet, tum ex demonſtratione intellectionis eorum, tum ex perfectione naturæ Angelicæ, tum ex actibus volitionis, quos Scriptura tribuit Angelis. Qualis verò ſit ratio volitionis Angelicæ, nec Scriptura tradit, nec temerè etiam definiendum. Ἀποφατικῶς etiam potius à nobis cognoſci poteſt, quàm καταφατικῶς. I. Volitionem Angeli non eſſe ejus *eſſe*. II. Volitionem ſolam Angeli non eſſe *operativam*. III. Volitionem Angeli non eſſe *independentem*.

XVI. Angelos *agendi virtute* præditos eſſe, patet tum ex Scriptura, quæ eam, & ejus partim ἀρχὰς, partim ἀποτελέσματα tribuit Angelis, tum ex perfectione naturæ eorundem, tum ex conſtitutione principii utriuſque ſuperioris ſive *directivi*, ſive *imperativi*, cum quo *executivum* etiam conjunctum eſt: Adeoque partim ex virtute intelligendi, partim ex virtute volendi, ſequitur etiam virtus agendi. Et iſta etiam ἀποφατικῶς potius à nobis cognoſci poteſt, quàm καταφατικῶς. I. Actionem Angeli non eſſe Angeli *eſſe*. II. Virtutem agendi Angeli finitam eſſe & dependentem.

XVII. Quæ cæteroquin de Angelorum *loquela, motu, diſtinctione & numero* vel quæruntur, vel definiuntur, partim curioſa ſunt, partim temeraria, quæ quia Scriptura S. non definit, nec noſtrum eſt definire, nec in ea invadere, quæ ſacro ſupparo Spiritus S. tecta voluit. Hoc noſſe ſufficiat; *Loquelam* Angelis Scripturam S. quandoque tribuere in ordine ad homines, ſumptam videlicet pro formatione vocis ejuſque propoſitione in corporibus aſſumptis: loquelam verò Angelis in ordine ad alios Angelos intellectam *materialiter* de formatione vocis, tribui non poſſe, intellectam verò *formaliter* de manifeſtatione conceptuum, poſſe, τὸ ὅτι: quamvis τὸ πῶς nobis ſit incompertum qui νοήματα ſua aliis vel promant vel premant. *Motum* Angelis rapidiſſimum damus, inſtantaneum non item, quippe qui motus non eſt, nec ſine *contradictione in adjecto* affirmari poteſt. *Diſtinctionem* Angelorum à ſe invicem admittimus, *ſecundùm rem*, haudquaquam verò definimus *ſecundùm modum* vel *gradum rei*, an *individualis* tantùm ſit, an verò *ſpecifica* etiam. Certum, eam ab officiis diſtinctis Angelorum potius,

potius, quàm ab eorundem natura diverſa in Scriptura peti. *Numerum* Angelorum maximum eſſe Scriptura docet indefinitè, definitè non item.

XVIII. *Specialis* de Angelis *Theoria* revocari pariter poteſt ad *locum* partim ὀνοματώδη, partim πραγματώδη. Utraque referri etiam poteſt ad Angelos partim bonos, partim malos. Ad ὀνοματολογίαν bonorum Angelorum quod attinet: Boni Angeli ἐξόχως, I. *Communiter* vocantur partim מלאכים angeli *abſolutè*, partim *reſtrictè* מלאכי אלהים Angeli Dei, partim כרובים, Geneſ.3.24. Ezech.10.1. ſive *alluſivè* in ordine ad Cherubinos materiales ſanctuarii, ſive *ſymbolicè* in ordine ad rapiditatem motus & ad celeritatem obſequii Angelici exprimendam, partim שרפים, Eſa.6.2. ſive ob fervorem zeli gloriæ Dei, quo flagrant, ſive ob puritatem naturæ ſuæ, ſive ob vim igneam vel *auxiliarem* reſpectu filiorum Dei, vel *corruptivam & deſtructivam* reſpectu hoſtium ejus. Sic vocantur interdum אלהים *Dii*, Pſ. 8.4. & צבא *exercitus* Dei, Pſ.103.21. & 148.2. בני אלהים *Filii Dei*, Iob.1.6. nec ἐξόχως ut Chriſtus, nec κοινῶς ut homines promiſcuè: Sic in N.Teſtamento vocantur quidem ἀρχάγγελοι, θρόνοι, κυριότητες, ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, Col.1.16. ſive *abſolutè* propter dignitatem illorũ, ſive *relativè* propter miniſteria ad quæ adhibentur circa thronos & poteſtates. Sic vocantur ἄγγελοι φωτὸς, 2.Cor. 11.14. ἄγγελοι οὐρανοῦ, Gal.1.8. ἄγγελοι ἐκλεκτοὶ, 1.Tim.5.21. Sic vocantur πνεύματα λειτουργικὰ, vel ut Syrus habet רוחא דתשמשתא *Spiritus miniſterii*. *Specialia* nomina Angelorum quorundam etiam repræſentantur in Scriptura, & unus vocatur *Gabriel*, Luc.1.19. alius *Michael*, Dan.10.3. Iud.9. Apoc. 12.7. quamvis de iſto nomine dubitari quandoque poſſit, an deſignet Angelum creatum, an verò increatum, & Angelorum aliorum caput.

XIX. Πραγματολογία de *Bonis Angelis in ſpecie* revocari poteſt ad conſiderationem, I. *Virtutis*, quam habent. II. *Felicitatis*, quâ gaudent. III. *Officiorum*, ad quæ adhibentur.

XX. *Virtus* quam habent Angeli boni, alia *concreata* dici poteſt, alia *ſuperaddita*, quarum illa *naturalis* vocari ſolet, iſta *ſupernaturalis*. Illa eſt Sanctitas, ſive integritas, in qua creati fuêre, conſiſtens partim in lumine intellectus, partim in rectitudine voluntatis angelicæ. Utrumque verò donũ illud tantò perfectius erat iis quæ homini collata fuêre, quantò capacior eſt natura merè ſpiritualis ejuſmodi donorum quàm natura ex parte duntaxat talis. Hinc excellunt Angeli facultate Deum cognoſcendi, amandi, & illi adhærendi. Unde & continuus cœli incolatus: & faciei Dei viſio perpetua peculiari ratione illis adſcribitur in verbo Dei.

XXI. Quamvis verò *concreata* iſta Sanctitas excellens fuerit, *mutabilis* tamen fuit, quod patet ex apoſtaſia Angelica, accedere itaque oportuit *virtutem ſuperadditam* aliquibus in bono confirmandis, quæ fuit *gratia ſupernaturalis*, partim *externa* electionis eorundem ad perpetuam ſanctitatem & gloriam, partim *interna*. collatio nimirum & majoris luminis, & conſtantis bono perpetuò adhærendi [illegible]. Illam *explicitè* Scriptura deſignat, dum aliquos vocat ἐκλεκτούς 1.Tim.5.21. non *nominaliter*, ſed *participaliter*

ut liceat nobis uti *terminis technologicis*) æquè ac homines, quæſtio enim rediret, cur aliqui magis *electi*, h. e. præſtantes eſſent quàm alii, & quum communia non faciant diſcrimen, ſed ſingularia, recurrendum ſemper ad *principium* illius quæ in Angelis conciperetur præſtantiæ, *diſtinctivum* aliorum ab aliis. Iſta ex priore fluit, & colligitur *analogicè* ex Matth. 18. 10. quia διὰ παντὸς vident faciem Patris. Scholaſtici iſtam *virtutem ſuperadditam* vocant *actum beatificum*. & docent, conſiſtere in clara Dei viſione, & perfecta ejuſdem dilectione, quæ tamen ex iſta virtute potius fluunt, quàm eam *formaliter* conſtituunt.

XXII. Cauſam diſcriminationis Angelorum bonorum à malis, & voluntatis aliquibus magis conferendi quàm aliis *gratiam* iſtam *ſuperadditam*, nec meritis illorum prævifis, nec prævifioni boni uſus liberi arbitrii tranſcribendam cenſemus, ſed meræ Dei libertati & bonitati, qui donorum quæ in Creatione iis dedit, perfectioni, eorundem voluit addere immutabilitatem, aliam tamen à ſua, *datam* quippe, & datam *in tempore*, & datam *ex gratia*, & datam *Creaturæ finitæ* & *dependenti*. Quod donum novum non *donatorum* perfectionem majorem præſupponit, ſed facit, nec *donatorum* virtuti, ſed *donantis* gratię in ſolidum tranſcribendum eſt. Sic factum, *ut quæ fuit cum Deo ſuo manendi voluntas, fieret permanendi voluntaria felixque neceſſitas*, ut eleganter loquitur *Proſper Aquitanus* lib. 1. De vita contemplativa, cap. 3.

XXIII. *Felicitas* Bonorum Angelorum conſiderari poteſt cum Scriptura, tum *in Viſione* faciei Dei, *quoad rem*, tum in *continuitate* & *perpetuitate* iſtius Viſionis, *quoad modum rei*. Vnde Deo *adſtare* dicuntur Eſai. 6. 2. Danielis 7. 10. ut indigetes cœli, & perpetui beatarum ſedium coloni, & *ſemper videre faciem Patris*, Matth. 18. 10. in quo eſt *ſatietas gaudiorum*, Pſalm. 16. 11. Hinc & Angeli *lucis* vocantur 2. Corint. 11. 14. habita ratione non tantùm *lucis internæ* & *inhærentis*, ſed etiam *externæ* & *adhærentis* vel *circumſtantis*.

XXIV. *Officia* ad quæ adhibiti leguntur Angeli boni, varia ſunt: vel enim nobis deſcribuntur ut miniſtri Dei ἀσάρκου, vel ut miniſtri Dei ἐνσάρ-κου: Miniſtri verò ſunt Dei ad homines, interdum gratiæ, tum reſpectu Eccleſiæ *communiter*, tum reſpectu fidelium *ſingulariter*, interdum iræ, reſpectu hoſtium Dei & Eccleſiæ.

XXV. *Officia* quibus defunguntur *erga Deum* duûm generum ſunt. 1. *Excipere* & *exequi* mandata Dei, Pſalm. 103. 20. idque tum *celeriter*, hinc proponuntur ut *alati*, & ut *præcincti*, Apocalyp. 15. 6. tum *ſanctè* ac *perfectè*, ut Angeli ſancti, Matth. 8. 38. tum *alacriter*, ut qui *canunt* in iis quibus defunguntur miniſteriis, Luc. 2. 13. & gaudent ſuper bono, Luc. 15. 10. 11. Celebrare Deum, & Halleluja perpetuum ipſi accinere, Eſai. 6. 3. Apoc. 4. 8. & 7. 11. 12.

XXVI. *Officia* quibus defuncti leguntur *erga Chriſtum*, duûm generum ſunt, & conſiſtunt partim in *actuali miniſterio*, quod Chriſto exhibuêre & exhibent, partim in ejuſdem *adoratione* & *celebratione*. Illud varium eſt, iſtud uniforme. *Priore* defuncti leguntur actibus interruptis, & *ante* incarnatio-

carnationem Chriſti,& *poſt* eam,& *in ſtatu humiliationis*, & *in ſtatu exaltationis*, & defungentur adhuc in reditu Chriſti glorioſo ad judicium 1.Theſſ.4.16. *Poſteriore* defunguntur actu continuo, Hebr.1.6. Apoc.5.11.12.

XXVII. *Officia* quibus defunguntur boni Angeli ſiue erga Eccleſiam *communiter*, ſiue erga filios Dei *ſingulariter*, ut Miniſtri gratiæ, ſunt vel *collatiua* bonorum, vel *auerſiva* malorum. Et illa & iſta ſunt varii generis, & diſtingui poſſunt in ea, quæ illis exhibent *in vita, in morte*, & *poſt eam*. Illa ſunt *collativa* vel inſtitutionis, vel conſolationis, vel auxilii, iſta vel *præſervatoria* à malo, vel *conſervatoria* in malo, vel *liberatoria* ex illo, ut denuò liceat βαρβαρίζειν.

XXVIII. Vt verò Officia varia bonis Angelis demandata, quæ Scriptura tradit, admittimus, ſic illa quæ non tradit, haudquaquam admittenda cenſemus, qualia ſunt commenta quædam maleferiatorum hominum, I. *Paganorum* Philoſophorum, qui beatos illos ſpiritus ſphæris cœleſtibus circumrotandis affixos ſatagunt, & has miniſterii partes illis affingunt. II. *Pontificiorum* de *Angelo Cuſtode*, unicuique homini admoto inde ab ortu, quod dogma & ἄγραφον cenſemus, & ἀντίγραφον, & ἀθέολογον, ac ἄλογον, quod & originem Paganam habuit à geniis bonis & malis, & ſuperſtitioni Pontificiæ ſuper θρησκεία Angelorum obſtetricatur. Nec loca Matt.18.10. & Act.14.15. iſti fabulæ fauere cenſemus. III. *Iudæorum* & *Pontificiorum* ſimul, de *Hierarchica* Angelorum πολιτείᾳ & variis eorum *Ordinibus*, quos ſiue *Rabbinorum* & Cabbaliſtarum ματαιολογία, ſiue Pſeudo-Areopagitæ ἐμβατεύοντος ἃ μὴ ἑώρακε temeritas, ſiue Scholaſticorum curioſitas invexêre, quæ omnia & fabuloſa cenſemus & febriculoſa ingenii humani laſcivientis ſomnia. Præſtat nos cum Scriptura ſapere, & eruditam inſcitiam judicare, *neſcire velle, quæ docere non vult Magiſter maximus*.

XXIX. *Theoria Specialis* de *Malis Angelis* revocari poteſt pari ratione I. ad ὀνοματολογίαν. II. ad πραγματολογίαν. Ad ὀνοματολογίαν malorum Angelorum quod attinet, Mali Angeli ἐγγράφως deſignantur nominibus, I. *Communibus*, iiſque tum *propriis*, Satanæ, Diaboli, Tentatoris, Dæmonis, & Dæmoniorum, tum *figuratis*, Serpentis, Leonis, Draconis, tum *periphraſticis*, Principis aëris, Principis mundi, Dei hujus mundi. II. *Singularibus*, ſic vocatur caput apoſtaſias Diabolus, cui tribuuntur Angeli, Matth.25.41. item Beelzebub, Matth.12.24. nomine à noto Ekronitarum idolo, 2.Reg.1.2. deſumpto, quaſi Rex aut *Dominus muſcarius*, ſiue διασυρτικῶς ad contemptum, ſiue ἀντιθετικῶς ad verum Iſraelis Deum, qui non obſtante nidore & adipe tot victimarum à ſuo templo muſcarum examina averteret, quibus ſcatebant idoleja, ut Judæi tradunt.

XXX. Πραγματολογία de *malis Angelis* revocari poteſt, I. Ad eorum *apoſtaſiam* & malitiam eam conſequentem. II. Ad *pœnam* ejuſdem. III. Ad eorundem *officia* vel *miniſteria*.

XXXI. *Apoſtaſia* malorum Angelorum conſideranda, I. *Origo*. II. *Modus*. *Origo* apoſtaſiæ illorum ſpectari poteſt, I. Partim in *permiſſione* Dei *antecedente*, non *ethica*, conſiſtente in relaxatione legis, ſed *phyſica*, conſiſtente

in non impeditione ejuſdem. 2. Partim in *lapſu* eorundem *ſubſequente*, qui aliunde non fuit, quàm à propria eorum voluntate, ſe à Creatoris obſequio ſponte avertente, & ad malum convertente ob mutabilitatem donorum iis in Creatione collatorum. *Modus* ignotus eſt, & in Scriptura non definitus, ſuperbia Angelos illos lapſos pleriſque placet, argumento loci 1.Tim.11.6. ſive ea fuerit contemptus Creatoris, ſive affectatio ὑπεροχῆς ſuperioris, ſive utrumque. Præſtat verò & hic ignorantiam profiteri, quàm mentiri ſcientiam, & cum Scriptura in genere dicere, Angelos malos in Veritate non perſtitiſſe, Joh.8.44. & primam originem non ſervaſſe Jud.6. Certum, poſt lapſum Spiritum illum ſuperbiſsimum eſſe, quod patet ex affectatione divini honoris, quem exegit ſæpe, impetravit etiam ſæpe à plurimis.

XXXII. *Pœna* iſtius Apoſtaſiæ fuit partim *interna*, partim *externa*. *Interna*, 1. Horrenda naturæ eorum *depravatio*, non οὐσιώδης quidem, ἐπουσιώδης tamen, h.e. non ſubſtantiæ, ſed facultatum Dæmonis corruptio. 11. *Obſtinatio* eorundem in iſta depravatione ſine ulla vel inſtauratione vel ſpe ejuſdem. Hinc Biel Diſt. 7. l. 2. Sent. docet Angelum malum non poſſe carere actu malo, quia non poteſt non velle beatitudinem, quam Deus ei non vult dare, & non poteſt velle pœnam, quam Deus ei vult infligere. Et ex actuali conſideratione beatitudinis amiſſæ, cum omnimoda deſperatione ejus recuperandæ, Dæmonem ſpiritu impatientiæ agitari, & ſurgere in continuum murmur, & odium punientis Dei, cui addi poteſt inuidia erga hominem inſtauratum perpetua, & ardens ex ea odium. Eſt verò obſtinatio Dęmonum non neceſſaria tantùm, ſed & liberrima ſimul. Cauſa non dans prohibens, eſt libera Dei voluntas, & diſpenſatio, qui voluit ſe oſtendere φιλάνθρωπον, non φιλάγγελον, poſt utrorumque lapſum. Addi poſſunt probabiles aliæ Patrum & Scholaſticorum. 1. Quia Angelica natura *non tota* periit, ſed *pars* tantùm, humana verò natura *tota* in uno, quod notat *Auguſtinus* Enchirid. cap. 29. 2. Quia Angelica natura cecidit, non tentata ab alio, humana, tentata ab alio, illa per malitiam, iſta per infirmitatem, inſtituta peccati utriuſque συγκρίσει. Quò alludit *Anshelmus* cap.21. libr.11. *Cur Deus homo, contra Gentiles: Sicut ceciderunt, nullo alio ſuadente, ut crederent: ita nullo alio adjuvante reſurgere debent, quod eſt illis impoßibile.* 3. Quia Angelica natura *perfectior* erat conditione ac ſtatu, adeoque major ejus fuit ingratitudo, & ob id gravior ac fœdior lapſus. Iudicium verò Dei hîc adorandum, non ſuggillandum. 111. Horrendus iræ divinæ ſenſus & cruciatus immanes *ſymbolicè* deſcripti per ignem æternum, & ſtagnum ignis ac ſulphuris, Matth.25.41. Apoc.20.10.14. Hinc febriles & anxiæ Scholaſticorum Diſputationes explodendæ, quærentium curioſè, & definientium temerè, qui Spiritus affici poſſint igne materiali.

XXXIII. *Externa* pœna dupliciter poteſt conſiderari. 1. *Antecedenter*, per deturbationem Angelorum iſtorum è cœlo, ſede beatitudinis, Iud. 6. 2. *Conſequenter*, per detruſionem illorum ad tartara & vincula æterna ſub caligine, Iud. 6.

XXXIV. *Attributa*, reſidua in malis Angelis ſunt. 1. Lumen *in intellectu*, magnum quidem, ſed finitum, clarum, ſed noxium, veri & boni intellectivum *theoricè*, falſi & mali *practicè* tantùm, futurorum non præſcium à ſe, ſed conſcium ex aliis, ſive ex cauſæ primæ revelatione, ſive ex ſecundarum inſpectione, ſiue ex *cognitione experimentali* multorum millium annorum, ſiue ex conjecturis errori obnoxiis, unde prædictiones euentuum quandoque veræ, quandoque falſæ, ut plurimum cothurnis & gryphis inuolutæ, ſemper malæ. Nec cordis & cogitationum cognitio illis *à priori* patet, ſed *à poſteriori* tantùm, non *antecedenter*, ſed *conſequenter*, vel *interpretativè* aut *declarativè* duntaxat.

XXXV. II. *Libertas* in voluntate, ſed in malo & ad malum tantùm *ſpecificativè*, non ex natura apprehenſionis Angelicæ, quaſi fixæ & immobilis, utpote *non diſcurſiva*, ut quidam volunt: Sed partim ex culpa admiſſa, partim ex pœna immiſſa & inflicta Angelis perduellibus.

XXXVI. III. *Potentia* principium utrumque ſuperius *concomitans vel conſequens* in malis Angelis magna eſt, Eph.2.2. & 6.9. ſed dependens, Iob.1.12. & 2.6.7. Matth.8.31.32. adeoque *limitata*, non *abſoluta*, nec creationis, nec verorum miraculorum capax, nec ad inanimata duntaxat, ſed ad animata ſe extendens, ad corpora *directè*, 1.Sam.16.15. ad animas hominum *indirectè*, τὸ ἡγεμονικὸν impellendo, ſiue *objectivè*, ſiue *ſubjectivè*, aut per κρᾶσιν humorum, aut per τὸ ἐπιθυμητικόν. *Exercitium* potentiæ Angelicæ *adhibetur* à Deo & *inhibetur* ſimul, partim *caſtigandis* & *tentandis* bonis, partim *puniendis* malis, 2.Sam.24. Iob.1.& 2. Act.5. Metuenda itaque hominibus, non contemnenda, nec auertenda per cultum inſtrumenti, ſed per ejus odium, & cum terroris malitia non luctandum tantùm, ſed & eluctandum virtute illius, qui illum in poteſtate habet, nec ſibi vicit, ſed nobis, & ut eum jam vicit pro nobis, & ex parte in nobis, per lumen gratiæ; ſic victoria iſta *incboata* exibit aliquando in *plenam* & *conſummatam* in lumine gloriæ.

DISPVTATIO

DE

CREATIONE HOMINIS,

& Imagine Dei.

Thesis I.

VT in operibus creationis inter cœleſtia eminent Angeli, ſic inter ſublunaria Homo, incola & compendium univerſi, tantæq; dignitatis ut *πάσης κτίσεως* nomenclatione cenſeatur, Marc.16.15.

II. Creationis iſtius inveſtigandæ, 1. *Cauſa.* 2. *Effecta.* 3. *Adjuncta.*

III. *Cauſa* Creationis hominis conſiderari poſſunt tum *externa*, tum *interna. Externa*, Efficiens & finalis, *interna* materialis & formalis.

IV. *Cauſa efficiens* creationis hominis eadem eſt, quæ omnium aliarum rerum creatarum, nimirum Deus Trinunus, Geneſ.1.26. quippe cuius ſolius eſt creare æquè ac recreare, quum utrumque & ſapientiam exigat infinitam & potentiam. Nec quod Patri tribuitur quandoque *per appropriationem* ſingularem, fit ad excluſionem Filij & Spiritus S. ſed duntaxat ad deſignationem *ordinis* & *modi operandi*. *Cauſa* creationis hominis *προκαταρκτικὴ* nulla fuit, *προηγουμένη* etiam nulla præter merum Dei beneplacitum liberrimè ſe communicare volentis, & hoc modo potius quàm alio, Pſ.115.3. *Cauſa adminiſtra* nulla, nec Angeli, nec quicquam aliud. Et ſanè creatio hominis illarum duntaxat perſonarum opus dicitur, quæ & ejuſdem ſunt dignitatis, & eandem habent imaginem, Geneſ.1.26. Homo etiam primus ſe merè *paßivè* habuit, *impropriè* in ſui, *propriè* in Euæ productione. Unde nonniſi ex *Adamo dormiente* Deus Euam fabricatam voluit, ne aliqua eius operatio ad ſtructuram fœminæ concurriſſe videretur.

V. *Cauſa materialis* creationis Hominis reſpectu *animæ* ipſius nulla fuit, quippe quæ eſſe habuit per creationem immediatam præſcindentem ab omni materia: reſpectu *corporis virilis* terra, & quidem *pulvis terræ*, argumentum fragilitatis ſimul & humilitatis, Gen.11.7. & 18.27. 1.Cor.15.4. &c. corporis *fœminini*, coſta viri, argumentum & proximitatis & officij utriuſque, Gen.11.21. In neutra verò fuit *potentia phyſica* ad effectum ex ea productum, ſed *obedientialis* tantùm; ſiue *neutra* potius vel *non repugnantia.*

VI.

VI. *Cauſa formalis* iſtius creationis ſpectari poteſt, vel ratione productionis *animæ*, vel ratione productionis *corporis*. Productionis *animæ* forma fuit, inſpiratio immediata Spiritus vitæ, quippe qui nec è potentia materiæ eductus, nec ex alia anima traductus, nec ex materia aliqua cœleſti fabricatus, ſed ex nihilo immediatè à Deo creatus, & corpori unitus fuit, Gen.11.7. Productionis *corporis virilis* forma, fuit operatio ſimilis *naturali*, *fœminini* ſimilis *artificiali*, quarum illa procedit *comparatè* ex materia informi, iſta ex formata. Utrique præmiſſa fuit prævia quædam veluti conſultatio, indicium non vel dubitationis in operante, vel difficultatis in opere, ſed dignitatis operis creandi, iſtiuſque gratis & precariò illi in creatione & per eam conferendæ.

VII. *Cauſa finalis* creationis fuit creantis gloria, Prou.16.4. Rom.11.36. *perfectiua* creati, non creantis, nec *indigentiæ* indicium, ſed *potentiæ* & *beneficentiæ*. Nec creationis finis dici poteſt καθόλου ſalus hominum omnium & ſingulorum, quippe quam nec Deus omnibus intendit, nec procurauit, nec aſſequutus fuit, nec *abſolutè*, ut notum, nec *ſub conditione*, de qua non redeat quæſtio, & cuius poſitio non impingat ſiue in ſapientiam, ſiue in potentiam, ſiue in bonitatem Dei.

VIII. *Effecta* Creationis hominis ſpectari poſſunt vel *diuiſim*, partes eius ſeorſum conſideratæ, anima & corpus, vel *conjunctim* complexum vel compoſitum ex utriuſq; conjunctione emergens, nimirum Homo.

IX. *Diuiſim* conſiderari poteſt, 1. *Corpus* hominis, ut *prioritate ordinis* prius, quod ſecundùm *genus*, ſubſtantia eſt, ſecundùm *ſpeciem*, materiale, adeoque habens & partes, & partes extra partes, eaſque organicas, quarum admiranda varietas, ſymmetria, ordo, ſtructura, facultates, uſus, operationes. Quæ creati *perfectiones* creantis *perfectionem* repræſentant, quamuis *inadæquatè*, & per modum *veſtigij* tantùm, quod patet ex *ſymbolica* membrorum *attributione*, quæ per συγκατάβασιν & ἀνθρωποπάθειαν in Scriptura quandoque inſtituitur, θεοπρεπῶς verò intelligi debet & exponi; ſecundùm *formam externam* corpus illud erectum fuit, indicatiuum tum *dignitatis* hominis ſupra creaturas alias in terram pronas, tum *officij* ejuſdem ad creatoris ſui in ſublimi habitantis & *contemplationem* & *glorificationem*. Rhetoricantur itaque, non ratiocinantur, qui corpus non *inſtrumentum* vel domicilium animæ, ſed vel *ergaſtulum*, vel *carcerem*, vel *ſepulchrum* eius vocant. Nugantur verò, qui vel naturæ aberranti fœminini corporis ſtructuram, vel fœminam inter monſtra referunt, quorum utrumque ad creatoris, ad creationis, & ad operis creati dedecus pertinet.

X. *Anima* Hominis *prior prioritate dignitatis*, etſi ordine poſterior, quæ ſecundùm *genus*, ſubſtantia eſt, ſecundùm *ſpeciem*, ſpiritualis, Pſ.31.6. Act.5.49. adeoque indiuiſa, nec præſens ſecundùm partes. Secundùm *differentiam*, *incompleta* eſt, *comparatè* ad Angelum, ordinata quippe ut pars totius ad informationẽ corporis in *ſtatu conjunctionis*, ut forma ejus vel actus, iſque non *aſſiſtens*, ſed *informans*, ideoque *principium* hominis *conſtitutiuum*, *diſtinctiuum*, & *operationum*, *productiuum*, quamvis & *ſtatus ſeparationis* capax ſit,

& in eo modi eſſendi peculiaris, ſiue is *perſeitas* vocetur, ſiue *ſubſiſtentia*. *Originem* & *naturam* animæ ſequitur eius indefectibilitas *ab intrinſeco*, quippe quæ, quà talis, principium ſuæ corruptionis in ſe non habet, ſed *ab extrinſeco* tantùm, quippe quæ ab eodem annihilari poteſt, & eſſe ſuum amittere, à quo illud habuit.

XI. *Facultates* animæ hominis duæ potiſsimùm peculiari ratione tribuuntur, *Intellectus* & *Voluntas*, quarum illa homo objecta γνωτὰ recipit ſimul ac dijudicat, ſiue *ſimplici operatione*, ſive *complexa* per *compoſitionem*, *diviſionem*, & *diſcurſum*. Iſta verò objecta πρακτὰ potiſsimùm vel amplexatur ſub ratione boni, vel veri vel apparentis, ſiue honeſti, ſiue utilis, ſiue jucundi, vel auerſatur ſub ratione mali.

XII. *In complexo* Homo ex utraque parte compoſitus ſecundùm *genus*, ſubſtantia eſt, ſecundùm *ſpeciem*, ſubſtantia miſta, pro diuerſa partium conſtitutivarum ſui ratione, *materialis* partim, partim *immaterialis*, ſecundùm *differentiam*, rationalis, ſecundùm *propria*, intelligendi & volendi facultate inſtructa, ſecundùm *accidentia*, quoad *ſexum* mas & fœmina, quoad *domicilium*, primò, Paradiſi, poſt terræ incola, quoad *ſtatum*, dominus creaturarum ſublunarium, quoad *vires*, multiplicativus ſui ad conſeruationem *ſpeciei* per propagationem, & productivus internè actuum immanentium, externè actuum tranſeuntium variorum, ut *principium* vel *ſubiectum quod* agit, & cujus ut *ſuppoſiti* tum actiones ſunt, tum paſsiones hac notione, quoad *durationem*, primò immortalis, vel mortalis *remota potentia* tantùm, poſtmodum etiam *proxima*, accerſito ſibi *malo ethico*, quod poſt ſe & ex ſe trahit *phyſicum*, adeoque corruptionem hominis, & reſolutionem eius in ſua principia.

XIII. Ut verò Homo ſpectatus ſecundùm *rem conſideratam* objectum eſt commune variarum diſciplinarum & artium, ſic ſpectatus ſecundùm *modum conſiderandi* theologicum in *ſtatu inſtituto*, peculiari ratione conſideratur ſecundùm *imaginem Dei*, quam à conditore ſuo accepit in creatione, & ad quam conditus legitur, Gen.1.26.

XIV. Conſiſtit verò imago Dei in complexu omnium illarum perfectionum, quas Deus homini velut *ectypo* ſui in creatione impreſsit, & quibus eum referre voluit aliquo modo perfectionem ſui velut *archetypi* & *prototypi*. Unde nec ſeorſum in corpore tantùm quærenda, nec tantùm in anima, ſed & in utraque iſtarum partium *ſeparatim*, & *in* toto *complexo* ex utraque parte reſultante.

XV. Conſiderari itaque poteſt iſta imago Dei. 1. Ratione *animæ*, idque *primò* & *præcipuè*, tum ſecundùm *ſubſtantiam*, in eius ſpiritualitate; tum *ſecundùm facultates*, partim in *intellectu*, quo repræſentauit ſapientiam ſui creatoris, Col.3.10. partim in *voluntate*, quâ libertatem, tum *ſecundùm habitus concreatos*, quibus juſtitiam & ſanctitatem repræſentauit ſui conditoris, Eccl.7.29. Eph.4.24. Col.3.10. 2. Ratione *corporis*, idque *ſecundariò*, partim in admiranda organorum ſiue *facultatis ſenſitivæ*, ſiue *locomotivæ* fabricâ, partim in eorum operatione & uſu, in quibus omnibus *veſtigium* quod-

dam

dam eſt & umbra perfectionis quæ *eminenter* in Deo eſt, & omnes perfectiones alias virtualiter in ſe continet, earumque & cauſa eſt & directrix.

XVI. Ratione Hominis integri imago iſta Dei ſpectari poteſt in complexo, partim *principaliter*, partim *minus principaliter*. *Principaliter*, quoad *juſtitiam originalem*, ſiue rectitudinem illam internam homini in prima ſui creatione conceſſam, quæ nihil aliud fuit, quàm perfectio & ſubordinatio conueniens omnium facultatum ipſius, ut & omnes Deo adhærerent, & inſita quadam ῥοπῇ ſingulis impreſſa inferiores ſubjicerentur ſuperioribus, affectus omnes voluntati, voluntas rationi, ratio legi Dei, Quod ipſum Scriptura *rectitudinis* nomenclatione complectitur, Eccl. 7. 29.

XVII. Differt verò *juſtitia originalis* ab imagine Dei, ut pars à toto, vocatur alio nomine *juſtitia concreata*, & pro *ſubjecto inhæſionis* animam, pro *ſubjecto denominationis* hominem habuit. Fuit verò iſta perfectio & *originalis* tum *abſolutè*, tum *relatè*, & *naturalis* primo homini vel *connaturalis*, idque non quidem vel *conſtitutivè à priori*, ut pars, vel *conſecutivè* à poſteriori ut facultas fluens ex anima, ſed tum *ſubjectiuè*, ut perfectio naturæ intrinſecè concreata, eique inhærens, tum *tranſitivè*, quia naturalis ejus fuiſſet in poſteros Adami ſtantis cum natura ipſa propagatio. Falſum itaque, eam ſuperadditam fuiſſe ut *donum ſupernaturale*, & *intrinſecum*, velut *aureum* quoddam *frænum*, ut nugantur Scholaſtici, quo propenſiones contrariæ carnis & Spiritus, appetitus & rationis coercerentur; & pars inferior retineretur in officio. Quod commentum in ſpeciem innoxium fundus eſt grauiſſimorum errorum, ſupponit enim 1. Rebellionem carnis contra Spiritum concreatam homini, ob contrarias utriuſq; principii propenſiones. 2. Naturalia per peccatum manſiſſe integra, ablata tantùm eſſe ſupernaturalia. Quorum prius vel concupiſcentiam repugnantem Spiritui negat eſſe peccatum, vel Deum peccati autorem facit, à quo quippe natura cum iſta ἀταξίᾳ primò creata fuerit contra expreſſam Scripturæ S. declarationem, Geneſ. 1. 26. 30. Eccl. 7. 29. Poſterius libertatem arbitrio humano etiam in ordine ad ſpiritualia adſtruit, utrumque in creatoris gloriam incurrit, & hominem creatum partim inflat, partim abſolvit. Explodēda itaque Sophiſtarum ſimilia, juſtitiam originalem fuiſſe inſtar *ſerti* vel *corollæ* homini virgini impoſitæ, vel inſtar *veſtis adjacentis* homini, non *inhærentis*, vel inſtar *crinium Samſonis*, quibus reſectis *ſupernaturale* quidem ipſius *robur* perierit, *naturale* tamen manſerit, quaſi conformitas iſta tum mentis noſtræ cum ſapientia Dei, tum voluntatis cum eius juſtitia & ſanctitate, non *intrinſecè* pertinuerit ad perfectionem primi hominis, & quaſi ſupernaturalia hæreditaria eſſe poſſint, magis quàm frœnum pullis equorum, vel ſertum partui fœminæ.

XVIII. *Minus principaliter* ratione hominis integri imago Dei ſpectatur. 1. Quoad *dotem immortalitatis*, appendicem juſtitiæ originalis, quam homo etiam in creatione ſui à Deo accepit, non quidem conſiſtentem in *impotentia moriendi*, quæ *comprehenſorum* eſt, ſed *in potentia* duntaxat *non moriendi* quæ *viatoris* eſſe potuit, & excluſiva quidem fuit *potentiæ proxima* morien-

di, *remota* non item. Et quamvis אנש infirmitatis nomen hæſerit primo homini ante peccatum, miſeriæ tamen nomen אנוש illi non niſi poſt peccatum hærere cœpit, per quod obnoxius eſſe cœpit *ab intrinſeco* morti & *ethica*, & *phyſica* & *hyperphyſica*, Gen. 2. 17. 2. Quoad *dignitatem dominij* in creaturas ſublunares, Gen. 1. 26. quæ præcipuam imaginis diuinæ partem haudquaquam conſtituebat, minus eam in homine abſolvebat. Nec ea viro ſoli conceſſa fuit, ſed & fœminæ, nec iſtius ad illum ſubordinatio ei intercesſit.

XIX. Damnamus 1. *Gentilium* de æternitate incolarum mundi æquè ac mundi ipſius deliria. 2. Veterum quorundam de hominis vel corpore vel anima Angelorum miniſterio fabricatis, ſomnia. 3. Nugamenta & *in exceſſu* de origine animæ ex ſubſtantia Dei, & *in defectu* de ejus compoſitione ex elementis, adeoque de ejus partim materialitate, partim mortalitate. 4. Commenta de animarum omnium, idque ante mundi creationem productione, vel de animæ ut *forma* duntaxat *aſſiſtentis* conditione, vel de unius tantùm animæ omnibus hominibus infuſæ productione. 5. *Pelagiana* & *Pontificia* dogmata de imagine Dei, juſtitia originali, donis naturalibus, & ſupernaturalibus. 6. *Sociniana* placita de imaginis Dei in dominio duntaxat conſiſtentis natura, hominiſque primi mortalitate. 7. *Flacii* errorem de ſubſtantiali juſtitiæ originalis ut & peccati ei oppoſiti natura.

DISPV-

DISPVTATIO

DE

STATV HOMINIS
tum integri, tum corrupti.

THESIS I.

HOMO conſiderari poteſt vel ut *viator*, vel ut *comprehenſor*. Viator vel *in via*, vel *extra viam*: In via vel per *gratiam*. Hinc varii hominis ſtatus in ſcholis Theologicis conſtituuntur, naturæ & gratiæ. Naturæ vel integræ, vel corruptæ. Gratiæ vel inchoatæ, vel completæ. Huc redit diſtinctio ſtatus *inſtituti*, *deſtituti*, *reſtituti* & *præſtituti*, & conſideratio hominis vel ut integri, vel ut corrupti, vel ut inſtaurati, vel ut glorificati.

II. Statum *priorem duplicem* paucis Theorematibus complexuri ordimur à ſtatu integritatis, ſive rei ſive doctrinæ ordine attento, quippe qui prior ſtatu corruptionis prioritate tum naturæ, tum temporis, tum τῆς παιδείας, quia ut rectum index eſt obliqui, verum falſi; ſic & integritas corruptionis, ſive *intenſivè* conſideratæ, ſive *extenſivè*.

III. Per ſtatum integritatis intelligimus primam hominis ad imaginem Dei in interna bonitate & externa felicitate creati conditionem, Gen. 1. 26. 27. 31.

IV. Conſideranda itaque bona hominis tum *interna*, tum *externa*: interna potiſſimum: comprehenduntur ſub nomenclatura & notione imaginis divinæ, ad quam homo conditus.

V. Imago ſecundùm ſe vox πολύσημος eſt, & notat vel τὸ ἀρχέτυπον, vel τὸ ἔκτυπον vel τύπον vel τὸ τοιοῦτον, vel exemplar, vel *exemplatum*, vel perfectionem quæ Deo propria, vel aliquam ejus ſtricturam in creatura.

VI. Imaginis hujus conſiderari poteſt. 1. *Nomen*. 2. *Latitudo*. 3. *Natura*. Nomen duplex habet Scriptura, Geneſ. 1. & 2. צלם imago & דמות ſimilitudo, quorum alia vis in ſe, alius uſus apud Moſen & Scriptores ſacros. Secundùm ſe enim ſe habent ut genus & ſpecies, ſimilitudo latior eſt, imago ſtrictior, illa in quavis conformitate, iſta in conformitate, vel expreſſa ab alio, vel efformata ad aliud ſive per naturam ſive per artem, prout & צלם Hebræorum à צל umbra, quaſi

adumbrata imago, quæ conjunctim & à corpore expreſſa, & ad ejus figuram conformata. A Moſe tamen promiſcuè ſumuntur nomina צלם & דמות & poſterius adhibetur, ut ἐξηγητικὸν prioris, vel per ἓν διὰ δυοῖν, prout familiare Hebræis, duo ſubſtantiva connectere, quorum alterum adjectivi rationem habet.

VII. Unde jejunia ſubtilitas, & gloſſemata inania illorum, qui τὸ צלם ad naturam, τὸ דמות ad qualitates vel actiones referunt, vel prius ad naturalia, poſterius ad ſupernaturalia. Sic Bellarminus libro de gratia primi hominis, cap. 2. imaginem ad naturam, ſimilitudinem ad virtutes pertinere ait, ſed frigidè & ſine ratione, ut & illud quod ſubjicit ibidem, hominem peccando non imaginem Dei, ſed ſimilitudinem perdidiſſe. Ἰσοδυναμία enim harum vocum apud Moſen apodicticè probari poteſt ex collatione decreti cum ejus executione. Cum enim in decreto homo condendus dicatur verſu 26. בצלם in imagine & כדמות ſecundùm ſimilitudinem Dei, in executione tantum dicitur creatus בצלם אלהים, ℣. 27. in imagine Dei, vel ergo hæc ἰσοδύναμα, vel executio non planè reſpondet decreto. Sic Gen. 5. 1. dicitur homo creatus בדמות אלהים in ſimilitudine Dei, c. 9. 6. בצלם אלהים in imagine Dei. Hinc & LXX. Interpretes promiſcuè per voces & eaſdem & cognatas utrumque expreſsêre: צלם illis ὁμοίωμα, εἰκὼν, τύπος, εἴδωλον, דמות ὁμοίωμα, ὁμοίωσις, ἰδέα, εἰκών. Et Jac. 3. 9. ſimpliciter dicuntur homines facti κατ' ὁμοίωσιν Θεοῦ.

VIII. Ad latitudinem imaginis divinæ quod attinet, reperitur illa in diverſis ſubjectis, & datur varia ejus participatio, alia *perfecta*, *imperfecta* alia, perfecta eſt in æterno Dei filio, coeſſentiali Patri qui εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, Col. 1. 15. in quo habitat σωματικῶς πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, Col. 2. 9. qui eſt ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως Patris, Hebr. 1. 3. etſi ob eſſentiæ ταυτότητα cum Patre κατ' ἐξοχὴν hanc nomenclationem obtineat, cum in rebus creatis reale diſcrimen intercedat inter τὸ ἀρχέτυπον & τὸ ἔκτυπον.

IX. Imperfecta participatio imaginis divinæ reperitur tum in *Angelis*, tum in *hominibus*. In Angelis & quoad *naturam* eorum, quæ ſpiritualis & ſimplex, & quoad *facultates*, quæ eximiæ, & quoad *durationem*, quæ perpetua à poſteriori, quippe qui incorruptibiles *ab intrinſeco*. In reliquis creaturis non tam imago Dei, quàm veſtigium ſecundum Scholaſticos. Hoc ſenſu Apoſtolus ad Roman. 1. 20. docet τὰ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης. Et ſane etſi illorum intuitu callis aliquis protenditur ad τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, haudquaquam tamen datur ad σοφίαν τὴν ἐν μυστηρίῳ quæ altioris indaginis.

X. Non ſine cauſa verò homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditus dicitur, fundamentum enim hujus denominationis datur eximium, quod conſiderandum κατ' ἄρσιν & κατὰ θέσιν, tum in quo non conſiſtat, tum in quo conſiſtat ejus natura.

XI. Explodimus hic opiniones abſurdas varias. 1. Eorum qui imagi-

imaginem divinam locârunt in participatione eſſentiæ divinæ, vel attributorum ἀκοινωνήτων creaturæ, quaſi ſubſtantia hominis eſſet ἀπόσπασμά τι, & divinæ particula auræ. 2. Eorum qui imaginis divinæ rationem in repræſentatione aliqua corporea quæſivêre, quod voluêre olim *Anthropomorphitæ*, vel *Anthropiani*, ſive *Audæani*, à quibus Deus certo loco circumſcriptus, affectus & motus humani & membro corporea illi afflicta, & in his præcipua Dei imago conſtituta. 3. Opinionem illorum qui exiſtimarunt, primum hominem fuiſſe formatum ad ſimilitudinem ipſius, quod Deus ſibi in creatione circumdederit, corporis, & tale fuiſſe formatum corpus à Deo, quale aſſumptum. Supponitur enim craſſa quædam & manuaria mundi πλάσις, & animæ humanæ ex halitu divino velut materialis & corporea productio. 4. Opinionem eorum, qui hominem ad formam corporis, quod aliquando aſſumpturus erat Chriſtus, fabrefactum contendêre. Nec enim nos Chriſto hoc ſenſu, ſed ille nobis ſimilis factus, accepta forma ſervi, Phil.2.7. Et quoniam pueri participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſi quoque conſimiliter particeps factus eorum, Hebr.2.14.

XII. Κατὰ θέσιν imago Dei conſiderata in homine, non ut inſtaurata per gratiam, vel perfecta per gloriam, ſed ut collata per naturam conſiſtebat in bonis ei in creatione collatis, iiſq; non ſubſtantialibus tantùm, nec tantùm accidentalibus, ſed partim *ſubſtantialibus*, partim *accidentalibus*, partim *internis*, partim *externis*, quibus ille Creatorem ſuum aliquomodo referebat. Sic alii imaginem divinam in primo homine conſiderant, tum ratione *naturæ*, tum ratione *rectitudinis*, tum ratione *ſtatus*. Obſervata verò imaginis divinæ diverſa acceptione conciliari poteſt ἐναντιοφανής, Doctoribus multis Reformatis à Pontificiis impactum, quorum aliqui imaginem divinam planè amiſſam, alii ex parte tantùm amiſſam contendunt, ſine contradictione tamen, quia illi imaginem Dei in accidentalibus tantùm, iſti in ſubſtantialibus ſimul & accidentalibus conſtituunt, quæ ſententia potior eſt, cum Scriptura S. in homine peccatore & juſtitia originali deſtituto aliquam adhuc imaginis divinæ rationem reperiri teſtetur, Gen.9.6. Jac.3.9.

XIII. *Subjectum quod* imaginis divinæ erat homo integer, ſive ratione *individui*, nec enim vel animam vel corpus Deus creaſſe dicitur ad imaginem ſuam, ſed את האדם hominem, Gen.2.6. ſive ratione *ſpeciei*, quia homo creatus ad imaginem Dei diſtinguitur in זכר maſculum & נקבה fœminam, & Adamus ſupponebat pro tota ſpecie, ut loquuntur Scholaſtici. Etſi vero totus homo ad imaginem Dei creatus dicitur, reſpectu bonorum tum ſubſtantialium tum accidentalium: totus tamen vel corruptus, vel reſtauratus tantùm vocatur reſpectu accidentalium, nec enim ſubſtantia animæ vel per peccatum corrupta, vel per gratiam inſtaurata.

XIV. *Subjectum quo* imaginis illius eſt primariò anima, ſecundariò corpus, quædam enim imaginis illius illi propria ſunt, quædam iſti, quædam toti homini ex anima & corpore conſtanti.

XV. Imaginem Dei in anima hominis non arbitramur conſtituendam cum Scholaſticis in triplici ejus facultate, intellectu, voluntate, memoria, quaſi in his ſit quærendum ſpeculum Sanctæ Trinitatis, cum imago Dei, ad quam homo creatus, ad eſſentiam divinam referri debeat, & id quod commune perſonis (quippe quibus creationis opus quoque commune) non ad perſonas reduplicativè quà tales: Commodius longè imago divina conſiderari poteſt ratione *ſubſtantiæ* animæ, ratione *potentiarum & facultatum* ex ea emanantium, & ratione *habituum* potentiis concreatorum, quibus homo aliqua ratione accedebat ad perfectionem ſui archetypi.

XVI. Subſtantia animæ imaginem Dei refert, non quod illa ex eſſentia divina fuerit per traducem quendam derivata, quod ſomniarunt olim *Manichæi & Priſcillianiſtæ*. Nec enim eſſentia infinita vel partes habet, vel aliquid ſui amittere poteſt, vel in compoſitionem cum alio ente coaleſcere, vel ulli mutationi objici, Jac.1.17. Adde, animam creatam fuiſſe & quidem creatione immediata, conſtare tum ex Scriptura, tum ex ratione. Imaginis verò divinæ in anima ratio eſt ſubſtantiæ ejus tum ſpiritualitas, tum ſimplicitas, tum ex conſequenti incorruptibilitas *ab intrinſeco*. Hæc enim omnia in Deo reperiuntur, etſi modo perfectiſſimo, & cum ſumma ὑπεροχῇ. Nec abſurdum, iſtam imaginis divinæ portionem reperiri etiam in damnatis & Dæmonibus. Hinc *Bernhardus*: Imago Dei in gehenna ipſa videri poterit, non exuri: ardere, ſed non deleri, & quocunque perveniet anima, ſimul & ipſa erit, *Serm.1. de animat.*

XVII. Eluxit verò etiam imago Dei in *facultatibus* & *potentiis* animæ, præcipuè in *intellectu* & *voluntate*: illo ferebatur homo in ea, quæ erant ſub ſphæra intelligibilium, idque variis actibus, apprehendendo, componendo, dividendo, ratiocinando, interdum directè, interdum indirectè, per reflexionem in ſe, & ſuum actum. Iſta, nimirum voluntate, homo objectum ab intellectu monſtratum vel eligere poterat, ſub ratione boni, vel averſari ſub ratione mali, utriuſque vel veri vel apparentis.

XVIII. *Habitus* vel *qualitates* potentiis illis concreatæ, & ad imaginem Dei pertinentes erant. 1. *Sapientia* in mente. 2. *Rectitudo & juſtitia originalis* in voluntate, & *libertas* illius exercitio adjuncta. Sapientia primi hominis erat donum eximium, quo homo cognoſcebat & Deum, & quæ extra Deum, ſive ſe, ſive creaturas alias: & quoad naturam cujuſque & quoad officium ſuum, quantum ad Dei gloriam, ad ſuam felicitatem, & creaturarum reliquarum gubernationem erat neceſſarium. Ab hac ſapientia fuit & ſcientia in intellectu *Theorico* circa cognoſcenda, & prudentia in *practico* circa agenda. Hujus ſapientiæ ſpecimen tum in nomenclatione animalium edita a primo homine, Gen.2.19. tum in agnitione Evæ ex ſua coſta fabricatæ, tum in prædictione firmitatis copulæ conjugalis, v.24.

XIX. In hac verò ſapientia particulam imaginis divinæ conſtituendam

dam docet ejus reſtitutio, de qua Apoſtolus, Col.3.20. ubi diſertè meminit ἀνακαινούμενος εἰς ἐπίγνωσιν. Id verò propriè dicitur ἀνακαινοῦσθαι, quod aliquando novum erat & tale poſſidebatur. Putida hic ſunt *Socini* cavilla, quibus ille craſſam & ſtupidam Adamo integro ignorantiam affingere ſategit. Stolida etiam *Iudæorum* commenta, Adamum & Evam ſine uſu rationis infantum inſtar creatos, ad ſcientiam ex eſu arboris ſcientiæ demum comparandam.

XX. Rectitudo & juſtitia originalis quæ in voluntate primi hominis erat, non ſimpliei virtutis nomine cenſeri poteſt, quippe quæ conſiſtebat in complexu quodam & aggregatione, eratque cinnus quidam virtutum partim *Ethicarum*, partim *Theologicarum*, quibus homo ſuum reddere, Deo, proximo, & ſibi ipſi poterat, & actus tum religionis, tum juſtitiæ & charitatis, tum temperantiæ exercere ſine vitio, utpote in quo erat omnium potentiarum & τάξις ſecundùm ſe, & ἁρμονία inter ſe, ita ut membra affectui, affectus voluntati, voluntas rationi, ratio legi divinæ adhæreret, & τὸ ἡγεμονικὸν imperium haberet, non *politicum* tantùm, ſed etiam *deſpoticum* in appetitum ſive concupiſcibilem ſive iraſcibilem. Ab hac rectitudine vocabatur homo Ἐυθὴς ישר rectus quod LXX. δίκαιον, ὅσιον, καλὸν, ἀγαθὸν, καθαρὸν reddunt, in quo nihil curvi vel vitioſi, Eccl.7.29. Hoc ſenſu dicitur homo κτισθεὶς ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας, Eph.4.24. Harmonia illa membrorum cum affectibus, & affectuum cum ratione elucebat ex carentia pudoris in nuditate, Gen.2.25. Unde Pontificiorum commentum explodendum, qui rectitudinem originalem ſuperiori animæ parti propriam faciunt *formaliter*, inferiori verò tribuunt *effectivè* duntaxat, quaſi in iſta ſemper fuerit renitentia quædam & proclivitas ad malum, coërcenda tamen à virtute ſuperiore. Cum tamen inferior quoque pars & ordinatiſſima fuerit, & ſubjecta imperio rationis. Sed homines illi nihil penſi habent naturæ integræ vitium adſcribere, modò corruptæ vires ſtabilitum eant & aſſertum.

XXI. Rectitudinem illam, vel juſtitiam Adamo concreatam ſtatuimus; non illi creato demum ab *extra* ſupperadditam; adeoque hoc ſenſu naturalem vel connaturalem, vel innatam homini, non ſupernaturalem. Et naturalem quidem non *conſtitutivè* à priori, vel *conſecutivè* à poſteriori emanatione eſſentiali & naturali ex anima reduplicativè quà anima eſt communis & naturæ integræ & corruptæ, ſed talem partim *originaliter*, quia Adamus eam habuit à prima origine, partim *ſubjectivè* quia erat in anima partim *perfectivè* quia perficiebat naturam, partim *tranſitivè*; quia tranſmittenda erat ad poſteritatem Adami, & dos futura non individui, ſed ſpeciei, ſi homo perſtitiſſet in obſequio & ſua felicitate. Naturalis ergo erat, ut fluens ex principiis naturæ, non communibus ſtatui integritatis & corruptionis, ſed propriis ſtatui integritatis, etſi rectitudo illa ſupernaturalis jam dici debeat, habita ratione ſtatus præſentis, cui ab extrinſeco & ex peculiari demum beneficio accedit.

XXII. *Pontificii* eandem rectitudinem donum *ſupernaturale* vocant,

de quo non litigandum foret ob ambiguitatem termini, niſi ὕπουλον quid ſub iſto cortice velatum irent Sophiſtæ: fuiſſe nimirum in parte inferiore, adeoque in natura primi hominis non quidem vitium, ſed vitioſitatem & obnoxietatem ac proclivitatem illam ad malum, de qua ſupra ob appetituum contrariorum σύῤῥοπον coërcitam tamen dono ſupernaturali, fræno nimirum juſtitiæ originalis. Et ſcopus hujus τοῦ φαρμάκου eſt, hominem per peccatum nihil niſi ſupernaturalia dona amiſiſſe, naturam integram ſervaſſe, hominem natum etiam in peccato originali ferè ſimilem eſſe Adamo ante lapſum in puris naturalibus condito, ſine veſte vel fræno, vel antidoto ſuperiori, adeoque liberum arbitrium habere & ἀδιαφορίαν aliquam ad bonum & malum, concupiſcentiæ motum primum non eſſe peccatum, adeoque legis impletionem poſſibilem: Morbos, infirmitates, miſerias, mortem eſſe ſequelam naturæ, fluentem ex conditione materiæ, quæ conſequenter tantùm converſa fuerit in pœnam peccati. Hinc via à Sophiſtis ſtrata ad merita de congruo, ad præparationem ad gratiam, & Pelagianiſmum interpolatum & recoctum. Annon verò his principiis admiſſis, inordinationis quæ in homine culpa Deo tranſcibenda? à quo & materia & morbus materiam conſequens, cui antidoto ſuperiori opus fuerit & fræno, erupturo cæteroquin in nervum. Quî hac ratione vel homo creatus rectus, Eccl. 7. 29. vel omnia creata bona & valdè bona, Geneſ. 1. 31. vel concupiſcentia non ex parte, 1. Joh. 2. 16.

XXIII. Fallitur etiam graviſſimè infauſtus *Socinus*, qui negavit Adamum cum juſtitia aliqua originali fuiſſe creatum, quod probare ſategit à poſteriori ex lapſu hominis: quaſi verò actus ille ex principiorum pravitate originaria, & non ex eorundem mutabilitate & abuſu libertatis homini conceſſæ fluxiſſet, qui ſe ſponte à bono avertit & ad malum convertit. Dogma illud Socinianum à Novatoribus ad ſalvandas hypotheſes ſimiles poſtliminiò, ſed eadem abſurditate & infelicitate, interpolatum fuit.

XXIV. *Flaccii Illyrici* commentum nihilo ſanius, qui ex juſtitia originali ſubſtantiam conflavit, ut & ex oppoſito ei peccato: quod dogma, præterquam quod Script. S. & rationibus innumeris adverſatur, defendi nequit, quin ſive peccatum bonum, ſive Deus mali auctor conſtituatur.

XXV. Rectitudini verò voluntatis primi hominis accedebat *Libertas* ejuſdem, oppoſita non dependentiæ à cauſa prima, vel directioni & flexui ejus, cui omnis creatura obnoxia, quà talis, ſed oppoſita neceſſitati tum naturæ tum coactionis. Sic in voluntate primi hominis reperiebatur non τὸ αὐτεξούσιον, & τὸ ἀδιάπτωτον quod Dei ſolius, ſed τὸ ἀμφιῤῥεπὲς vel τὸ ἰσόῤῥοπον ad bonum & malum & ἀδιαφορία tum contrarietatis vel ſpecificationis, tum contradictionis vel exercitii.

XXVI. Sufficit verò ſapientia, rectitudo & libertas primo homini collata ad Deum à cauſa & culpa omni peccati eximendum, cum homo & luce eximia in mente, & rectitudine in voluntate, & libertate in

utriuſque uſu præditus, ſponte ſe à bono averterit, nefaria volitione & infauſto libertatis ſuæ uſu.

XXVII. Hactenus de bonitate *interna* hominis, vel bonis ejus internis. Sequuntur *externa*, quorum quatuor potiſſimùm obſervari poterant. 1. Hominis externa *conformatio*, quæ pulcherrima. 2. Ejus *duratio*, quæ debebat eſſe perpetua. 3. *Dominium* ejus in creaturas alias, quod eximium. 4. *Domicilium*, vel ſedes, quæ ſplendida, nimirum *Paradiſus*. Quorum primum, ſecundum & tertium adhuc ad imaginem Dei ſpectabant, ſingula ad Creatoris gloriam, & hominis felicitatem.

XXVIII. Conformatio externa hominis pulcherrima erat, ſive os ejus ſublime, & erectos ad ſidera vultus contueamur, ſive admirabilem corporis organici & omnium membrorum compagem & ſymmetriam, ſive externas animæ per organa corporea operationes, & varia virtutum variarum exercitia. In his omnibus Creatoris gloria, & ſtricturæ ſapientiæ, bonitatis & potentiæ divinæ effulgebant præ creaturis aliis. Hinc via eminentiæ ad perfectiones eximias itur, quas ut diſtinctas in Deo humana concipit infirmitas, utut ſummè unitas & inter ſe, & cum eſſentia divina.

XXIX. Nec ob id *Anthropomorphitarum* ſupra notatorum monſtroſis opinionibus locus, nec enim membris corporeis membra, ſed virtutes analogas in Deo reſpondere intelligimus. Aliquam verò in corpore humano divinæ imaginis ſtructuram reperiri S. Scriptura docet, dum homicida ut deſtructæ imaginis divinæ reus peragitur, Gen. 9. 6. Sic membra noſtra jubentur eſſe arma juſtitiæ Dei, Rom. 6. v. 13. Sic corpora noſtra dicuntur ναὸς τοῦ ἐν ὑμῖν ἁγίου πνεύματος, 1. Cor. 5. 19. 20. & jubemur Deum glorificare in corpore noſtro, quod, ut & Spir. noſter, dicitur Dei eſſe ibid.

XXX. Inter bona externa primi hominis non minimum erat ejus duratio perpetua à poſteriori, quamvis conditionata, quam immortalitatem vocant Scholæ Theologorum. Donum hoc commune erat & animæ, & corpori propter animam ſanctam & juſtam, adeoque toti ſuppoſito.

XXXI. Per immortalitatem verò hominis hic non intelligimus vel indefectibilitatem, vel impotentiam moriendi ἁπλῶς, ſed potentiam ut non peccandi, ſic non moriendi, quæ naturæ integræ propria erat, ob unionem corporis licet ſecundum ſe compoſiti, & materiati, adeoque & corruptibilis, utpote conſtantis ex contrariis, cum anima immortali & ſancta. Hanc immortalitatem habuit Adamus à ſui creatione, quæ ejus nativitas erat: Mors verò ſive temporalis, ſive æterna ob peccatum demum homini & denuntiata & inflicta, & ejus ſtipendium, Gen. 2. 17. c. 3. 19. Rom. 6. 23.

XXXII. Hoc donum etiam ex naturalium cenſu excenturiant Pontificii & ad ſupernaturalia referunt, ut ὑπόθεσιν ſuam tueantur, naturalia poſt lapſum manſiſſe integra. Confundunt verò conditionem corporis & hominis, mortalitatem, & moriendi neceſſitatem, potentiam reſolutionis in ſua principia, & ejus actum, primam conſtitutionem cum præ-

ſente,nec à corpore ſecundùm ſe corruptibili oculos erigunt ad animam incorruptibilem & ſanctam, cui unitum, & cujus beneficio immortale erat,quamdiu anima ab omni morte immunis.Nec reverâ corporis mors ſecuta,niſi poſt aliquem animæ Adami mortem.

XXXIII. *Sociniani* adhuc craſſius hac in parte impingunt,qui planè negant, hominem primum fuiſſe immortalem,& potius ſtatuunt, illum moriturum fuiſſe etiam in ſtatu innocentiæ, eo quòd corpus habuerit animale,pulvereum,generabile,adeoque & corruptibile, ſed & iſti ejuſdem quem in Pontificiis obſervavimus paralogiſmi animadverſione confutari poſſunt,& convelli.

XXXIV. Ad bona externa primi hominis referimus etiam *dominium*,quod obtinuit in creaturas alias,quod & ipſum eſt ἀπαύγασμα quædam imaginis divinæ, & Character potentiæ Creatoris, cujus ἐξουσία hac in parte cum homine aliquomodo communicata. Hinc Geneſ.1.28.formationi hominis ad imaginem Dei ſubjicitur ſtatim ejuſdem dominium in animalia. Hinc animalia etiam ad hominem ut herum ſuum adducta, à quo & agnita,& nomenclatione conveniente diſtincta.

XXXV. Conſiſtebat verò dominium hoc & in *jure* hominis in animalia alia,& in ejuſdem *exercitio*.Huic dominio etiam ancillabantur perfectiones aliæ quas in creatione obtinuit. Vt enim dominium hoc eſſet ſapiens:opus erat ſapientia,ut juſtum,juſtitia,ut externum & validū, corpore bene conformato,& ſuis virib.inſtructo,ut perpetuū,immortalitate.

XXXVI. Dominium hoc poſt lapſum ex parte manſit penes hominem,& ut reliquiæ aliæ imaginis divinę,Gen.9.2.tametſi fractum & imminutum potiore ſui parte: quippe cui vi opus ac arte ad ſubigenda animalia.Integrum verò etiam infinitis modis diſtabat à dominio Dei,quod independens, naturale, abſolutum, illimitatum, hominis contra & dependens,& precarium,& ſuis limitibus circumſcriptum.

XXXVII. *Socini* commentum inſulſum explodimus,qui non potiſſimam modo, ſed & unicam & adæquatam imaginis divinæ rationem conſtituit in dominio hominis ſuper animantia: quamvis nec præcipua ejus pars fuerit, nedum tota. Imò ne dominium illud primi hominis tyrannicum foret, & immoderatum, opus erat qualitatibus directricibus, adeoque ſapientia & juſtitia.

XXXVIII. Domicilium verò & ſedes hominis erat *Paradiſus*, locus amœniſſimus,typus domicilii æterni & ἀχειροποιήτου Luc.23.43. 2.Cor.12. 3.4. de cujus natura, figura, ornamentis, magnitudine extra Scripturam cum Scholaſticis diſputare curioſum potius, quàm neceſſarium, multa definire,temerarium potius quàm ſolidum.

XXXIX. Præcipua ejus ornamenta duo commemorat Moſes, *Arborem vitæ*, & *Arborem ſcientiæ boni & mali*. Illius nomenclatio non intelligenda *formaliter*, vel *ſubjectivè*, quaſi vitæ ſive animalis,ſive ſpiritualis capax fuiſſet, quippe quæ ſubſiſtebat in genere vegetabilium, nec *effectivè*, quaſi vi innata immortalitatis productrix vivificandi facultatem in ſe habuiſ-

habuiſſet, quippe cujus ſuccus, æquè ac fructus corruptioni obnoxii erant: ſed partim *miniſterialiter*, quia ut probabiliter ſtatui poteſt, vel ut cibus, vel ut medicina ad humidum radicale inſtaurandum, & corpora à ſenio & declinatione præſervanda, adeoq; ad vitam prorogandam utilis fuiſſet, partim *ſymbolicè* quia ſacramẽtali ratione homini non peccatori vitam immortalem tum ſignificaſſet, ut typus, tum obſignaſſet ut arrhabo.

XL. Sic nec arbor ſcientiæ boni & mali ſic dicta, vel *formaliter* quaſi in ſe λογικὴ, vel ἐπιστημονικὴ fuiſſet, vel *effectivè*, quaſi ſuo eſu ſcientiæ vel productrix fuiſſet, vel adjutrix, nec *putativè*, quaſi id nominis à fallaci ſerpentis nomenclatione & promiſſione tantùm obtinuiſſet: ſed partim *ſacramentaliter*, quia erat ſignum exploratorium, & monitorium, de cavenda ſcientia experimentali mali æquè ac boni, partim *eventualiter*, ab eventu à poſteriori per πεῖραν, quatenus ex ejus eſu reverâ homo experturus erat, quid intereſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum, ut qui illud diſcernere nollet per præceptum, diſcerneret per experimentum.

XLI. *Finis* verò & uſus bonorum tum internorum tum externorum hominis in ſtatu integritatis erat, vel principalis & architectonicus, vel minus principalis & ſubordinatus. Ille Creatoris gloria, Prov. 14. 4. Iſte hominis in obſequio perſtantis felicitas tum temporalis tum æterna.

XLII. A ſtatu *integritatis* progredimur ad ſtatum *corruptionis*, in quem homo voluntariè ſua à ſummo bono defectione ſe præcipitem dedit & malus ſimul ac miſer evaſit. Et tanè ſtatus iſte abſolvitur conſideratione tum *peccati*, tum *miſeriæ* à peccato ortæ, de quibus ἐπιτόμως & ſuccinctè ſequentia theoremata.

XLIII. Peccati *etymologia* latina incerta, vis & ſignificatio certa, ut & ū חטאה Hebræorum & ἁμαρτία, παραβάσεις, παραπτώματα Græcorum, quæ notant deflexum à ſcopo ad quem homini collimandum, & à linea, intra quam erat conſiſtendum.

XLIV. Rem peccato deſignatam, quod attinet, optima Spiritus Sancti definitio, ἁμαρτίαν eſſe ἀνομίαν, 1. Joh. 3. 4. Siue ergo committendo, ſiue omittendo, ſiue negatiuè, ſive privativè, ſive affectu, ſiue effectu à lege Dei homo deflectat, peccatum admittit. Definitio peccati per cognitum, dictum aut factum pravum, nec propria eſt, quippe quæ genus vitioſum habet, nec adæquata ſuo definito, quippe quæ peccatum originis ſuo ambitu non complectitur.

XLV. Peccati conſiderari poſſunt, *cauſa, ſubjectum, effecta*. *Cauſæ* aliæ *internæ*, *externæ* aliæ, aliæ *effectivæ* vel defectivæ potius, aliæ *objectivæ*. In neutro genere Deus, à quo peccati cauſalitas & efficientia longiſſimè removenda, quamvis dogma contrarium Theologis noſtris invidioſè & per meram calumniam impingatur, qui peccati quidem permiſſionem, directionem, gubernationem, coërcitionem cum Scriptura Deo vindicatum eunt, efficientiam, inſtillationem, approbationem, coactionem ad id non item.

XLVI. Cauſalitas ergò propria peccati quærenda in creatori

intellectuali & rationali ſponte ſe à bono avertente & ad malum convertente.

XLVII. *Materia* peccati *circa quam* eſt lex Dei ſiue inſcripta cordi, ſiue conſignata literis. *Materia in qua* eſt bonum vel ſubſtantiale vel accidentale. Nec enim malum, niſi in bono vel eſt, vel eſſe poteſt, ſed ſemper habitat in alieno fundo, ut loquuntur Scholæ. *Forma* analogicè eſt ἀνομία ἀτάκτης, & ἀταξία ἄνομος, quam vocamus malum abſtractivè. *Finis*, propriè & per ſe nullus, cum ſit aberratio à fine, per accidens multi.

XLVIII. *Subjectum* peccati eſt ſola creatura intellectualis & rationalis, quæ ſola & legis capax, & obſequii ſecundùm legem, ad quod exigitur & cognitio faciendorum, ut principium *directivum*, & voluntas, ut *imperativum*. Vnde & Deus ab omni peccati contagio prorſus immunis, non tantùm ob alias naturæ ſuæ perfectiones, ſed & ob τὸ ἀδιάπτωτον, αὐτάγαθον, & αὐτεξούσιον.

XLIX. *Effecta* peccati in genere, & conſequentia ejus ſunt miſeriæ omnes partim *pœnales*, partim *caſtigatoriæ*, quas & nondum peccatori Deus mortis nomine interminatus fuit, & peccati eadem nomenclatura inflixit, Gen. 2.17. & 3.19. Rom. 6.23. Latiſſimum verò mortis nomen, quod & *ſpiritualem* continet, quæ in priuatione gratiæ Apoc. 3.1. & *corporalem* quę in ſeparatione animæ, & *analogicam* quæ in inflictione crucis ſiue pœnalis, ſiue caſtigatoriæ, & *æternam* quæ in perpetua à Dei gratia & gloria ſeparatione, & æterna tum ſummorum bonorum privatione, tum malorum exquiſitiſſimorum ſenſu conſiſtit, de qua Matth. 25. & Apoc. 21.

L. Peccatum ſpeciatim conſideratum eſt vel *primum*, vel *à primo ortum*. Primum eſt primorum parentum obedientia, qua à Diabolo ſeducti, & legem divinam generalem, & interdictum ſpeciale de non attingendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali ſponte citra ullam coactionem ſunt tranſgreſſi, Gen. 3. Rom. 5.

LI. Hujus peccati notari poſſunt *cauſæ, objectum, ſubjectum, natura, adjuncta, effecta*.

LII. *Cauſa* ejus προκαταρκτικὴ fuit Satanæ tentatio, & mala ſuggeſtio, Geneſ. 3.1.4.5. 2. Cor. 11.3. προηγουμένη voluntas hominis per ſe quidem ad bonum & malum ἰσόῤῥοπος, tunc verò artificioſa & calumnioſa Sathanæ ſuggeſtione ad majoris ſcientiæ affectationem & ὑπεροχῆς ſuperioris ambitum ſponte inflexa.

LIII. *Objectum* hujus peccati erat non tam eſus fructus vetiti, quàm partim lex naturalis homini implantata, de obſequio creatori præſtando, partim poſitiva, interdictum tum *ſymbolicum*, tum *exploratorium* rei per ſe inferentis & leuis obſervatu, fundatæ in ſola voluntate imperantis. *Subjectum* primus homo ἰδικῶς conſideratus, ſiue duo prima indiuidua, non conſiderata ut perſonæ ſingulares, ſed ut principium generis humani productivum, & epitome ejus repræſentativa. Vnde peccatum illud naturæ fuit, non perſonæ duntaxat.

LIV. *Natura* hujus peccati generali παραβάσεως, ἁμαρτίας, παραπτώματος,

τος, παρακοῆς nomenclatione exprimitur, Rom. 5. 14. 15. 19. & conſiſtit in variis actibus, partim internis partim externis, quibus homo legem ſibi datam refixit, & in Deum & poſteritatem ſuam multimodis peccauit. Actuum externorum ordo patet, internorum latet. Alii ſuperbiam, incredulitatem alii, quidam ſuſpicionem invidiæ primo homini obrepſiſſe contendunt, alii probabiliter dubitationem de veritate & bonitate interminationis divinæ, de quo tamen anxiè non litigandum, modò plures actus internos vitioſos ſe mutuò excepiſſe, & externos anteceſſiſſe ſtatuamus.

L V. Hinc etiam patet *adjuncta gravitas* illius peccati, utpote per quod apoſtaſia univerſalis à creatore commiſſa, ſignum generale vocationis excuſſum, ſumma ingratitudo admiſſa, ſacramentum profanatum, totius poſteritatis felicitas proſtituta, & in pietatem, juſtitiam & charitatem grauiſſimè peccatum. *Effecta* primi peccati ſunt tum peccata orta, tum pœnæ: Sic egregiè *Auguſtinus*, Adamum ex olea in oleaſtarum peccando converſum totum genus feciſſe oleaſtrum, & illum qui damnationem Adæ vel nimiam putat, vel injuſtam, metiri neſcire, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas.

L VI. Peccatum à primo ortum eſt vel *originale* vel *actuale*. Illud, effectus & fœtus peccati originantis immediatus, iſtud, mediatus.

L VII. Originale peccatum ſic technologicè dictum, comprehendit tum *imputationem* inobedientiæ primorum parentum, tum *corruptionem* hæreditariam totius generis humani in omnem & totum hominem naturali generatione ex Adamo deſcendentem, propter illius lapſum propagatam, qua ſub peccati, tum ſervitute, tum pœna conſtituti, adeoque & peſſimi redditi fuêre & miſerrimi.

L VIII. Peccati originalis notanda *cauſa, natura, effecta, adjuncta*. *Cauſa* eſt peccatum originans ſive παράβασις primi hominis, Rom. 5. 12. 19. quam ex lege juſtitiæ & veritatis diuinæ debebat ſequi ablatio donorum illi concreatorum, & reatus ac obnoxietas ad mortem, tum temporalem, tum æternam.

LIX. *Natura* ergo peccati originalis conſiſtit tum in *culpa* primorum parentum Adæ poſteris imputata, tum in *corruptione* naturæ non priuativa tantùm, ſed & aliquomodo poſitiva. Donis enim originariis à primò homine excuſſis ſucceſsêre mala contraria. Vnde Scriptura etiam modò ἀποφατικῶς vel στερητικῶς loquitur de peccato originis, Roman. 3. 23. 7. 18. 1. Cor. 2. 14. Eph. 4. 18. modò καταφατικῶς Rom. 7. 7. Epheſ. 2. 3. Galat. 5. 17. Hinc homo corruptus & cœcus mente, & malus voluntate, & rebellis affectibus, immò mortuus in peccato, nec ulla ratione capax eorum, quæ ſunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. 14.

LX. *Effecta* peccati originalis, ſunt tum *culpa* actualis, tum *pœna*, eaque partim *temporaria*, partim *æterna*, Jac. 1. 14. 15. Rom. 5. 14. *Adjuncta* peccati hujus ſunt, tum *univerſalitas extenſivè* reſpectu omnium hominum naturali modo ex Adamo deſcendentium, tum *æqualitas intenſivè*, quia æqualis om-

nium ratione radicis corruptio ante inſtaurationem per gratiam, ſiue coërcentem tantùm, ſiue renouantem etiam, cujus varii gradus.

LXI. Opponenda iſta & *Pelagianiſmo*, ſiue veteri, ſiue interpolato ab *Anabaptiſtis* & *Novatoribus*. peccatum originis & hominis corruptionem vel explodenti, vel extenuanti: & *Flacianiſmo* ex peccato originali ſubſtantiam fabricanti: & *Papiſmo* circa culpam & pœnam & latitudinem & durationem & effecta peccati originalis peccanti, quaſi culpa leuior foret, pœna mitior, latitudo reſtrictior, duratio contractior, effecta & pauciora & leviora.

LXII. A peccato originali fluunt *Actualia*, quæ conſiſtunt in internorum & externorum actuum irrectitudine. Horum peccatorum ſpecies & diſtinctiones variæ à *cauſis efficientibus*, à *materia*, à *forma*, ab *objectis*, à *ſubjectis*, ab *adjunctis* modorum, locorum, temporum; Hinc alia peccata *infirmitatis*, *malitiæ*, *ſcientiæ*, *ignorantiæ*, *omiſsionis*, *commiſsionis*, *ſpiritualia*, *carnalia*, *occulta*, *aperta*. *ſpiritualia*, *corporalia*, *regnantia*, *non regnantia*, *remiſsibilia*, *& non remiſsibile*, quod κατ' ἐξοχὴν peccatum *in Spiritum Sanctum* Scriptura vocat Matt.12.31. & peccatum ad mortem, 1.Iohan.5.16. quod conſiſtit in *malitioſa*, *univerſali & perſeverante apoſtaſia*, *conjuncta cum odio veritatis & oppugnatione ejus pertinace*, *eaque vel tyrannica vel ſophiſtica*, *vel aperta*, *vel occulta*.

LXIII. *Origo* peccatorum actualium eſt corruptio per originale peccatum in naturam illata. *Forma* ἀνομία. *Objectum*, lex & legislator, & qui ejus imaginem gerunt. *Subjectum* quod, homo peccator. *Effecta*, tum peccata alia, tum pœnæ partim temporales, partim æternæ, cum culpa nulla dari poſſit ſine reatu & obnoxietate ad pœnam, cujus actus tamen divina bonitate in filiis Dei inhibetur.

LXIV. Qui *venialia* nobis peccata, ſiue à *cauſa*, ſiue ab *objecto*, ſiue ex *natura* ſua producunt, præterquam quod oppoſitum ſtatuunt in appoſito, nec ad τὸ ἀκριβοδίκαιον, Legis, nec ad legislatoris Majeſtatem aſſurgunt, nec vel peccati fœditatem vel peccatorum συμπλοκὴν, vel diſciplinæ etiam caſtrenſis jura comperta habent. Agnoſcimus tamen peccata multa venialia, ſed à poſteriori & ab euentu tantùm, non propter expiationes humanas, ſed propter remiſſionem diuinam fundatam unicè in λύτρῳ Mediatoris.

LXV. Ex conſideratione ſtatus tum integritatis, tum corruptionis homo ſuperbiendi nullam, multam verò criſtas demittendi materiam habet, ſiue in bonorum quibus excidit, ſiue in malorum in quæ incidit contemplationem feratur. Argumentum tamen & fiduciæ & ſpei & gratitudinis reliquum habet, ſiue ex inſtaurationis ſuæ per *gratiam* inchoatione, ſiue ex eiuſdem per *gloriam* complemento aliquando ſecuturo in eo & per eum, qui nobis factus à Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemptio, *ſapientia*, ne peccatum nos lateat, *juſtitia* ne damnet, *ſanctificatio* ne regnet, *redemptio* ne tandem etiam habitet in iis, qui translati erunt in ſtatum felicem ἀπολυτρώσεως, καὶ ἀποκαταστάσεως πάντων.

DIS-

DISPVTATIO

DE

PECCATO IN GENERE.

Theſis I.

De morbis agit Medicus, de flagitiis in leges humanas commiſſis Juriſconſultus, Theologus de peccatis in Dei legem admiſſis, quę quò perfectior eſt humanis omnibus, eò etiam vel plura vel majora dantur peccatorum vel genera vel ſpecies quæ in eam admittuntur. Et ut Medicorum filij *Pathologiam* præmittunt *Therapeuticæ*, ſic pari ratione Theologia *pathologica* declaratiua peccati, & miſeriæ humanæ præmittenda eſt Theologiæ *therapeutica* declaratiuæ remedij, cuius interuentu ab utroque iſto malo, & *ethico* & *phyſico* liberamur.

II. Theoriam iſtam de peccato, revocamus ad duo capita, 1. Ad ὀνοματολογίαν. 2. Ad πραγματολογίαν.

III. Ad ὀνοματολογίαν pertinet, 1. Nominum ἐγγράφων, 2. ἀγράφων conſideratio. Ἔγγραφα ſunt hebræa Veteris, & græca Noui Teſtamenti. Hebræa ſunt חטאה עון, שגגה, פשע, רשע, אשם, מרד, מעל, בגד. Græca ἁμαρτία, ἀδικία, ἀδίκημα, παράπτωμα, παρακοή, παράβασις, πονηρία, κακία, & alia id genus. Ἄγραφα ſunt, *peccatum*, *flagitium*, *facinus*, *delictum*, *ſcelus*, *prævaricatio*, & plura talia.

IV. Nomina *hebræa* veteris Teſtamenti ſpectari poſſunt vel ratione ſuæ *originis* vel ratione ſui, quem in ſacra Scriptura habent *uſus*. *Origo* ſingulorum diuerſa eſt, *uſus* non item. חטאה Hebræis propriè eſt deflexio à ſcopo, funditorum vel ſagittariorum inſtar, quod peccati naturam apprimè explicatam dat, quod reuera eſt deflexio à ſcopo nobis & in creatione noſtra, ac Dei lege præſtituto, & in omnibus actibus ſpectando, quo ſenſu τὸ חטא & τὸ ἐξαμαρτάνειν, à Septuaginta Interpr. funditoribus tribuitur, Jud. xx.16. עון eſt propriè incuruatio quædam antecedens, vel conſequens eam curvitas. Et ſanè, ut inclinatio corporis receſſus eſt à recta homini in creatione conceſſa ſtaura ; ſic & inclinatio animi in vetita eſt receſſus à rectitudine eidem in creatione collata. Nec peccare poteſt homo, quin animum ad Deum in cœleſtia erigendum deprimat ad terrena. שגגה propriè eſt *error* vel *inconſideratio*, quæ in omni

fermè peccato incurrunt, hinc etiam peccatores dicuntur ἀγνῶται, ac peccata ἀγνοήματα, Heb. IX.7. peccatores, cœci, *ſtulti*. פשע deſignat propriè prævaricationem voluntariam, tranſgreſsionem data opera admiſſam: און ſignificat velut vaſtationem hominis, qua major dari nequit peccato, quæ etiam comitem ſecum trahit, peccantis deſtructionem. רשע denotat veluti turbationem & inquietationem hominis per metatheſin, quod & peccantis diſpoſitionem & peccati naturam appoſitè repræſentat. מרד eſt inferioris in ſuperiorem, ſerui in dominum inſurrectio & rebellio. מעל eſt prævaricatio vel negatio juris debiti Superiori, & mendacium quoddam, quod in pleriſq; datur peccatis. בגד eſt velut fidei datæ & ſeruandæ violatio. Ut ut verò *originem* iſta diuerſam habeant, *uſum* tamen diuerſum non habent, ſed plerumque confundi in Scriptura ſolent. Nec immeritò, plura enim id genus delicta in uno ut plurimùm concurrunt peccato.

V. Nomina *græca* peccati ἴσχαφα, ſunt 1. ἁμαρτία, aliquibus quaſi ἀμαρτία *non aſſecutio*, aliis ab α στερητικοῦ, & verbo μάρπτω velut quid ineptum, & incongruum, tum in ſe, tum peccanti, aliis à מרה Hebræorum quod eſt *rebellare*. *Suidæ* eſt, ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἀποτυχία. *Etymologis* aliis eſt, ἡ τοῦ καλοῦ ἐκβάσα ἐπὶ τὸ κατὰ φύσιν, εἴτε τὸ κατὰ νόμον, ut ἁμαρτάνειν, eſt τοῦ σκοποῦ ἀποτυγχάνειν vel ἀποτυχεῖν, à ſcopo aberrare & reſpondet propriè τῷ חטא. 2. Ἀδικία, & ἀδίκημα deſignant juris omnis, diuini præſertim & naturalis violationem. 3. Παράπτωμα eſt *procidentia* quædam & caſus ἀπὸ τοῦ παραπίπτειν *Varino*, ἡ κατ' ἄγνοιαν τῆς τοῦ νοῦ συνέσεως διαμαρτημένη πρᾶξις. 4. Παρακοὴ eſt vel audiendorum præteritio ſiue neglectus, prout παρακούειν eſt velut παρέργως ἀκούειν, καὶ μὴ μετὰ σπουδῆς, interdum etiam παρακοῦειν. 5. Παράβασις denotat tranſgreſſionem linearum vel cancellorum nobis præſcriptorum, inter quos contineri debebamus. 6. Πονηρία eſt improbitas velut data opera, labore etiam aliquo adhibito, admiſſa. 7. Κακία *Varino* eſt ἕξις χρίσει λογικῆς ψυχῆς καθ' ἣν δυσκίνητος γίνεται πρὸς ἀρετήν, vel ἡ λύσις τῆς κατὰ φύσιν καλῶν.

VI. Ἄγραφα hujus argumenti nomina varia etiam ſunt. Latina vox *Peccatum* veluti *pecuatum*, ut peccare quaſi *pecuare* Etymologicis quibuſdam dici videtur, ſenſu meliore quàm etymologia. Et revera peccare, eſt à ratione recedere & pecudum more agi æſtu quodam & impetu mero & τὸ ὁρμητικὸν duntaxat vel τὸ ἐπιθυμητικὸν ſequi, haudquaquam verò τὸ ἡγεμονικὸν. Hinc Scriptura, peccatores confert canibus, porcis, leonibus, urſis, lupis, viperis: inde & ipſa imperia animalium typis expreſſa voluit ob imperantium vitia. *Iſidoro* εἰδικῶς, peccator eſt quaſi *pellicator* lib. X. Etym. quod & ipſum coactum & ſpeciale nimis. Secundùm alios originem trahit ab hebræo בגד *perfidia*. 2. *Flagitium* dicitur ſecundùm aliquos velut res *flagitatione*, hoc eſt, increpatione digna, vel ſecundùm alios aliquid vehementer & quaſi cum animi inflammatione petitum, prout τὸ *flagitare*, Grammatici quidam quaſi flammas agitare dictum volût. *Gloſſ.* Ἀίτημα, βία. 3. *Facinus* vocabulum μέσον eſt, nec ex ſe notat, niſi id cui faciendo maximè intentus eſt animus. 4. *Delictum*, aliis velut *derelictum*, aliis velut *deliquium* boni, cum ejus natura *priuatiua* ſit, non *poſitiva* & μὴ ὂν

potius

potiùs quàm *τr.* 5. *Scelus* quibuſdam ἀπὸ τῶ σκέλους, *facinus* dignum crurifragio & peccatum mediaſtinorum propriè ac maſtigiarum, *conſequente* ſumpto pro *antecedente.* 6. *Prævaricatio,* eſt velut conſtitutio diſtorta, vel tranſgreſſio lineæ debitæ, παρέβασις, ἀποστασία, (*Gloſſ.* Varicat ὑπερβαίνει) vel diverſa partis præ ea quæ ſequenda eſt adoptatio. Revera eſt propenſio nimia in partem aliquam. Ut enim varicari dicitur qui crura in diverſas partes, ſic prævaricari qui ea in unam nimium extendit. *Vlpiano* prævaricator eſt quaſi varicator qui diverſam partem adjuvat prodita cauſa ſua. *Gloſſ. Baſil.* παραβαςικεύτωρ eſt προδότης, συκοφάντης, ὁ προδιδοὺς τὴν ἰδίαν δίκην, καὶ τῷ ἀντιδίκῳ αὐτῦ βοηθῶν. Ciceroni in Partit. qui in contrariis quaſi variè poſitus eſſe videtur. 7. *Culpa* per *metathesin* quibuſdam quaſi κλοπὴ *furtum, deceptio.* Quas omnes variorum Etymologias referimus, non præſtamus. Multæ enim contortæ, & violentæ. His nominibus accenſeri poſſunt nomenclationes aliæ, *mali moralis, vitij*, & quæ ſunt alia id genus nomina.

VII. Ad Πραγματολογίαν quod attinet, eam exequemur. 1. *Deſcriptione.* 2. Ejus ἐξηγασίᾳ, & inveſtigatione, tum *cauſarum*, tum *effectorum*, tum *adjunctorum* definiti.

VIII. Peccato itaque ſumpto non ὁμωνύμως, 1. Pro *reatu* quem peccatum poſt ſe trahit, ut Geneſ. XLIII.8. & Exod. V.16. 2. Pro *victima* aut ſacrificio pro peccato, per *metonymiam ſubjecti*, Exod. XXIX. 14.16. Oſ. IV.8. & 2.Cor. V.21. 3. Pro *pœna* per *metonymiam efficientis*, ut Gen. XIX. 15. Sed συνωνύμως pro *malo morali*, duplex ejus dari poteſt deſcriptio; prout ſumitur vel *materialiter* & *formaliter* ſimul, vel *formaliter* tantùm, vel *concretivè*, vel *abſtractivè*, quarum prior impropria eſt, poſterior propria.

IX. *Priori modo* peccatum definitur connotatione *ſubjecti*, cogitatum, dictum vel factum aut omiſſum contra legem & officium, aut inclinatio vel actio pugnans cum Lege Dei. Quæ deſcriptio & plura complicat, & peccatum nec ſolùm, nec *adæquatè* definit. Huc redit deſcriptio peccati includens *materiale* & *formale* ſimul, quum deſcribitur per vitioſum vel habitum, vel actum obligantem ad pœnam, complectitur enim ſuo ambitu & id quod in ratione peccati *ſubjectivè* in prædicamento Qualitatis vel Actionis conſideratur, & quod conſideratur in prædicamento Relationis.

X. *Poſteriori* cum Johanne deſcribimus peccatum per ἀνομίας, 1.Iohan. III. 4. & revera appoſitè hoc termino directè & *adæquatè* peccati natura nobis repræſentatur.

XI. Quum verò ἀνομία relationem dicat ad νόμον, & νόμος variè ſumi ſoleat. 1. Pro Lege quam natura figit. 2. Pro Lege quam figit ars. 3. Pro Lege quam figit forum politicum. 4. Pro Lege quam figit Deus; hîc peccatum non ſumimus pro ἀνομίᾳ *phyſica*, v. g. pro ἐκτρώματι abortu vel monſtro, & aliis id genus, nec pro vitio *artificiali*, pro deflexu à regulis artis, nec pro *politica* tranſgreſſione legis alicujus ſiue *municipalis* in ſpecie, ſiue *poſitiva* in genere: ſed pro ἀνομίᾳ *theologica*, h. e. pro tranſgreſſione -

gis à Deo creaturæ intelligenti fixæ, adeoque pro violatione voluntatis diuinæ ſumptæ pro voluntate præcipiente, quippe cuius ſpeculum & expreſsio eſt Lex, à qua ſola ortum habet & ad quam ſolam reduci debet.

XII. Quum etiam Lex à Deo fixa duplex ſit, ἔμφυτος una naturæ creaturarum intellectu præditarum à Creatore impreſſa, altera ἔγγραφος ſcriptis conſignata, quarum utraque θεόδοτος eſt, meritò peccatum dicitur ἀνομία utriuſque ratione. Nec enim minus peccat qui unam tranſgreditur, quàm qui tranſgreditur alteram, quamvis plus peccet qui utramque tranſgreditur conjunctim. Et ſanè quò magis ſervus nouit voluntatem domini ſui, eò pluribus eſt obnoxius plagis.

XIII. Iſta itaque peccati deſcriptio à Johanne propoſita, & *appoſita* eſt, & *adequata*. *Appoſita* quidem, quia *accidens* accuratius deſcribitur per ſuam formam quàm per *ſubjectum* ſuum, quod faciunt illi, qui peccatum dicunt eſſe habitum vel inclinationem, vel actum pugnantem cum Lege. *Adæquata* etiam eſt, quia nullum poteſt dari peccatum, quod non ſit ἀνομία aliqua, prout etiam nulla poteſt dari ἀνομία quæ non ſit peccatum. Hinc etiam ἀνομίαν non ſtatuimus peccati *genus*, quippe quod convertitur cum peccato latè ſumpto & ejuſdem cum eo eſt latitudinis. Talis verò non eſt ratio generis & ſpeciei; adeoque iſta Johannis ἐξήγησις deſcriptio peccati potius eſt quàm definitio. Quanvis peccato *ſtrictè* ſumpto pro tranſgreſſione legis divinæ, ἀνομία latior ſit, & generis rationem obtinere aliquo modo poſſit. Nec verò audiendi qui negant omne quod repugnat Legi eſſe peccatum, ſic enim & Diabolum peccatum fore, & malos homines, quippe qui haudquaquam diſtinguunt inter τὸ ἄνομον vel τὴν ἀνομίαν, & inter τὸν ἄνομον, inter id quod *formaliter* repugnat Legi, ſiue *in abſtracto*, & καθ' αὑτὸ, & inter id quod ei repugnat κατ' ἄλλο vel *concretivè* tantùm & *conſequenter*. Nec melioris commatis illorum opinio eſt, qui peccatum contra Evangelium ἀνομίαν dici non poſſe contendunt, quaſi non omnis ἀπιστία in ordine ad Dei revelationem vel mandatum, Lege prohibeatur, & quaſi ἀπιστία non repugnet voluntatis diuinæ expreſsioni, adeoque Legi cuidam homini fixæ.

XIV. Ad *cauſarum* peccati diſquiſitionem quod attinet, negant aliqui peccatum habere *cauſam efficientem*, affirmant alii, ſed utrumque ſano ſenſu dici poteſt, modò diſtinguatur cauſa efficiens *ſtrictè* & *late* dicta: *ſtrictè* dicta peccati efficiens non datur, quà efficiens refertur ad effectum, peccatum enim non effectus eſt, ſed defectus potius: Ille poſitivum quid eſt & natura ſua bonum, termino propriè ſumpto. Hactenus itaque peccatum *deficientem* potius cauſam habere dici debet, quàm *efficientem*. Quando tamen efficientis cauſæ nomen *latius* ſumitur, pro quacunque cauſa à qua aliquid eſt, nihil obſtat, quominus hac ratione efficientem peccato cauſam aſſignemus. Et ſanè cùm malum ſit declinatio à bono, vel deflexio à Lege, non poteſt ea ſine cauſa aliqua dari, nec res à perfectione ſibi inſita declinare poteſt ſine aliqua cauſa. Sic etiam non incommodè dici poteſt *primò* & *per ſe* peccatum cauſam efficientem non habere,

habere tamen *ſecundariò* & per *accidens*, vel *per aliud*, quatenus ut *malum* ſemper dicitur *habitare in alieno fundo*, ſecundum Scholaſticos, ſic ab efficiente effectus eſt per ſe bonus, ad quem ſequitur defectus aliquis, vel cum quo defectus aliquis conjunctus eſt. Alii diſtinguunt inter *cauſam* efficientem *phyſicam* & *logicam*, illam peccato negant, iſtam tribuunt.

XV. Poteſt verò *efficiens* iſta peccati cauſa conſiderari, 1. Ἀποφατικῶς vel κατ' ἄρσιν, per rejectionem falſarum cauſarum, quæ peccato aſſignatæ à quibuſdam fuêre. 2. Καταφατικῶς, & κατὰ θέσιν, per propoſitionem veræ peccati cauſæ.

XVI. Ἀποφατικῶς & κατ' ἄρσιν duplex hîc datur claſſis auctorum circa cauſam peccati *efficientem* peccantium, una *Gentilium*, altera *Pſeudo-Chriſtianorum*.

XVII. *Gentilium* ſententiæ duæ dantur *extrema* & una *media*. *Extrema* una fuit Philoſophorum *Epicureorum*, altera *Stoicorum*, media verò *Peripateticorum*. *Epicurei*, caſum & fortunam mali æquè ac boni cauſam cenſuêre, & contingenter impetu quodam fortuito hæc illave contingere quæ vel boni vel mali rationem habent. *Stoici* in alia omnia ivêre, & omnia bona æquè ac mala, velut trabali quodam clavo fixa, à fato ſuo, primam cauſam æquè involvente ac ſecundas, arceſſivêre, quaſi non ineluctabili duntaxat, ſed & cœca quadam neceſſitate omnia fierent, quæ fierent. Utriſque per ἀμετρίαν quandam διπλῶς in diverſa hîc euntibus *Peripatetici* interceſsêre veluti medii, & quædam mala *contingenter*, ſiue *caſualiter* ſiue *fortuitò* fieri cenſuêre, ut prima, quædam velut neceſſariò, ut orta, ex pravis nimirum habitibus, per actus malos liberè & contingenter editos contractis. Hinc ἀσωτίαν contingenter contrahi cenſuêre, contractam verò neceſſariò hominem ad malos actus inclinare. Singuli ex illis graviter impegêre, gravius *Epicurei* & *Stoici*, tolerabilius *Peripatetici*, primi providentiæ Dei, ſecundi libertati, & primæ cauſæ & ſecundarum in ſolidum interceſsêre. *Peripatetici* utramque aliqua ratione, ſed falſis ratiociniis admiſtis, agnovêre, omnes primam primi mali cauſam omnino ignoravêre.

XVIII. *Pſeudo-Chriſtiani* etiam circa efficientem peccati cauſam diverſas jam olim habuêre ſententias, *oppoſitas* duas, & unam *mediam*. Oppoſitæ ſententię ſunt, 1. *Luciferianorum* & *Marcionitarum* accuſantiū Creatorem velut errantem in pleriſque operibus, & ſic peccatorum cauſam tranſcribentiū Deo, ſiue quæ à Diabolo committerentur, ſiue quæ committerentur ab hominibus, ab eo enim eſſe & *Luciferi*, h. e. Diaboli præcipitationem è cœlo, item peccata Pharaonis, & alia id genus, quæ blaſphemia meritò in Veteri Eccleſia jam olim retuſa fuit, cui tamen dogmati impio ſuccollat ex parte monſtroſum Pontificiorum dogma, qui pugnam appetitus ſenſitivi & rationalis in primo homine ex conditione naturæ ei in creatione à Deo collatæ ducunt. 2. In alia omnia ivêre *Meſſaliani*, qui primam mali cauſam tranſcripsêre Satanæ, & ſoli quidem,

velut homines ad peccatum neceſſitanti. Hinc *Satanicorum* etiam nomen illis hæſit in Eccleſia veteri. *Mediam* ſententiam utriuſque conciliandis inſtituêre *Manichæi*, duo principia prima, adeoque duos Deos fingendo, unum bonum, auctorem boni, alterum malum, auctorem mali, idque ſumma, præter impietatem evidentem, abſurditate, quaſi vel primum principium malum eſſe poſſet, vel ſummum poſſet dari malum, quippe quod ſemper eſt & in bono *ſubjectivè*, & à bono *effectivè*, ſed productione *æquivoca* non *univoca*, quatenus bonum à recto deflectit.

XIX. Καταφατικῶς & κατὰ θέσιν peccati *cauſam efficientem*, ut *quam* ſtatuimus ſuppoſitum, intellectu, vel ratione præditum, idque creatum, adeoque quà tale dependens & Legi obnoxium, à qua qui deflectit peccat. Illud enim *abſolutè* duntaxat ἀναμάρτητον eſt, cujus Voluntas ſola eſt Lex ſui actus, & cujus Voluntas immotæ bonitàtis eſt, & convertitur cum bonitate & juſtitia; Iſtud κατά τι, cujus voluntas in bono confirmata eſt, qualis eſt voluntas ſtantium Angelorum. Principia *quibus* vel *per quæ* peccat, ſunt 1. *Intellectus*, vel in *apprehendendo*, vel in *judicando* errans, ſive ex cæcitate ut in peccatis ortis, 1.Cor.11.14. 1.Tim.1.13. ſive ex incogitantia, ut in primo mentis actu, Adamo non cogitante quod cogitare poterat vi principiorum bonorum ſibi inſitorum. 2. Voluntas ſequens ductum intellectus, Gen.6.3. & 8.21. & liberrimè ac ſine coactione ulla, ſponte ſe in objectum vetitū proripiens. Vt verò intellectus duplex eſt munus, unum *abſolutum* in judicio inſtituendo de objectis propoſitis, *relatum* alterum in directione & regimine facultatū inferiorum, qua notione τοῦ ἡγεμονικοῦ nomenclatio ei tribui ſolet; Sic dupliciter peccati cauſa intellectus eſſe poteſt, vel quà aliter judicat quàm oportet, vel quà inferiores potentias aut malè movet, aut malè motas non bene dirigit: 3. Affectus utrumque principium ſuperius trahentes in conſenſum, Rom.7.7.8. Gal.5.17. Iac.1.14.

XX. *Cauſa* προκαταρκτικὴ, ſive *ſubjectum quod* peccat, ſive principia *quibus* peccat, ad peccatum proritans, duplex eſt, 1. Una *occaſionalis*, objectum nimirum ſub ratione vel ἡδέος, vel χρησίμου, vel jucundi, vel utilis perperam apprehenſum, movens appetitum, Gen.3.6. 2. Altera *impellens* quæ eſt vel *prima* ſuaſio Diaboli, Gen.3.1. Act.5,3. Eph.2.2. &c. vel *ſecunda* hominum malorum partim ſuaſio, partim exemplum, partim coactio, 1.Reg. xi.5. 1.Reg.xv.26.

XXI. Præter verò cauſas peccati explicatas, in peccatis ortis peccatum unum interdum cauſa eſt peccati alterius, vel unius, vel plurium ſimul, idque partim ex *interna* certorum peccatorum ratione, ſive *concomitanter*, ſive *efficienter*, quando illa vel complicantur inter ſe, vel ex ſe conſequuntur, 1.Tim.vi.10. Gen.xix.33. Eph.v.18. vel ſe invicem fovent, partim ex externa peccatorum ſequela, *judicialiter* Deo peccatum peccato puniente per juſtiſſimam ἀντιμισθίαν, Rom.1.26. 2.Theſſ.2.11. Sic dici poteſt peccatum unum eſſe ab alio, per modum *efficientis*, prout v.g. habitus vitioſi ſunt ab actibus vitioſis, vel per modum *materiæ*, ſic repletio nimia eſt cauſa libidinis, vel per modum *finis*, ſic David ad tegendum adulterium

ſubla-

ſublatum voluit Vriam: ſic uno peccato & gravi quidem admiſſo excuſſa fuit ſalutaris gratia à primis parentibus, & à peccantibus in Spiritum Sanctum excutitur aliqua quam primò habuêre. Nec quicquam obſtat, unum idemque & peccatum eſſe & peccati cauſam & peccati pœnam, ſecundùm diverſas *formalitates*.

XXII. *Materia* peccati conſiderari poteſt, vel *in qua* vel *circa quam*. Materia *in qua* peccati eſt *ſubjectum* ejus, partim *quod* ſubſtantia intellectu & voluntate prædita, quæ ſola & Legi obnoxia, & à Lege devia eſſe poteſt, partim *quo* facultates, tum ἡγεμονικὴ intellectus, vel rationis, tum ἐκλεκτικὴ, vel ἐπιθυμητικὴ, tum ὀρεκτικὴ, radicata tamen in anima rationali, & cum reliquis facultatibus ſuperioribus conjuncta. Corpus in homine contradiſtinctum animæ impropriè duntaxat peccati ſubjectum dici poteſt; cum anima verò conjunctim ſumptum, ejus & *ſubjectum* propriè dicitur & *inſtrumentum* Rom. VI, 19. Sic enim totus homo peccator eſt, & totum hominis peccato infectum eſt.

XXIII. *Materia* peccati *circa quam* eſt *objectum* ejus, quod & Lex Dei, & ſola quidem, peccato *theologicè* conſiderato, quam Johannes κατ' ἀντονομασίαν deſignat, dum peccatum vocat ἀνομίαν. Ut verò Lex illa Dei varia eſt, vel *præceptiva* vel *prohibitiva*; *Præceptiva* rerum ex ſe & natura ſua conformium imagini divinæ, & quæ intrinſecam habent bonitatem, quales Lex *moralis* præcipit, vel rerum, ex ſe & natura ſua *indifferentium*, & quæ bonitatem tantùm habent ob authoritatem præcipientis, quales præcepit olim Lex *Ceremonialis*, & ex parte *Politica* Iſraelitis lata quà talibus. Ex quo & diverſa prohibitivæ Legis ratio cenſeri poteſt. Hinc peccati trina conſideratur à quibuſdam ſpecies, quarum una eſt *omiſſio* præceptorum, altera *commiſſio* prohibitorum, tertia *abuſus* indifferentium, qui tamen *reductivè* ad prohibitorum commiſſionem revocari poteſt, abuti enim indifferentibus prohibitum eſt. Diſtinguendæ etiam Leges & *generales* obligatoriæ omnium, & *ſpeciales* obligatoriæ certorum ordinum, & *ſingulares* obligatoriæ certorum individuorum. Hinc quædam peccata omnibus communia ſunt vel eſſe poſſunt, alia peculiaria ſunt certis hominum ordinibus, ob leges peculiares illis latas. Aliæ obligatoriæ ſunt certorum individuorum duntaxat, qualis lata, v.g. Prophetæ cuidam, 1. Reg. 13.

XXIV. *Forma* peccati propriè nulla eſt, cum peccatum ſit privatio formæ, ineſſe debitæ, *analogicè* tamen & *reductivè* peccati forma melior exprimi non poteſt, quàm nomine à Spiritu Sancto adhibito, quod ſit ἀνομία, ſive deflexio vel diſcrepantia à Lege. Cujus *ratio formalis* conſiſtit in privatione non *pura* vel *ſimplici*, ſed *malignante*, non *otioſa*, ſed *actuoſa* non *puræ negationis*, ſed *pravæ diſpoſitionis*, quippe quà non tollitur tantùm rectitudo debita, ſed ponitur etiam irrectitudo non debita, & inordinata partium animæ diſpoſitio in ſingulis facultatibus ſeorſim conſideratis. Nec tollitur tantùm perfectio ſingularum, ſed & conveniens earum inter ſe ſubordinatio, ut affectus pareant voluntati, voluntas rationi, ratio Legi divinæ. Vt itaque morbus *phyſicus* non eſt tantùm ſublatio æqua-

litatis & temperiei humorum, verùm etiam diſpoſitio prava humorum peccantium vel in quantitate, vel in qualitate: Sic eadem morbi iſtius *ethici* ratio eſt, quippe qui non tantùm eſt negatio boni; ſed & poſitio pravæ diſpoſitionis inſtar putredinis & lepræ, vel gangrænæ, quæ ſerpit, & effectus lethales exerit, adeoque *eſſe* quoddam *poſitivum* habet, non tantùm *logicè*, qûatenus affirmatur de ſubjecto, verùm etiam aliquo modo *ethicè*, quatenus eſt corruptus quidam habitus inficiens, & principia moralia, & actus morales ex iis promanantes. Et hoc ipſum docet Scholaſticorum Alpha *Aquinas* 1. 11. Quæſt. LXXXI. art. 1. ubi inquit; *Sicut ægritudo corporalis habet aliquid de privatione, in quantum tollitur æqualitas ſanitatis, & aliquid habet poſitivè ſcil. ipſos humores inordinatè diſpoſitos, ita peccatum originale, &c. non eſt pura privatio, ſed quidam habitus corruptus.* Nec ſanè ómne poſitivum cum bono vel Ente convertitur, ſed propriè & omni modo poſitivum tantùm, ſubſtantiale præcipuè, tale ſaltem quod intrinſecè non implicat in conceptu ſuo privationem vel defectum. Nec peccatum *privativè* tantùm opponitur Juſtitiæ, verùm etiam *contrariè*. Nec à mera privatione tot poſitivi effectus oriri poſſent, quales peccatum excipiunt & conſequuntur. Et ſanè prout duplex bonum eſt in natura, unum velut *primum*, alterum velut ortum, quorum illud eſt perfectio *habitualis*, iſtud perfectio *actualis*: ſic etiam duplex illi malum oppoſitum conſiderari debet, unum quod tollit habitum bonum, alterum quod vel tollit vel turbat actus bonos, illud ponit habitum malum, iſtud actum malum, quod per meram privationem fieri non poteſt.

XXV. Falluntur verò illi qui ad *formale* peccati pertinere volunt τὸ ἑκούσιον, vel τὸ προαιρετικὸν, & τὸ voluntarium, nec enim poſſe intelligi, quomodo aliquid ſit propriè peccatum ſi non ſit tale, ut notat *Bellarminus*, lib. 1. de Amiſſ. grat. c. 1. Sic enim 1. Peccatum originis deſinet eſſe peccatum, quippe quod ante omnem & voluntatis & libertatis uſum nobis connatum eſt; & voluntarium tantùm *ſubjectivè* dici poteſt, quia eſt in voluntate, non verò *originaliter* quod ſit à voluntate, perſonali nimirum hujus vel illius individui. 2. Peccata ignorantiæ, vel imprudentiæ, (quæ vocantur à LXX. Num. 15. 27. ἁμαρτίαι ἀκούσιαι) quale fuit Pauli, 1. Tim. 1. 13. 3. Confunderentur peccata infirmitatis & malitiæ, quorum iſta cum pleno voluntatis aſſenſu fiunt. 4. Peccatum Pauli quod noluit, quod odio habuit, Rom. 7. 16. non eſſet peccatum. Adde, τὸ ἑκούσιον ne proprium quidem peccati eſſe, quum nec *omni* peccato inſit, nec *ſemper*, nec *ſoli*, quum ſit affectio communis variarum actionum proæreticarum.

XXVI. *Finis* peccati *propriè* dari nequit, quippe quod eo ipſo quia peccatum eſt, à fine debito recedit. *Impropriè* dari poteſt, tum ratione peccantis, tum ratione peccatum & permittentis & dirigentis. Ratione *peccantis*, finis peccati dici poteſt bonum aliquod φαινόμενον, falſa ſive honeſti, ſive jucundi, ſive utilis ſpecie homini imponens, Iohan. 16. 2. 1. Tim. 1. 13. ratione peccatum tum *permittentis* tum *dirigentis* finis ejus dici poteſt iſtius gloria, partim ex Iuſtitiæ, partim ex miſericordiæ admiranda œconomia

circa

circa peccatum elucens,Iuſtitiæ quidem,in iis quos in peccato relinquit, Juſtitiæ & Miſericordiæ ſimul in iis quos ex eo educit,ſapientiæ etiam, & libertatis in utriſque.

XXVII. *Effecta* peccati dantur partim mala *moralia* alia, ut oſtenſum Theſi xxi.partim mala *phyſica*, miſeria & præſens,& æterna, & quicquid mortis nomenclatione comprehendi poteſt, Gen.15.17.Rom.6.23. Quibus accenſent aliqui judicia Dei, Ioh.12.39.40. Rom.1.24.26.28. 2.Theſſ. 11.11.12.quæ tamen *καταχρηστικῶς effecta* dici ſolent, propriè *conſequentia* tantùm peccata dici debent, illa enim & optima ſunt & juſtiſſima, effectus verò toto genere melior ſua cauſa eſſe nequit.

XXVIII. *Adjunctum* peccati ſtatuimus *reatum* ſive obnoxietatem peccantis ad pœnam,qui individuus peccati ex ſe comes ejuſq; tum *inhærentis*, tum *imputati* eſt.Rom.1.32.Malè verò peccati *formale* conſtitui à quibúſdam ſolet,& malè diſtinguitur in *reatum culpæ* & *pœnæ*, cum reatus nihil aliud ſit,quàm obligatio peccantis ad pœnam ob culpam. Utut verò reatus inſeparabilis ſit à peccato per *naturam*, ſeparabilis tamen eſt *per gratiam*, & quamvis reatum tollere nequeat Lex, illum tollere poteſt Euangelium. Licet etiam non ſeparetur à *peccato*, ſeparatur tamen à *pecante*, & diſtingui hic poteſt inter *demeritum* & *exercitium demeriti*; inter *τὸ κατάκριτον* condemnabilitatem & *τὸ κατάκριμα condemnationem*, illa ſemper in peccatoribus *in ſe* ſpectatis reperitur, iſta non item,in iis ſpectatis *in Chriſto* Jeſu, Rom.8.1. Nullum verò ex ſe & natura ſua *veniale* dari poteſt, reatum poſt ſe non trahens,ut ſuo loco oſtendetur.

XXIX. Inter *adjuncta* etiam peccati referri poſſunt varia attributa alia quæ ad mala alia *ethica* referri ſolent, ut & variæ peccatorum diſtinctiones,in peccata creaturarum intellectualium & rationalium,in prima & orta; in voluntaria & involuntaria: ignorantiæ,infirmitatis,malitiæ, leviora & graviora, regnantia, & non regnantia, remiſſibilia & non remiſſibilia,& quæ ſunt alia id genus.

XXX. Faceſſere hic & res ſuas ſibi habere jubemus, 1. *Marcionitas* Deo peccatorum cauſam tranſcribentes. 2. *Manichæos* id ipſum principio cuidam malo, & ſummo quidem, acceptum ferentes. 3. *Libertinos* cum veteribus Gnoſticis peccatum vel nullum,vel indifferens cenſentes. 4. *Pontificios* peccatum aliquod ex ſe,& natura ſua *veniale* fingentes,quamvis in Legem divinam admiſſum; alia contrà *mortalia*, quamvis in leges vel ſuperſtitioſas vel impias humanas, adeoque nec *ligantes* nec *obligantes*, admiſſa. 5. *Pelagianos* veteres, & *Socinianos* recentes, mortem non peccati ſtipendium,ſed naturæ duntaxat ſequelam vocantes. 6. *Calumniatores* varios, peccati cauſalitatem ab Eccleſiis orthodoxis Deo tranſcribi, contra apertiſſimas Doctorum noſtrorum proteſtationes, & demonſtrationes pervicaciter contendentes, quibus innumeri alii variè circa hoc de peccato argumentum errantes & peccantes accenſeri debent.

DISPVTATIO
DE
LAPSV ADAMI.

THESIS I.

PECCATVM vel *primum* eſt, ſiue *originans*, vel *ortum*, ſiue *originatum*. Illo perſona corrupit naturam, iſto natura corrumpit perſonam; Vtroque & ſe à Deo, & Deum à ſe avertit. Primum ſpectatur vel in *Angelis*, & eſt aliquorum ex illis, unius velut præeuntis, aliorum idem exemplum imitantium, apoſtaſia à Deo Creatore ſuo, per quam non ſtetêre in veritate, Ioh.8.44. nec ſervavêre originem ſuam, Jud.6. Matth. 25.41. 2.Cor.12.7. Vel in *Hominibus*, & vocatur interdum lapſus primorum parentum, interdum lapſus Adami, *ſono* diverſo, *ſenſu* eodem.

II. De iſto peccato, quod nos tangit propius, acturi, explicata dabimus. 1. *Quidditatem* ejus. 2. *Cauſas* 3. *Effecta*. 4. *Adjuncta*. Primum naturam peccati iſtius expediet in genere. Secundum originem & rationem in ſpecie. Tertium & quartum & conſequentia & connexa iſtius peccati declarabunt.

III. *Quidditas* peccati iſtius hac deſcriptione explicari poteſt, quod ſit voluntaria apoſtaſia prima hominis primi à Deo creatore ſuo, quâ tranſgreſſus eſt & *generalem* ac *internam* menti ſuæ impreſſam legem, & *ſpecialem* ac *externam* de non comedendo fructu arboris ſive vetitæ. Adeoque plures actus internos externoſque ambitu ſuo complectitur, & vocatur *antonomaſticè* & κατ' ἐξοχὴν παράπτωμα, παράβασις, παρακοή, Rom.5.12.18.&c.

IV. *Cauſæ* peccati iſtius ſpectari poſſunt, partim *externæ*, partim *internæ* comparatè ſic dictæ. Illæ *Efficiens* & *Finalis*: Iſtæ *Materia* & *forma* ejus.

V. Quoad *cauſam efficientem* peccati primi conſideranda, 1. Cauſa *remota* quæ cauſa *irritans* dici poteſt. 2. Cauſa *proxima*, quæ propriè cauſa actum ipſum inordinatum producens dici debet.

VI. Cauſa *remota* fuit vel *principalis*, vel *inſtrumentalis*. *Principalis* Apoſtata Angelus, ex Angelo per apoſtaſiam ſuam converſus in Diabolum & Satanam, h.e. hoſtem κατ' ἀντονομασίαν & Dei & hominum, qui *tentatione* primis parentibus, ex invidia erga hominem arcta ſua cum Deo conjunctione felicem, & odio erga utrumque, *admota* cum falſa boni ſpecie ad defectionem à Deo ſollicitavit, ut complicem haberet & culpæ & pœnæ ſuæ.

VII.

VII. Diabolum iſtius tentationis homini admotæ cauſam *principalem* fuiſſe, patet & ex diſertis Scripturæ Sacræ *teſtimoniis*, Iohan. 8. verſ. 44. 2. Corinth. 11. verſ. 3. Apocal. 12. verſ. 9. & ex *rationibus*, Geneſ. 3. in Hiſtoria tentationis in ea expreſſis. Nec enim vel ſerpenti bruto loquela *in genere* competere poteſt, ſed Spiritui duntaxat, inſtar *formæ aſſiſtentis* ſerpentem moventi, vel loquela *in ſpecie* ſeductiva, corruptiva verbi divini, & pellectiva ad deflexum à mandato & obſequio Creatoris ſui. Qui effectus *moraliter* malus, cauſam moraliter malam arguit, qualis præter Diabolum tunc temporis dari non potuit. Adde partem increpationis ac comminationis divinæ ſuppliciique illa inflicti ſerpentem tangere non poſſe, ſed tantùm ſerpente utentem Diabolum, inter quem & ſemen mulieris ſancita fuit capitalis illa inimicitia omnium ſeculorum experientia comprobata, Geneſ. 3. verſ. 15.

VIII. *Cauſa inſtrumentalis* ſerpens fuit, animal in ſpeciem blandum, & ob corporis ſimplicitatem ac tenuitatem innoxium, nec unguibus armatum nec cornu, nec dente prominente, callidum tamen, Geneſ. 3. 1. adeoque opportunum viſum fraudi faciendæ. Illud tamen inſtrumentum *paſſivum* potius, quàm *activum* fuit, quippe quod ut brutum & quà brutum animal peccati ſubjectum *δεκτικὸν* eſſe non potuit. Nihilominus quia inſtrumentum fuit Diaboli ſeducentis, iræ & judicii ſui notas Deus in eo exſtare voluit, Geneſ. 3. verſ. 14. Prout Magiſtratus animadvertit non tantùm in perduellium corpora, verùm etiam in domos, lucos, in ſicariorum ſicas & enſes, & alia id genus. Nec enim vel moleſta iſta volutatio ſuper ventre, vel pulveris comeſtio ſerpenti tentationis *auctori*, ſed tantùm ſerpenti ejus *inſtrumento* adſcribi cum ratione poteſt. Ut itaque utriuſque in tentatione homini admota & in peccati ſolicitatione partes fuêre, ſic utriuſque etiam in pœnæ inflictione eſſe debuêre.

IX. *Cauſa efficiens* peccati primi, *proxima*, ut *quæ*, fuit homo primus. Quanvis enim uterque primorum parentum noſtrorum peccârit, Scriptura tamen ſacra *ἑνὸς ἀνθρώπου unius hominis δεικτικῶς* meminit, per quem peccatum intrarit in mundum, Rom. 5. ℣. 12. Sive 1. Quia utrumque conſiderat *εἰδικῶς*, ut unum hominem ratione communionis ejuſdem *naturæ ſpecificæ*, ut Geneſ. 1. verſ. 26. ubi verbis *faciamus hominem* veluti *decreto*, reſpondet creatio maſculi & fœminæ velut *executio* iſtius decreti verſ. 27. Sive 2. Quia utrumque conſiderat, ut unum vel ratione *communionis œconomicæ*, quia per conjugium conjuges dicuntur fieri *una caro*, Matth. 19. verſ. 6. vel ratione *communionis moralis* ejuſdem fœderis divini, quippe quod apud utrumque depoſitum fuit. Sive 3. Quia non tam reſpicit peccati primi vel admiſſionem vel ordinem, quàm fundamentum propagationis ejuſdem. Ut verò in familiis viri capita cenſentur, & eorum in genealogiis inter Orientales duntaxat habebatur ratio (unde & nomen זכר à *recordatione* illis hæſit) & *principium* generationis *activum* vir eſt, adeoque propagativum eorum, quæ cum natura propagantur pro-

ut ex fæmore unius Jacobi animas educit Scriptura, Geneſ.46. verſ.26. Sic & unius Adami tranſgreſſionem inculcare voluit Spiritus Sanctus, & ex illa tranſgreſſione omnium tranſgreſſionem arceſsère. Nec huic rei interceſſum voluit Scriptura, dum negat Apoſtolus 1.Timoth.2.14. Adamum fuiſſe ſeductum. Præter enim tentationis *admota* & *admiſſa* ordinem, quem Apoſtoli verba præcedentia innuunt, & primum Diaboli mulierem tantùm aggredientis impetum, 1.Timoth.1.verſu.13. mulier ſingulari quadam ratione meritò *ſeducta* dicitur, illa enim revera *ἠπατήθη ſeducta fuit*, non Adamus, non ratione ſeductionis *paſſiva* tantùm, verùm etiam ratione *ſeductionis activa*, ſeducta enim fuit à ſeducente non *materialiter* duntaxat ſed etiam *formaliter*: Adamus verò ſeductus duntaxat dici poteſt ratione ſeductionis *paſſiva*, *materialiter* non *formaliter*. Nec enim ut Diabolus Evam, ſic Eva Adamum ſeducendi animum habuit, utut eandem ſeductionis materiam Adamo Eva objecerit quæ à Diabolo ipſimet objecta fuerat. Pellexit itaque Adamum propriè, non ſeduxit, à qua quippe animus ſeducendi, & quod per ſe ſeductionem facit, abfuit.

X. Utut verò *unus homo* peccatum illud primum peccaſſe dicatur, haudquaquam tamen unius individui aut duorum duntaxat illud peccatum fuit, ſed totius generis humani naturali propagationis ſerie, vi primævæ benedictionis, ex eo propagati, & hoc ſenſu revera primus homo ſumitur *ὁ Ἀδὰμ*: *ſupponebat* enim, ut loquuntur barbarè Scholæ, *pro toto genere humano*, & *in ejus natura adhuc omnes unus ille fuerunt*, ut loquitur Auguſtinus Lib.3.de peccat. mer. cap.7. Quippe qui conſiderari debet tum ut *principium naturale*, ſeminale videlicet generis humani, tum ut *principium morale*, repræſentativum quippe generis humani & in natura & in gratia, cujus utriuſque factus fuit depoſitarius ex ordinatione Dei, qui ut *ordinem natura* primò conſtituit, non plures homines à ſe invicem independentes condendo, ut plures Angelos, ſed ex uno ſanguine totum genus humanum educendo, Actor.17.26. ſic & conſtituit *ordinem gratia* vel ſervandæ vel amittendæ, ut unus homo & ſibi & toti poſteritati eam, in officio perſtando, ſervaret, & ab eo deficiendo interverteret. Quod decretum Dei, ut liberrimum fuit Dei *αὐτοκράτορος* & *αὐτεξουσίου* ſuorum diſpenſatoris, ſic nequicquam argutationibus humanis quibus opportunum eſſe ob pervicaciam humanam ſolet, petitur. Quod tantò minus fieri debet, quum & inter homines, id quod caput vel *naturale*, vel *myſticum*, ſive *ſpirituale*, vel *politicum*, vel *œconomicum* facere cenſetur, facere cenſetur corpus ei ſubjectum. Quid miri itaque *capitis* iſtius & *naturalis* & *moralis* peccatum commune cenſeri toti ipſius corpori? Hinc appoſitè inquit Apoſtolus Roman.5.12. *ἐφ' ᾧ in quo* omnes peccarunt, vel *eo quod* unus ille peccavit, omnes peccarunt, non *efficienter* tantùm vel *meritoriè*, ſed & *formaliter*, & eodem res redit, quæcunque phraſeos Apoſtolicæ eligatur interpretatio. Solis *Pelagianis* jam olim, hodieque *Socinianis* aliter viſum, quorum vitula nulli Orthodoxorum hìc arandum:

Eodem

Eodem ſenſu Apoſtolus repetit ℣.15. per unius inobedientiam peccatores conſtitutos eſſe multos, itidem non *efficienter* duntaxat vel *meritoriè*, ſed & *formaliter*, luxaretur enim planè comparatio quam inſtituit Apoſtolus inter primum & ſecundum Adamum. Vt itaque ſecundi Adami obedientia nobis imputata *meritorie* & *formaliter*, abſolvimur, ſic primi Adami inobedientia *meritoriè* etiam & *formaliter* rei ſimus. Κατ' ἄλλο tamen καὶ ἄλλο diuerſo reſpectu, iſtud Adami peccatum conſiderari poteſt, vel ut peccatum *perſonale*, vel ut peccatum *univerſale*, prout *duplicem* ipſe ſuſtinuit *perſonam privatam* & *publicam*.

XI. *Cauſa efficiens proxima* peccati primi, ut *quà* fuit utrumque hominis, quà talis *principium*, quo homo in agendo moveri ſolet, *directivum* unum, nimirum intellectus, *imperativum* alterum, nimirum voluntas, non excluſis affectibus, & appetitu ſenſitivo, ſed incluſis. Et ſanè ſiue *objectum* à Diabolo propoſitum ſpectemus, ſiue *modum* propoſitionis iſtius objecti, omnibus illis principiis tentationem admotam comperiemus. Nam & intellectui falſum veri ſpecie fucatum propoſuit pro vero, & voluntati malum boni ſpecie veſtitum pro bono, & affectus ac appetitum ſenſitivum objecto materiali & ejus ſuavitate pellexi. Hinc homo & malè apprehendendo ac judicando de Dei Diabolique verbis peccauit *inchoativè*, & malè eligendo ac appetendo objectum propoſitum, loco motivamque adhibendo peccavit *conſummativè*.

XII. Si ratio quæratur, qui homo ad Dei imaginem conditus, adeoque & lumen ſapientiæ in mente accenſum habens, & rectitudinem voluntati ſuæ impreſſam, & affectus utrique iſti principio ſubordinatos, ita & in judicando peccare potuerit, & in eligendo ac appetendo: Ejus rei radix & ratio alibi quærenda non eſt, præterquam in hominis primi & *mutabilitate* & *libertate*, quippe qui principia bona quidem habuit, ſed mutabiliter talia, quibus abuti potuit, & partim per *incogitantiam internam*, ſiue inconſiderationem interdicti divini conſiderandi, & conſiderationem ſuaſionis Diabolicæ non conſiderandæ, partim per *fraudem externam* ſibi objectam malè judicare, adeoque & malè eligere, & malè appetere. Inconſideratio verò ejuſmodi objecti conſiderandi cadere potuit in hominem integrum, quippe cujus intellectus, concreatus nimirum & finitus, non erat actus purus, adeoque potuit à conſiderando objecto debito ceſſare, & *habituale* quod habet *lumen* ad *actualem* conſiderationem illius non applicare.

XIII. Nec verò 1. *Mutabilitati* vel *libertati* hominis quà talibus impingenda aliquo modo peccati cauſalitas, quippe quarum neutra ex ſe mala dici poteſt. Non tantùm quia in homine integro ea fuiſſe *à poſteriori* patet, quippe qui alioquin haudquaquam potuiſſet ſiue à verò ſiue à bono deflectere, verùm etiam quia mutabilitas fuit quidem *negatio* alicujus boni, ſed non privatio, nec negatio boni debiti creaturæ, ſed indebiti, adeoque non ſuſtulit perfectionem aliquam, vel bonum ei ſecundùm naturam ſuam conveniens. Et ſanè libertas primi hominis non imperfectio

fuit, ſed perfectio, quæ ut principium in eo mali fuit *per accidens*, ſic & potuit *per ſe*, & debuit eſſe principium boni. Nec quis cum ratione v.g. facultatem ſaltandi malam dicet, eo quod ſaltans abuſu iſtius facultatis crurifragium ſibi conciliare poteſt, vel facultas ambulandi, quod hic homo in loco prærupto in præcipitium incidere poſſit, vel facultas edendi, quod aconitum & cicutam edere poſſit.

XIV. Nec 2. Vel *Tentatori* vel *Tentationi admota* peccati primi cauſalitas omnimodo adſcribi debet, *ſuadendi* enim vim Tentator habuit & pelliciendi, *perſuadendi* non habuit, niſi quæ tentatio homini *admota* fuit, ultrò ab eo *admiſſa* fuiſſet. Minus vim habuit cogendi hominem, & voluntatem ejus ad actum vetitum determinandi. Quam cum ne in homine quidem peccatore habeat in *ſtatu deſtituto*, minus eam habere potuit in *ſtatu inſtituto*, ubi & naturalis erat ad bonum propenſio, & à malo averſio.

XV. Nec 3. Adſcribenda ullo modo peccati primi cauſalitas *Deo*, nec quà condenti hominem, & hanc, quam habuit, gratiæ menſuram ei in creatione ante tentationem impertienti, nec quà *permittenti* tentationem, nec quà *neganti* homini in tentatione ulteriorem gratiæ menſuram. Non *primum*, quia gratia in creatione data ſufficiens erat ad τὸ poſſe ſtare & ad τὸ poſſe velle ſtare. Nulla verò ad actionem principia exiguntur alia, præterquam τὸ poſſe agere, & poſſe velle agere. Nec *ſecundum*, quia nec tentatori inſpirauit voluntatem tentandi, nec eum ad tentationem vel impulit, vel adegit, ſed tantùm eam permiſit, idque *permiſſione phyſica* ſolùm per non impeditionem, non *ethica* per approbationem vel conſenſum, idque ex ſapientiſſimo & liberrimo voluntatis ſuæ beneplacito, ſine obnoxietate vel obligatione ulla ad impeditionem. Nec magis non impeditio mali actus, mali actus cauſa cenſeri poteſt, quam non impeditio boni actus ejuſdem cauſa cenſeri debet. Immò ſi impeditio ne quid fiat per alium non eſt *cauſa proprie*, cur non fiat aliquid, minus permiſſio ut aliquid fiat per alium cauſa talis cenſeri poterit cur id fiat, cum longè potentior ſit actio impedientis ne quid fiat, quam eſt permittentis ut quid fiat. Et ſanè nemo mali vel morbi cauſam tranſcripſerit non impedienti, ſi is ad id non teneatur, vel non curanti, ſed ultrò morbum ſibi crapula ſua attrahenti vel ad malum ſe proripienti. Non *tertium*, quia Deus nec gratiam ullam in creatione datam ſubtraxit tentato, nec tentati voluntatem ad tentationis admiſſionem vel aſſenſum vel impulit vel coëgit, ſed novam duntaxat *confirmationis gratiam* non dedit, tum quia eam dare non voluit, ut liberrimus donorum ſuorum diſpenſator, tum quia eam dare non debuit, partim quia hominem ad liberum facultatum in creatione datarum exercitium ſibi permitti conveniens erat, ut ſciret ſe ſine Deo nihil facere poſſe. Iohan. 15. 5. tum quia obſequium creaturæ à creatore explorari jure poterat, tum quia nulla lege ad gratiæ ulterioris collationem obligabatur, tum quia illa ipſa circa tentationem œconomia ſapientiſſimos ſimul, & optimos fines educere conſtitutum habebat,

habebat. Omiſſio itaque illa inculpabilis fuit, nec quicquam Deus neceſſariò vult niſi quod *ſummè amabile*, quale præter Deum ipſum vel gloriam ipſius, dari non poteſt. Unde nullius creaturæ bonum Deus ita vult quin poſſit id non velle in *ſenſu diviſo*, non dato circa hoc ullo Dei decreto.

XVI. Nec ἀκριβῶς ſed παχυλῶς dicitur, Deum *deſeruiſſe* primum hominem; quamvis diſtingui poſſit inter *deſertionem privativam* & *negativam*, quarum illa aufertur gratia jam data, iſta ſuſpenditur non data: deſertio enim ſemper σχέσιν dicere videtur ad deſerti culpam aliquam antecedentem. Præſtat itaque dicere, Deum vel negaſſe, vel ſuſpendiſſe gratiam actualem efficaciter voluntatem Adami determinantem ad ſtandum, ſive ad executiendam tentationem. Negatio verò gratiæ non eſt effectio, ſed non effectio potius, & conſiderari duntaxat poteſt per modum *non dantis prohibens*, ut loquuntur Scholæ. Sic nec accuratè, nec θεοπρεπῶς dicitur, Deum *defeciſſe* in agendo, vel Deum ſe habuiſſe in genere *cauſæ deficientis*. Ille enim duntaxat deficere propriè dicitur, qui ab officio vel debito diſcedit, vel cujus operatio imbecillitati alicui obnoxia eſt. Dicendum potius, Deum præteriiſſe hominem idque liberrimè ſive in *collatione* gratiæ confirmationis, ſive in *actuali* tum *illuminatione* intellectus Adami ad officii ſui conſiderationem, tum *flexione* voluntatis ad ejus præſtationem. Et eo ipſo quia eſt ſuſpenſio vel negatio *gratiæ*, inculpabilis eſt, talis verò non eſſet, ſi eſſet ſuſpenſio vel *negatio debiti* aut *meriti*.

XVII. Nec res ſufficienter expediri poſſe videtur, ſi dicatur, Deum Adamo auxilium vel gratiam confirmationis daturum fuiſſe, ſi ad eam voluiſſet confugere, & eam precibus à Deo ſuo efflagitare. Præterquam enim quod Deus conſtituit ab æterno eam non dare, & novit hominem ad ſe non confugiturum, nec ſuſpendit gratiæ ſuæ collationem à conditione ponenda ab homine: Sic daretur peccatum aliquod prius primo peccato. Iſte enim neglectus refugii ad Deum pro iſta gratia vel peccatum eſt, vel non. Si non ſit peccatum, non fuiſſet ob id ſuſpenſum auxilium Dei, vel gratia confirmationis. Si ſit peccatum, dabitur jam peccatum prius primo peccato. Nec melioris commatis eſt exceptio altera, Deum conceſſurum fuiſſe concurſum ſuum homini primo ad ſtandum, ſi homo voluiſſet ſtare. Præterquam enim quod homo jam ſtetiſſet, ſi voluiſſet ſtare, ſequitur Deum ei conceſſurum fuiſſe concurſum ſuum ad ſtandum, modò ſtetiſſet, adeoque ad obediendum modò obedivisſet quod dilutum eſt. Et in talibus diſtinguenda diverſa *actuum elicitorum* & *imperatorum* σχέσις, & diverſa determinationis divinæ in utriuſque ratio. Adde quæſtionem redire, de concurſu Dei ad illam ipſam volitionem.

XVIII. Præſtat itaque longè in hoc argumento aſſurgere. 1. Ad libertatem & αὐτεξουσίαν abſolutam Dei, dantis vel negantis gratiam pro beneplacito ſuo, tum quoad *rem*, tum quoad *menſuram* ac *modum* rei, quippe qui omnem gratiam vel negare poterat, vel minorem adhuc dare. Nec

melius hic retundi poſſunt vel cauilla, vel argutationes hominum profanorum, quàm increpatione Apoſtolica, quam Apoſtolus inſtituit Rom. cap. 9. verſ. 20. idque tanto magis, quod lutum hîc non cum luto, nec cum fictore, qui & ipſe lutum eſt, ſed cum Creatore qui & lutum & fictorem condidit, expoſtulare audeat. Ille demum jus expoſtulandi cum eo habet, qui prior dedit ei, Rom. cap. 11. verſ. 31. Examinet jam homo ſeipſum, an hoc ſibi arrogare poſsit, annon potius cum murmuratore mercenario oculum malum habeat, quia Deus bonus eſt. 2. Ad temperamentum admirandum diuinæ circa peccatum primum diſpenſationis, qui *neceſſariò* quidem id fieri voluit, ſed *liberrimè* tamen ſimul, ſine ulla vel naturæ vel coactionis neceſsitate, ut & Adamus liberrimè peccando vellet quod vellet, faceret quod faceret, & quod intellectus & volendum & faciendum judicaret. Ut enim *res* ipſa à Deo determinata erat, ſic & determinatus erat rei *modus*, ut & peccaret Adamus neceſſariò & liberrimè ſimul. Neceſſitatis verò & libertatis rationes compoſsibiles eſſe, alibi à nobis demonſtratum. Nec ſanè neceſſarium opponitur libero, ſed contingenti duntaxat & mutabili. Et diſtinguenda actus Adami conſideratio, quippe qui in *ſenſu diviſo* poterat non admitti, quamvis non in *ſenſu compoſito*. Quale quid in omni voluntatis determinatione obſervari poteſt. Et ut actus aliquis neceſſarius, immò & naturalis cauſæ ſecundæ agentis ſine ulla libertate vel *ſpecificationis*, vel *exercitu*, non deſinit eſſe liberrimus ratione cauſæ primæ, ſic neceſſarius ratione cauſæ primæ non deſinit eſſe liberrimus ratione cauſæ ſecundæ, & à cauſa iſta proxima ſpeciem ſumit. Sic poſito decreto de condendo univerſo, liberrima & neceſſaria ſimul fuit univerſi creatio. Satis, primos parentes potuiſſe vitare peccatum potentia & *naturali*, ob indifferentiam eius quod habebant tunc arbitrij, & *morali*, ob bonos, quibus præditi erant, habitus. Et falluntur illi, qui poſita determinatione libertatem tolli cenſent & electionem, utrique enim in ſumma determinatione locum eſſe poſſe patet ex Chriſti obedientia in terris, & Angelorum ac beatorum in cœlis.

XIX. *Materia* huius peccati primi ſpectari poteſt vel *in qua*, vel *circa quam*, hoc eſt, vel *ſubjectum* eius vel *objectum*. Illa ſatis ex ſuperioribus patet, nec quæri debet in ſenſitiuæ vel locomotiuæ duntaxat facultatis actibus, ſed potiſsimùm in facultatis ſuperioris tum *directiuæ*, tum *imperatiuæ* actibus internis. In quibuſdam peccatum illud fuit *inchoativè*, in aliis *conſummativè*, ſeorſum ſpectatis, in omnibus conjunctim *adæquatè & completè*. *Materia circa quam* ſiue *objectum* primi peccati, fuit partim *antecedenter* pręceptum Dei tum *generale* de obſequio plenario creatori ſuo præſtando, tum *ſpeciale* de non tangendo fructu certæ arboris, nec *formaliter* vel *habitualiter*, vel *actualiter* ſcientia præditæ, quale prædicatum in arborem cadere nequit, nec *effectivè* ſcientificæ, ſed *eventualiter* tantùm: Partim *conſequenter*, ipſa arbor vetita & fructus eius, Geneſ. 2. verſ. 16. 17. & c. 3. verſ. 3. quæ in *medio* horti collocata dicitur Geneſ. 3. verſ. 3. non *mathematico* vel indivi-

indiuiſibili, quia & altera arbor vitæ in eodem erat, ſed *phyſico*, & cum latitudine aliqua conſiderato. Cuius quidem arboris fructus contactus, & comeſtio non interdicta à Deo fuit vel ob *intrinſecam* utriuſque *qualitatem* vitioſam aut venenatam, nec ob *extrinſecam* utriuſque *pulchritudinem* aut *præſtantiam*, ſed per merum *interdictum poſitivum*, dependens à ſolo Creatoris beneplacito; qui hominis obſequium periclitari voluit in re & leui & facili, quod eo magis præſtare *poterat*, quia & ſapientiæ & juſtitiæ habitibus inſtructus fuerat in ſui creatione, & *debebat*, quia non neceſſariis tantùm abundabat, ſed & ſuperfluis ad licitam recreationem & voluptatem. Quo ipſo creſcit peccati illius grauitas, ut & ex beneficiorum homini in ſui creatione à Deo ſuo collatorum partim magnitudine, partim recenti acceptione.

XX. *Forma* peccati iſtius ſpectari poteſt, 1. In *genere*. 2. In *ſpecie*. In *genere* eſt defectio à Deo, *παρακοὴ antecedens* & *παράβασις conſequens*, quæ non poterat dari ſine eius lapſu, vnde etiam meritò vocatur *παράπτωμα*, & defectio quidem à tota Dei Lege ſibi in creatione impreſſa, partim quâ Deo ſuum, ſuum ſibi, ſuum etiam ſuæ poſteritati reddere tenebatur: Deo quidem fidem & obſequium, ſibi rectum ſuarum facultatum uſum; & ex ea conſtantis ſanctitatis beatitudiniſque fruitionem; ſuæ verò poſteritati & *ςοργὴν* & depoſiti ipſis etiam in ſua perſona collati conſervationem.

XXI. Ex quo patet peccati iſtius *grauitas* partim *intenſiua*, partim *extenſiua*. Vtraque ſpectari poteſt partim *ex parte Legis* violatæ, partim *ex parte objecti*, contra quod commiſſum fuit, partim *ex parte peccantis*, partim ex parte *actus*, partim ex parte *pœnæ* peccatori ob peccatum iſtud incumbentis. Ex *parte Legis* violatæ, quia uniuerſalis Legis tranſgreſſio fuit. Ex *parte objecti*, quia homo, 1. In Deum peccavit, tum ſummè ſanctum adeoque ex ſe verendum, tum ſummè bonum, adeoque ſummè amabilem, tum ſummè erga ſe beneficum, & recenter quidem. 2. Peccavit in totam poſteritatem, eam & culpa & pœna ſua involuendo. 3. Peccavit in ſeipſum, malum & miſeriam ſuo ſibi jumento accerſendo. Ex *parte peccantis* ſiue conſideremus *diſpoſitionem* ejus *internam*, ſiue *ſtatum* ejus *externum*. Illa vitii omnis expers erat, iſte boni omnis conſors. Meritò itaque inde exiſtimare oportet, cum Auguſtino lib. XIV. de Civit. Dei, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas. Ex *parte actus* iſtius cujus ſumma fuit pravitas, diffidentia, ſuſpicio invidiæ, incredulitas, ſuperbia, rebellio erga creatorem ſuum, & *cordis oris* ac *operis* conjuncta ab officio & recto declinatio. Ex *parte pœnæ* peccatori ob peccatum iſtud incumbentis, quippe quâ & gratiæ continuationem ſibi totique poſteritati intervertit, & naturæ corruptionem introduxit, & gloriæ privationem promeruit. Immò & vaſtitiem toti naturæ quam Scriptura *ματαιότητα* vocat Rom. 8. attraxit.

XXII. *In ſpecie, forma* peccati iſtius ſpectari poteſt in variis *actibus* ſpecialibus, qui in peccato primo concurrêre. Sunt verò illi vel *extern*

ſenſus & locomotiuæ, ut viſio, contrectatio, & comeſtio fructus vetiti, vel *interni*, partim intellectus, partim voluntatis, partim appetitus. Haudquaquam verò anxiè litigandum cenſemus ſuper *ordine* iſtorum actuum, vel primo iſtius peccati actu, quod in plurium actuum complexu & complicatione conſiſtit, & inter quos *naturæ* potius, quàm *temporis* diuturni interuallum interceſsit. Certum qnidem, initium iſtius peccati haudquaquam quærendum eſſe in actibus *externis*, quippe qui *executiui* duntaxat ſunt, non verò *directiui* vel *imperatiui* propriè. Nec audiendi qui gulæ vitium primum faciunt. Nec etiam peccati iſtius initium quærendum eſt in actibus facultatis *imperatiuæ*, quippe quæ in ſtatu integritatis obnoxia erat facultati *directiuæ*, cuius adhuc erat τὸ ἡγεμονικόν. Neceſſariò itaque aſcendendum ad actus facultatis *directiuæ*, hoc eſt, intellectus, vel enim ſcivit Adamus, quis peccati ſui futurus eſſet eventus, vel non. Utroque verò modo errauit. Inter actus verò intellectus, aliqui *ſuperbiam* primam faciunt, *incredulitatem* alii, alii *ſuſpicionem inuidiæ*. Superbiæ prioritatem urgent Pontificij, ſed nequicquam, partim ob alium ordinem tentationis, Geneſ. 3. expreſſum, in qua ſolicitatio ad incredulitatem vel diffidentiam verſ. 3. præceſſit ſolicitationem ad ſuperbiam ver. 5. partim ob naturam ſuperbiæ, quæ infidelitatem excipit demum, non antecedit. Nec enim homo *gradum* ſuperiorem partim *ſcientiæ*, partim *excellentiæ* affectaſſet, niſi interminationem mortis interdictæ adjectam non credidiſſet veram, vel ſaltem de ea dubitaſſet. Adde ſuperbiam non mentis tantùm, verùm etiam voluntatis actum eſſe. De incredulitate verò vel inuidiæ ſuſpicione parum laborandum, qui actus inter iſtos præceſſerit. Satis, utrumque incurriſſe. Accuratè tamen loquendo iſte illo prior videtur, quippe quem ſequitur incredulitas, vix enim fidem denegamus ulli, de quo non malè ſuſpicemur antea.

XXIII. Si denuo quæratur, quî tanta actuum internorum externorumque inordinatio dari potuerit in ſubjecto ad Dei imaginem condito, adeoque ſapientiæ & juſtitiæ habitibus abundè inſtructo, id declaratum Theſi 12. Et ſanè ſola mutabilitatis & libertatis primi hominis conſideratio ſufficere poterat, ut homo ex ſapiente inſipiens, ex recto diſtortus fieri poſſet, ſiue neglectu, ſiue abuſu bonorum principiorum, prout homo integer potentia membra ſua commouendi præditus libero eorum motu ſibi conciliare poteſt vel impotentiam, vel mortem etiam. Sic ex ſano æger fieri poteſt ob temperamenti ſui mutabilitatem, & ex vidente cœcus. Ubi enim potentia ad mutationem datur, ibi dari poteſt actualis mutatio: & tranſitus à potentia ad actum. Nec quærendum anxiè, qui vitium in naturam inuaſerit, ſed quî natura euadere poſſit ex vitio.

XXIV. *Finis* peccati iſtius *propriè* & *per ſe* nullus fuit, nec eſſe potuit quum peccatum ſit aberratio à fine. Fines verò dari poſſunt varii tum *ſolicitantis* ad peccatum, tum *peccantis*, tum id *permittentis*. Finis *ſolicitantis* ad peccatum fuit alienatio hominis à Deo, & Dei ab ipſo, adeoque illius contemptus, iſtius ruina & exitium Joh. 8. 44. Finis *peccantis* fuit partim ſcien-

tiæ &

tiæ & excellentiæ ſuperioris affectatio, partim fructus prohibiti & in ſpeciem jucundi comeſtio. Finis *permittentis* peccatum non fuit, non impeditio libertatis arbitrii humani, ne vis ei inferretur naturæ ejus contraria, nec enim Deo media deeſſe potuerunt ſalvâ hominis libertate, vel inhibendi tantationem, vel præmonendi tentandum, vel ſuccurrendi tentato. Finis verò ejus fuit, partim patefactio imbecillitatis creaturæ ſine ſingulari ſua gratia Joh.16.5. partim glorioſa hominis per Chriſtum inſtauratio Rom.11.32. 1.Cor. 15. 49. partim manifeſtatio gloriæ tum miſericordiæ divinæ in procuranda reſtauratione ad gratiam & gloriam, tum libertatis ejus in quorundam derelictione, tum juſtitiæ ejuſdem in illorum punitione Rom.9.22.23. Gal.3.℣.14. 2.Tim.2.20.

XXV. *Effecta* peccati iſtius primi ſunt *mala* omnia *orta*, tum *ethica*, tum *phyſica*, quæ mortis nomenclatione comprehendi poſſunt, ejuſque *externa*, *interna*, & *æterna*, omniumque ejus & anteambulonum & appendicum, Rom.6.23.

XXVI. *Adjuncta* peccati iſtius ſunt partim *intenſivè* ejus gravitas, de qua ſupra actum Theſi 21. partim *extenſivè* ejus uniuerſalitas, quod non fuerit individuale, ſed ſpecificum, non perſonale ſed uniuerſale, non unius hominis, ſed omnium, pro quibus ſupponebat unus.

XXVII. *Damnamus* 1. Illos qui primi hominis lapſum fatali cuidam naturæ tranſcripsêre neceſſitati, oppoſitæ ejus libertati. 2. Illos qui eum adſcripsêre configurationi Aſtrorum & horoſcopo Adami. 3. *Libertinos* qui cum *Florino* Deum in ſocietatem culpæ Adami vocavêre. 4. *Ophitas* qui Serpenti tentationis inſtrumento & laudes tribuere & cultum. 5. *Iudæos* qui tentationem primi hominis & lapſum ac pœnam carnalibus commentis variis corrupêre. 6. Illos qui Eccleſias Reformatas calumniantur, quaſi ſtatuant Deum reipsâ lapſus Adami cauſam eſſe, quamvis id inficientur verbis. 7. Illos qui lapſum iſtum Adami *perſonale* duntaxat peccatum cenſent, nec toti Adami poſteritati imputari.

DISPVTATIO
DE
PECCATO ORIGINIS.

Thesis I.

De peccato *originante* actum Diſputatione ſuperiore. Sequitur peccatum *originatum*, quod partim *primum*, quod *originale* vocamus, partim *ortum* à primo quod *actuale* dici ſolet. Illud immediatè ex originante oritur, iſtud mediatè.

II. Peccati originalis ἐξήγησις revocari poteſt. 1. Ad ὀνοματολογίαν. 2. πραγματολογίαν.

III. Ὀνοματολογία peccati originalis conſiderari poteſt partim ἔγγραφος, partim ἄγραφος. Ἔγγραφος eſt quod dicatur *caro*, Joh.3.6. *metonymia ſubjecti pro adjuncto*, & ſanè peccatū iſtud caro eſt *originaliter, objectivè & terminativè*. Sic vocatur *peccatum* ἐξόχως & *antonomaſticè*, Rom.6.12. & cum appoſitione, *peccatum inhabitans*, Rom.7.17. ut aliquid *ſubjecti*, & quidem inhærens, & inhærens per modum habitus, & velut οἰκεῖον ſiue domeſticum hominis. Vocatur etiam κακὸν παρακείμενον, *malum adjacens*, diſtinctum quippe à natura ſiue ſubſtātia, in cuius fundo habitat, nec concreatum naturæ, ſed naturæ velut adjectum. Sic vocatur *vetus homo* Rom.6.6. non ſυνουσιώδης, ſed ἐπουσιώδης, h. e. ὁ παλαιὸς ἄνθρωπος, idque 1. *Originaliter*, quia eſt à veteri homine per primam generationem. 2. *Formaliter* διαφθαρτικῶς, quia eſt aliquid & vile & ad corruptionem tendens & antiquandum, contradiſtinctè τῷ חדש *novo*, quod deſignat aliquid pretioſum & eximium. 3. Κατ' ἀντίθεσιν in ordine ad hominem novum, hoc eſt, ad imaginem novi Adami inſtaurandam in Dei filiis. Huc refer nomenclationes hominis ψυχικοῦ, σαρκικοῦ, ἐπιγείου. Sic vocatur *Lex in membris*, Rom.7.23. h. e. aliquid inſtar legis ligans in membris, & per eorum uſum ſe exerens, & impellens. Dicitur etiam *corpus peccati*, Rom.6.6. hoc eſt, & compages & robur, cujus membra ſunt peccata ex eo promanantia, Col.3.5. Sic vocatur ὁ ἔξω ἄνθρωπος, *externus homo* oppoſitus *homini interno*, 2.Cor.4.16. quia ille patet, iſte latet, prout dicitur ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος, 1.Pet.3.4. Sic 1.Corint.5.6. vocatur *fermentum vetus* partim ob analogiam cum fermento penetrante, ſubigente, & açorem conciliante toti maſſæ, partim ob conſuetudinem Hebræorum qui per חמץ *fermentum* intelligunt quicquid habet vim corrumpendi, prout verbum החמיץ *Rabbinis* ſignificat *acidum reddidit, corrupit*. Et ſane omnis

nis fermentatio vel corruptio quædam eſt, vel via ad corruptionem, prout & ipſum fermentum ex corruptione eſt. Hoc ſenſu *Plutarchus* in Quæſtionibus Romanis ζύμωσιν dicit eſſe σῆψιν quandam. Sic Hebr. 12. geminum peccati iſtius nomen habetur & vocatur 1. εὐπερίστατος ἁμαρτία, *activè* v. 1. h. e. ἰσχυρῶς & ῥᾳδίως *validè* & *facilè* circumdans, & velut indagine quadam cingens hominem. Sic *Varinus* [illegible] ἰσχυρῶς. Et Græcis interdum εὖ idem eſt quod ἀκριβῶς. 2. ῥίζα πικρίας *radix amaritudinis*, ℣. 15. ῥίζα quidem, quia eſt ἄνω φύουσα, ut addit ibidem Apoſtolus ἐνοχλητικῶς, producit enim germina & fructus ſuos, nec otioſa eſt, ῥίζα verò πικρίας, partim alluſione ad Deuter. 29. 18. partim quia Hebræis amarum dicitur quicquid malum eſt in genere, Sic conjunguntur interdum בישתא ומרירה *malitia & amaritudo*. A Iacobo peccatum iſtud vocatur ἐπιθυμίας cap. 1. 14. 15. *metonymia ſubjecti* pro *adjuncto*, nec enim illa intelligitur, vel quà *facultas*, vel quà *habitus*, vel quà *actus* ſimpliciter, ſed quà ἀταξίας conjunctam habens ſive ex parte *objecti*, ſive ex parte *modi*, ſive ex parte *ordinis*.

IV. Ἀχαια hujus peccati nomenclatio etiam multiplex eſt. Ab Hebræis, eo ſenſu quo ab illis concipitur, vocatur יצר הרע. A Patribus varia nomina habet, v. g. à Tertulliano appellatur *mali tradux*, à Cypriano, *malum domeſticum*, ab Arnobio, *infirmitatis ingenita vitium*, ab Ambroſio, *infuſum & coagulatum delictorum contagium*: A Chryſoſtomo πρώτη ἁμαρτία, ab Auguſtino *naturæ vitium*, item *peccati contagium ex origine*, & tandem *peccatum originale*: à Scholaſticis *fomes* & *concupiſcibilitas*. Ultimam *Auguſtini* nomenclationem in Scholis receptam, & peccati iſtius naturæ exprimendæ convenientem hìc retinemus, modò intelligatur, id originale dici non ratione originis primæ quam habuit homo à Deo creante, ſed ratione originis ſecundæ quam habet à primo parente peccante. Et ſanè meritò peccatum originale vocatur tum ratione *principii* ſui, quia eſt à peccato originante, tum ratione *modi propagandi*, quia ab origine nobis inhæret. Et quamprimum *originatur homo, originatur peccatum* iſtud in homine, ut habent barbarè ſed ſignificanter Scholæ, tum ratione *effectuum* ſuorum, quia eſt origo peccatorum actualium. Adde nullam nomenclationem convenientiorem fuiſſe confutandis & *Manichæis* ex una parte, naturam ipſam quoad ſubſtantiam malam cauſantibus, & *Pelagianis* ex altera, agnoſcentibus quidem & mali traducem, & domeſticum malum, & infuſum contagium, & primum peccatum, ſed id vel reſtringendo ad Adami peccatum perſonale, vel referendo ad traductionem per imitationem.

V. Πραγματολογίας de peccato iſto complectimur ἐξήγησιν duarum quæſtionum. 1. *An* ſit, 2. *Quid* ſit.

VI. Ad quæſtionem *An* ſit, quod attinet, in *negativam* partim conceſsêre jam olim, 1. *Pelagiani*, Pelagium Britannum Magiſtrum ſuum ſequuti, qui peccatum originis ſecundùm omnes ejus partes negavêre, tum quoad actualem tranſgreſſionem mandati divini in Adamo, tum quoad reatum ex eo contractum, tum quoad inhærentem naturæ corru-

ptionem. Sic docuêre, peccatum Adami nemini nocuiſſe niſi ipſi, & parvulos baptizatos non trahete originale peccatum, ut docet *Auguſtinus* in prologo Hypogn. contra Pelagianos & Cœleſtinos. Idem oſtendit libro de Hæreſibus cap. LXXXVIII. Nec ſententiam mutaſſe cenſendus eſt Pelagius, eò quod in Synodo Palæſtina faſſus fuit, peccatum Adæ poſteris *nocuiſſe*, id enim aliter intellectum voluit, aliter intellexit: intellectum voluit (ut fraudem faceret, & lateret) quoad *propagationem*, intellexit verò quoad *exemplum* duntaxat & *imitationem*. 2. Pelagio ſuccollant hodieque *Sociniani*, qui peccatum originis pertinaciter explodunt. *Volckelius* lib. 5. cap. 18. diſertè impugnat ſententiam Orthodoxam, crimen à primo parente conceptum in ſobolem derivatum eſſe, & ejus contagione tum omnes humanas vires corruptas eſſe ac depravatas, tum potiſſimùm voluntatis libertatem deſtructam. Quæ ſanæ mentis rationi & divinæ Scripturæ contraria eſſe, nequicquam contendit. 3. *Anabaptiſtæ* eandem doctrinam ſuggillant, & peccatum originale *Auguſtini figmentum* vocant. Vide Colloquii Francothalenſis Actionem 11. Articulum 4. 4. *Pontificii* negativam quidem rejicere videntur, eas tamen de hoc peccato fovent opiniones, quæ reipſa peccatum iſtud evertunt, dum id quovis veniali minus docent cum Scholæ ſuæ principe *Aquinate* & aliis ejus ſectariis, adeoque non mereri mortem æternam, immò hoc pœnam tantùm eſſe volunt, non culpam ante liberum voluntatis aſſenſum. Adde dogmata ὕπουλα. 1. Concupiſcentiam non eſſe peccatum *formaliter*, ſed *originaliter* tantùm & *effective* ſic dici, vel *terminativè*, quia ſit à peccato, & ex ea peccatum. Nec quicquam habere rationem peccati *formaliter*, niſi quod ſit voluntarium. 2. Naturalia poſt lapſum manſiſſe integra, adeoque liberum in irregenito etiam dari arbitrium in ordine ad bonum ſpirituale. Vide Bellarminum lib. 1. de Amiſſ. Grat. cap. XII.

VII. *Affirmativa* verò ſententia ſeriò in Eccleſia Dei tenenda eſt, & fundatur tum in veritate *rei*, tum in veritate *enuntiationis* S. Scripturæ de re. Ex utroque principio iſto invictè demonſtrari poteſt, peccatum originale revera in quovis homine, ex Adamo naturali generationis ſerie prognato, dari. Ut ut enim termino iſto *technologico* peccati originalis haudquaquam Scriptura hanc labem inhærentem & habitualem deſignet αὐτολεξεὶ & κατὰ τὸ ῥῆμα, deſignat tamen nominibus aliis κατὰ τὸ πρᾶγμα, quæ ἰσοδύναμα, qualia Theſi 3. expreſſa.

VIII. Peccatum itaque originale à tot hoſtibus impetitum revera dari, probatum damus 1. Argumentis quæ ἄτεχνα vel *inartificialia* dicuntur. 2. Argumentis quæ ἔντεχνα vel *artificialia* vocari poſſunt, deducta nimirum ex *natura* ipſius *ſubjecti*.

IX. *Argumenta* ἄτεχνα ſunt *teſtimonia* divina, quorum præcipua aliquot & enumeranda & vindicanda à corruptelis Adverſariorum. 1. *Locus* exſtat Gen. 5. 3. in quo Adam dicitur genuiſſe filium *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, ubi *antitheſis* evidens inter productionem Adami & Sethi, inter imaginem Dei ad quam formatus Adamus, & inter imaginem Adami ad

quam

quam formatus Sethus. Ut itaque imago Dei deſignat *moraliter* tum ſapientiam mentis, tum ſanctitatem voluntatis Adami: Sic ex adverſo, imago Adami corrupti debet deſignare tum cœcitatem mentis, tum depravationem voluntatis, in quam ſe imaginem Adamus apoſtaſia ſua à Deo transformavit. Adde, Adami corrupti, quà corrupti imaginem aliam dari non potuiſſe, præterquam corruptam.

X. *Exc*, 1. Hæc verba intelligi poſſe de imagine *phyſica ſpecifica*: Adamum nimirum hominem genuiſſe filium, hominem, ejuſdem ſpeciei creaturam. 2. Poſſe intelligi de imagine *phyſica individuali*, quod genuit filium ſibi ſimilem figura, forma, lineamentis externis. 3. Poſſe intelligi de *imagine morali*, quam Adamus à Dei Spiritu regenitus obtinuerat, hoc eſt, de ejus ſapientia & ſanctitate. Sethum itaque traducem & hæredem fuiſſe iſtius imaginis renovatæ, & hoc dici κατ' ἀφομοίωσιν, non δημιουργικῶς. Nec enim negari poſſe Adamum generantem Sethum in Dei gratiam poſtliminio ante id tempus reſtitutum, habituali à Deo gratia donatum fuiſſe.

XI. Sed *exceptiones* iſtæ nullius ſunt commatis. Ad 1. *Exc*. *Reſp*. Poti ὡς ἐν ἀρχῇ, id ſυνωνυμικῶς ſic intelligi poſſe. An enim ſapientiæ Dei conveniens, id φυσικῶς, vel δημιουργικῶς tam emphatica phraſi, geminata voce, exprimere, quod & extra controverſiam omnem erat poſitum, & homini commune eſt cum brutis animalibus omnibus? An dubium erat, Adamum generantem ex lege in primogenia creatione à Deo conſtituta generaſſe filium ejuſdem ſpeciei? Adde, ſic meram ταυτολογίαν, Spiritui Sancto affingi, eo ipſo enim quia dicitur genuiſſe filium, deſignatur ſatis identitas ſpecifica filii cum patre. Quum itaque iſte filius genitus, dicatur genitus ad imaginem generantis, per imaginem illam generantis debet diverſum quid deſignari à ſpecie generantis. *Inſt*. Id ideo dici, quia ex Setho genus humanum erat propagandum, quod non factum nec ex Abele, nec ex Caino. *Reſp*. 1. Hoc interpretamentum eſſe παρέλκον non ἐμφατικὸν, verbis quippe adhibitis haudquaquam conforme. 2. Ex Caino diu genus humanum propagatum fuit, idem itaque de ipſo dicendum fuiſſet. *Inſt*. Si notaretur naturæ corruptio, idem dicendum fuiſſe de Caino & Abele, quippe qui etiam ad imaginem Adami fuêre generati. *Reſp*. 1. Per συγχώρησιν, idem & verè quidem de iis potuiſſe dici. 2. Per ἄρνησιν, ideo id de Setho hoc ſenſu dictum non fuiſſe. Peccatur verò *Elencho non cauſæ*, ideò enim id de Setho peculiariter expreſſum, non de Caino, quia exiſtimari potuiſſet ex flagitioſa Caini vita, hunc characterem illi fuiſſe peculiarem; Nec de Abele, quippe qui poſteritatem non reliquit, nec ex Dei decreto relinquere debuit, ſed de Setho, quippe qui tradux debebat eſſe fœderis & promiſſionis, non obſtante iſta prærogativa, illum tamen ex ſe corruptum & cum imagine Adami ex Adamo corrupto natum fuiſſe. Idque eò magis neceſſarium erat, quod Sethi nativitas contigerit diu admodum poſt apoſtaſiam Adami, cum jam eſſet centum & triginta annorum, ne videretur tractu temporis iſta corruptio

exſtincta fuiſſe in Adamo, Deo diu differente iſtam propagationem ſeminis fidelis, explorandæ tum fidei tum patientiæ Adami. Ad 2. *Except. Reſp.* 1. Gratis ſupponi, non probari, Sethum retuliſſe vultum & lineamenta Adami. 2. Hoc tanti non fuiſſe, ut gemino nomine à Scriptura deſignaretur. 3. Ita צלם & דמות intelligi debent, quemadmodum intelliguntur, quando Adamus ad Dei imaginem conditus dicitur. At ibi non deſignant imaginem externam & μορφωτικὴν, prout ineptum iſtud Anthropomorphitis placuit jam olim commentum. Ergo nec hîc. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς, Adamum fuiſſe participem gratiæ Dei tum *objectivè*, tum *ſubjectivè* conſideratæ, & χάριτος & δωρεᾶς ἐν χάριτι. 2. Ἀρνητικῶς, verba Scripturæ poſſe intelligi de imagine iſta *morali* κατ' ὁμοίωμα hoc eſt, Adamum genuiſſe Sethum hæredem ſapientiæ & ſanctitatis ſuæ. Nec enim qualitates id genus naturæ dona ſunt, ſed gratiæ tantùm, nec generatione phyſica communicantur, ſed regeneratione myſtica. Non magis quàm pulli non naſcuntur phalerati ex equis phaleratis, vel frumentum ſine palea & ariſta ex grano tali naſcitur.

XII. 2. *Locus* exſtat Geneſ. 6. 5. ubi *omne figmentum* cogitationum cordis hominis dicitur *tantùm malum omnibus diebus*. Qui locus conferri debet cum loco Geneſ. 8. 21. ubi dicitur, *cogitatio cordis* hominis mala eſſe *à pueritia ſua*. Ubi Scriptura deſignat, 1. Corruptionem. 2. Corruptionem univerſalem. 3. Corruptionem & habitualem cordis, & actualem cogitationum ejus. 4. Corruptionem perpetuam. Adeoque & *principiata* vitioſa, & ipſum *principium* tale, idque univerſale & perpetuum, & eo ipſo connatum.

XIII. *Exc.* 1. Hæc dici tantùm de primi mundi incolis malis, quorum ingenia fuerint ἐν ὕβρει & ferocia contra Deum ac proximum. 2. Non poſſe id ſine ſumma contumelia referri ad ſemen pium, Noachum, v. gr. & pios ejus filios. 3. Sermonem duntaxat eſſe de peccatis actualibus primi mundi ante diluvium, quibus horrendum iſtud Dei judicium ſibi & Mundo ipſi attraxêre. 4. Scripturam oſtendere, Deo hoc velut novum & admirabile viſum, cum homines omni flagitiorum genere coopertos videret, dum dicit, *Videns autem Dominus, quod multa malitia eſſet hominum in terra & mala cogitatio cordis*, &c. 5. Non dici hominum generi innatam eſſe malitiam, immò Deum per Noachum admonuiſſe homines, ut ab ea malitia deſiſterent, & quia monita illa fuêre aſpernati, eos diluvio perdidiſſe. Minitationes verò futuras fuiſſe temerarias, & pœnam injuſtam, ſi id innatum fuiſſet hominibus, quum non fas ſit aliquem ſupplicio afficere, quia ea non præſtat, quæ præſtari ab illo minimè poſſunt, ſed eum pœnas dare qui cum aliquid exequi valeat, nolit tamen, juſtitiæ conſentaneum eſſe. Senſum ergò verborum Moſis eſſe, homines illos non quidem ſua natura ſed voluntaria animorum inductione ſemper ad malè agendum propenſos fuiſſe, ideoque propria ſua culpa diluvii pœnam ſibi acceſſiviſſe, quam omninò vitaſſent, ſi perinde ut Noachus pietatis ſtudioſi fuiſſent, vel ſaltem ab eo moniti reſipiſcere voluiſ-

voluiſſent. 6. Gen. 8. 21. ſermonem etiam eſſe de voluntaria non de innata malitia, in quam homines non ab *infantia*, ſed ab *adoleſcentia* ſponte ſua ruunt præcipites. 7. Ibidem committi *fallaciam diviſionis*, dividi componenda, nec dici figmentum cordis hominis malum eſſe ab adoleſcentia, nec enim in Hebræo verbum *eſt* expreſſum eſſe, & ſubintelligendum potius eſſe verbum *ſit*, adeoque verba illa cum ſuperioribus connectenda eſſe, & unam tantum ex utriſque conſtitui ſententiam. hoc pacto: Non addam amplius maledicere terræ propter hominem, quia figmentum cordis humani malum ſit ab adoleſcentia, q. d. etſi contingat ut progrediatur denuò eò hominum malitia, quò ante progreſſa fuit, ut nimirum ab ipſa adoleſcentia peſsima quæque cogitare videantur, non tamen illius cauſa terræ maledicam, omnemque viventem animam ut nunc feci interimam: Aliàs ſtatuendum eſſet, Deum ea ipſa re permotum fuiſſe ad eluvionem orbi terrarum non amplius immittendam, quâ paulò ante permotus fuerat ad eam immittendam, quæ ſunt exceptiones *Volckelij* Socinianorum primipili lib. 5. de Rel. Chriſt. cap. 18. 8. *Hyperbolem* in verbis illis eſſe quæ plus dicat quàm ſit in rei veritate, non quod omnes fuerint flagitioſi & nihil planè boni habuerint, ſed quod maxima ex parte corrupti fuerint.

XIV. Sed nec iſta tanti, ut vadimonium nobis ſit deſerendum. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. *Συγχωρητικῶς, per conceſſionem*, hæc dici de primi mundi incolis, quod patet ex *ἀναλογία* verborum, quia verſu antecedente Spiritus S. meminit peccati iſtorum hominum, & Deus dicitur vidiſſe iſtorum hominum malitiam exercitam in terra. 2. *Ἀρνητικῶς, per negationem*, hæc dici de illis tantùm, vel *excluſivè* in ordine ad alios homines & naturalem eorum conſtitutionem. Immò *hypotheſis* illa transferenda ad *theſin*, & idem de aliis inferendum, quia eandem omninò naturam omnes in *ſtatu deſtituto* habent in ſe, ſine *gratia* vel *coërcente*, vel *convertente*. Rationes iſtius applicationis univerſalis meritò inſtituendæ, habentur in ipſo textu. 1. Notatur *univerſalitas actus*, nimirum *omne figmentum*. 2. *Vniverſalitas ἀδόξως* in omni actu, eſt *tantùm malum*. 3. *Vniverſalitas ſubjecti*, licet indefinitè propoſiti, nec enim dicitur reſtrictè *Et vidit Dominus quod multa eſſet malitia hominum iſtorum*, ſed *abſolutè* ſermo de *homine*, & האדם ſupponit pro ipſa *ſpecie* & natura hominis. 4. *Vniverſalitas temporis* adjicitur, *omnibus diebus*. Adde idem repeti Gen. 8. 21. jam extinctis iſtis primi mundi incolis impiis, nec in *hypotheſi*, ſed in *theſi proponi*: *Cogitatio cordis hominis mala eſt à pueritia ſua.*

XV. Ad 2. Exc. *Reſp.* 1. *Συγχωρητικῶς*, non poſſe verba illa quoad *actus externos* flagitioſos, ad Noachum & pios ejus filios referri. 2. *Ἀρνητικῶς*, non poſſe æquè referri ad Noachum & filios ejus, quoad *corruptionem internam* naturæ in ſingulis hærentem, quæ prorupiſſet in illis in actus ſimiles externos, niſi acceſſiſſet vis Dei vorticordia, & niſi illi ex *ſtatu deſtituto* fuiſſent tranſlati in *ſtatum reſtitutum* ſingulari Dei gratia. Peccatur itaque *ignoratione Elenchi*, quæſtio enim eſt de ſtatu naturali & habituali hominis corrupti, non de ſtatu adventitio hominis inſtaurati, in quo quamvis

maneat corruptio interna, coërcita tamen & velut refracta per gratiam priſtino exuitur dominio.

XVI. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. *Συγχωρητικῶς*, ſermonem eſſe de peccatis actualibus. 2. *Ἀρνητικῶς*, de iis tantùm eſſe ſermonem, vel *excluſivè*. Diſtinguitur verò malitia *externa* & *actualis*, & figmentum cogitationum cordis *internum* ac *habituale*. Alioquin enim 1. Mera eſſet *ταυτολογία*, & idem ſine cauſa repeteretur, quæ tamen diſtincta voluit Spiritus S. Et verba וכל יצר & *omne figmentum ac cogitationes cordis ejus*, neceſſariò debent diverſi quid deſignare à malitia illa viſa à Deo. 2. Adde continuitatem & perpetuitatem melius efferri de habitu quàm de actu. 3. Neceſſariò habitualis etiam malitia naturæ ipſi inhærens intelligenda eſt, quia actualis malitiæ nondum poterant eſſe rei infantes diluvio ſublati. Vel itaque injuſtè diluvium à Deo illis etiam immiſſum, & illi eo ſublati, vel juſtè. Si prius, in infantibus etiam reperta fuit culpa, & gravis quidem, quæ cum actualis eſſe non potuerit, habitualis neceſſariò fuit, & cum acquiſita eſſe non poſſet, naturalis eſſe debuit. Si poſterius; ſequitur & pœnam illam graviſſimam injuſtam fuiſſe, & ab injuſto Iudice inflictam, quod blaſphemum.

XVII. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. *Τὸ ἐν ἀρχῇ*, ſupponi ab omniſcientiæ divinæ ſuggillatore, ſive in *Theſi*, Deo quicquam *novum* videri, quippe qui omnia præſentia habet ab æterno, & cui *τὰ μέλλοντα* vel *τὰ ἐσόμενα* nobis, ſemper ſunt præſentia, quippe quæ in ſe & Decreto ſuo vel *efficiente* vel *permittente* & *dirigente* ab æterno videt. Sive in *hypotheſi*, iſtam malitiam Deo novam viſam, cujus tot funeſti effectus inde à peccato ab Adamo admiſſo in pleriſque exſtabant mortalibus, coërciti & repreſſi ſua gratia in paucis. 2. Abſurdum immò parum pium, Deo aliquid *admirabile* videri, termino propriè ſumpto. Admirationis origo, vel ab *ignorantia* cauſarum eſt, vel à *fortuito* rerum *occurſu*, quorum neutrum in Deo ſapientiſſimo omnium directore, adeoque & omnium præſcio, locum habere poteſt. 3. Peccatur etiam *Elencho παρὰ τὸ ἀναίτιον*. Deus dicitur vidiſſe, quod multa exſtet hominum malitia in terra, &c. Ergo dicitur id vidiſſe ut novum quid & admirabile. At *res* tantùm indicatur, *modus* iſte haudquaquam.

XVIII. Ad 5. *Exc. Reſp.* 1. *Συγχωρητικῶς*, id non dici *αὐτολεξεὶ* vel *κατὰ τὸ γράμμα*. 2. *Ἀρνητικῶς*, id non dici *κατ' ἐνδυναμίαν* vel *κατὰ τὸ πρᾶγμα*, id enim potiſſimùm deſignatur quod commune erat omnibus primi mundi Incolis, quod ſanè non erat *actualis* malitia, nec enim iſta in omnibus erat eadem, ſed *habitualis* potius, eaque non *acquiſita*, ſed *innata*, quippe qua involvebantur ipſi infantes, eodem cataclyſmo cum parentibus ſublati, in quibus ſanè actualis malitia ſe exerere non potuit. 3. Peccatur *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον*, Deus hortatus fuit homines iſtius ævi, ut à malitia deſiſterent. Ergo non datur malitia innata. Quaſi verò hortationib. illis per Noachum inſtitutis ſufficiens fundamentum datum non fuerit in actuali hominum iſtorum malitia, quamvis procedente ex habituali & innata! 4. An etiã Noachus homines iſtos hortari non potuit, ut edomarent habitua-

habituale iſtud vitium, nec ejus motionibus vitioſis indulgerent? Annon id omnium officium? Annon regnum iſti vitio innato adimi poteſt per hortationes externas conjunctas cùm interna vi Spiritus per eas agentis, ut ſint non *imperativa* duntaxat *officii*, ſed etiam *operativa obſequii*: *Inſt.* Ergo hortationes illæ fruſtraneæ & temerariæ reſpectu illorum, in quibus Deo vim Spiritus exerere non placuit. *Reſp.* 1. Peccari *elencho à dicto ſecundùm quid*, & παρὰ τὸ ἑπόμενον, nec enim ſimpliciter fruſtraneum, minus temerarium, quod aliquem finem vel effectum non habet, ſed quod nullum planè habet. Habuêre verò hortationes iſtæ vim *convictivam*, quamvis non *converſivam*, & ſufficiebant ad inexcuſabilitatem αὐτοκατακρισίαν, & ἀναπολογίαν. 2. Adde hortationes eſſe notas *officii*, non *virium*, nec illæ temerariæ ſunt, vel injuſtæ, vel fruſtraneæ, etiam reſpectu illorum, qui haudquaquam vires habent ad ea præſtanda quæ imperantur, modò iſta ἀδυναμία ſit ἐπίκτητος & ſuo jumento à peccatore accerſita. Talis verò eſt iſta pravitas. An ab homine ἀσώτῳ, ἀκολάστῳ, nepote, toto immerſo crapulæ non poteſt exigi ſobrietas quamvis ille à ſe impetrare non poſſit ut ſit ſobrius? An debitor decem millium talentorum non poterat juſtè urgeri ab eo cui obæratus erat? *Inſt.* Ineptè homini præcipi, ne ſit claudus vel cœcus, ſi natura talis ſit? *Reſp.* Peccari *elencho parium*, & παρὰ τὸ ἑπόμενον, cum luxatio tibiæ vel priuatio viſus ἀτυχήματα ſint, non ἀδικήματα, nec recta crurum vel oculorum diſpoſitio, *officium*, ſed *ſtatus*, nec bonum *ethicum*, ſed *phyſicum*, iſta verò non cadunt ſub imperium, vel hortationem, ſed illa duntaxat. 4. Peccatur etiam *elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Deus monita illa aſpernatos perdidit. Ergo malitia illa à qua dehortatus eos fuit per Noachum, nullo modo fuit naturalis? Quaſi verò ob nativam corruptionem & ſolam quidem nemo juſtè à Deo exſcindi poſſit. Quî itaque exciſi infantes innumeri cum parentibus ſuis & cataclyſmo iſto ſuffocati? *Actualis* utique in illis malitia non erat, nec *externa*, *ſed interna* tantùm & velut *habitualis*. Vel enim denuò ſupplicium iſtud injuſtè illis inflictum fuit, vel juſtè; ſi *prius*, judex mundi ſumma cum blaſphemia injuſtitiæ arguitur. Si *poſterius*, culpa fuit in infantibus, quippe ſine qua pœnæ locus eſſe jure non poteſt. Quum itaque actualis culpæ rei non fuerint, fuerunt rei habitualis, nec acquiſitæ ſed innatæ. Adde exemplum de infantibus Sodomitarum, & Gomorrhæorum, eodem igne cœleſti cum parentibus ſuis abſumptis. Qui pœna illa juſta eſſe potuit reſpectu infantum illorum ſine culpa? Et quæ culpa actualis in illis dari potuit, quæ acquiſita? Quod argumentum eò validius eſt, quod Judas y. 7. profiteatur in genere, Sodomam & Gomorrham, & urbes illis vicinas ὑπέχουσαι πυρὸς αἰωνίου δίκην *ſuſtinere pœnam æterni ignis*. 5. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, fas non eſſe aliquem ſupplicio afficere qui ea non præſtat, quæ præſtari ab illo minimè poſſunt. Annon ſic tollitur juſtâ infantum illorum deſtructio? Annon ſic ſuggillatur ipſorum dæmonum condemnatio? An enim dæmones obſequium Deo exhibere poſſunt, poſtquam apoſtaſia ſua ſe à Deo ſuo avertere? Annon incorrigibiliter illi

mali ſunt,& Dei ac hominum hoſtes? Præterquam quod idem urgeri poteſt de hominibus irreginitis qua talibus, quippe qui & mente cœci ſunt, & voluntate perverſi, & affectibus rebelles, immò mortui in peccatis, adeoque ſine viribus ullis bonum ſpirituale præſtandi, qui ut ψυχικοὶ & σαρκικοὶ ne cogitare quidem poſſunt aliquid ex ſe boni, nec magis actum ſpiritualem agere quàm mortuus actum vitalem. An ob id Deus injuſtè tales plectit? An Deo perit jus ſuum ob ἀδυναμίαν hominis, quum ne creditori quidem ſuum pereat jus in nepotem bonorum ſuorum decoctorem? 6. Adde peccari *Elencho oppoſitorum*, nec enim impotentia illa, vel malitia *naturalis* opponenda *voluntariæ* ad naturalem inclinationi, ſed componenda cum ea. Vt enim impii illi primi ſeculi homines natura habuêre malitiam ſibi innatam, ſic voluntariè planè illam exeruêre, & dum peccavêre, id fecêre, quod maximè facere voluêre. Immò quò magis homines ſunt natura corrupti, eò majori pronitate & labentia peccant, dum peccant; ut quò magis natura Mephiboſetus claudus erat, eò magis claudicabat. Nec enim per naturalis malitiæ exercitium intelligimus motum naturalem carentem libertate *contradictionis*, ſive *exercitii*, vel *ſpecificationis*, ſive *contrarietatis* oppoſitum vel cognitioni & judicio de hoc vel illo objecto, vel ὁρμῇ ſpontaneæ voluntatis in illud, qualis motus datur in agentibus ex neceſſitate naturæ brutæ, ſed intelligimus naturam exerentem ſe cum ἐξουσίᾳ & ἰσχύϊ. Primi itaque homines illi & natura ſua & voluntaria animorum inductione ſemper ad malè agendum proni fuerunt. 7. Ἐξαζόνιον etiam, tales propria ſua culpa ſibi diluvii pœnam accerſiviſſe, actuali nimirum, ab ipſis perſonaliter patrata, ſed ob id non tollenda innata, verùm ſupponenda, ex qua profluebat actualis. 8. Ἐξαζόνιον etiam, illos vitaturos fuiſſe pœnam diluvii, ſi perinde ut Noachus pietatis fuiſſent ſtudioſi, vel ſaltem ab eo malo reſipiſcere voluiſſent. Connexio enim illa inter pietatem vel reſipiſcentiam & vitam datur. Haudquaquam verò ſequitur, illos non habuiſſe malitiam innatam, quæ obſtabat, ne pietatis eſſent ſtudioſi vel reſipiſcerent, vel potuiſſe eos iſta præſtare ſine gratia convertente, vel ſine dono gratiæ quale indultum erat Noacho. Sic connexiones id genus hypotheticæ dantur: Si Iſraelitæ legem ſervaſſent, vitam habuiſſent per legem. Si Paulus vel Angelus è cœlo annunciaret aliud Euangelium, futurum ut anathema eſſet. An ob id inferendum vel Iſraelem potuiſſe legem ſervare κατὰ τὸ ἀκριβὲς δίκαιον, prout in fœdere legali ſervanda erat, vel Paulum aut Angelum è cœlo in bono confirmatum aliud Euangelium annuntiare poſſe?

XIX. Ad 6. *Exc. Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς, ſermonem eſſe de voluntaria malitia. 2. Ἀρνητικῶς, ſermonem tantùm eſſe de illa, non ſimul de innata. 3. Peccatur *Elencho oppoſitorum*, quaſi voluntaria & innata malitia in ſe arietarent mutuò. Immò iſta voluntas ſponte peccandi homini, in *ſtatu deſtituto*, innata eſt. Et eadem malitia κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο & innata vocari poteſt, & voluntaria. 4. Immò κατὰ τὸ ῥητὸν, ſi *figmentum cordis* humani malum eſt, & *omne* quidem, & *tantùm*, & *omnibus diebus*, ut patet ex capite 6.

corrupta

corrupta ejuſmodi principiata arguunt neceſſariò à poſteriori corrupta principia. Si enim figmentum omne actuale cordis tantùm malum eſt, cor humanum ipſum non poteſt non eſſe velut *habitualiter* malum. 5. Peccatur *παρερμηνεία* phraſeos, מנעוריו, quaſi verò נעורים *adoleſcentiam* tantùm deſignet, non *pueritiam* etiam & *infantiam*. At annon cor malum erat in ipſis primi iſtius Mundi infantibus; 1. Si enim tale non erat, illi diluvio haudquaquam erant exſcindendi. Unde נער à LXX. non tantùm redditur per *νεανίσκον, νεανίαν, παιδάριον* ſed etiam per *νήπιον indefinitè* Prov. 23.13. & Oſ. XI. 2. Sic *plurale* נעורים non tantùm illis eſt *νεότης*, ſed etiam *γένεσις* dies nativitatis Ezech. 4.14. Et *ſingulare* נעורה vertitur per *νηπιότης*. Ezec. 16. ℣.22. Et Oſ. 11.15. 3. Adde, ſi figmentum iſtud tale ſit כל היום *omnibus diebus*. Ergo & tale eſt in ipſis infantiæ & pueritiæ diebus, velut *habitualiter*, non *actualiter*, vel in actu primo, etſi nondum in actu ſecundo. 4. Adde, ne infantiam quidem, nedum pueritiam excuſari poſſe ab iſta malitia quum inſtar Davidis omnes in iniquitate concipiantur, adeoque illa inde à conceptione omnibus inhæreat, Pſ. 21.7. Immò, ut bene obſervant Hebræorum filii, infans appoſitè admodum vocatur נער, quippe qui ſe mouet vel mouetur in utero etiam matris ad exitum quærendum. Complectitur ergò totam ætatem teneram, non partem ejus ſecundam vel tertiam tãtùm. Eadem eſt ſignificatio abſtracti נעורים & נעורות. Sic *Targum* hîc habet מזעוריה quaſi à parvitate ejus, h. e. à primo uſque ſuæ productionis principio, ab ætate quaſi diminuta & minorenni, quæcumque illa ſit. Parum feliciter itaq; *Volckelius* hîc grammaticam pulpam tangit. Adde, Deum loqui de toto genere humano, adeoque de aliquo quod commune omnibus, non verò quod peculiare aliquibus. Malitia verò à pueritia vel adoleſcentia actualis diuerſimodè ſe exerere ſolet, habitualis verò eadem eſt. Nec oſcitanter obſervandum, hæc verba Geneſ. 8. 21. repetita eſſe, Noacho ſolo cum filiis exiſtente, à quo ſaltem abfuit malitia voluntaria actualis, quamvis daretur habitualis & innata. Et hactenus de illo etiam verba illa vera erant, ratione corruptionis naturalis, quæ adhuc hærebat in ipſo.

XX. Ad 7. *Exc. Reſp.* 1. *Συγχωρητικῶς*, demus, hanc eſſe mentem Moſis & exponenda eſſe verba illo ſenſu, quem nectit *Volckelius*, & τὸ *ſit* eſſe ſubintelligendum, q. d. Deus, etſi contingat ut progrediatur denuò eò uſq; malitia, quo antea progreſſa fuit, ut nim. ab ipſa adoleſcentia homines peſſima quæque cogitent & moliantur, non tamen illius cauſâ terræ maledicam, an ob id ſequeretur id *excluſivè*, dici, & non *incluſivè*? Immò, annon peſſimi actus ut principiata præſupponunt principia ejuſdem naturę & ordinis? Immò à *poſteriori* argumentum duci poteſt ad prius, quia Deus non vult amplius diluvio orbem terrarum involuere, quamuis homines mali ſint: Ergo malitiam illis vidit innatam & hęreditariam. 2. *Ἀρνητικῶς*, hunc eſſe ſenſum verborum Moſis, quaſi de progreſſu tantùm malitiæ ab adoleſcentia loqueretur. Contrarium oſtenſum theſi antecedente, tum ex vi vocum מנעוריו tum ex collatione hujus loci cum loco Gen. VI. & longè

convenientius verbum ὑπαρκτικὸν præſentis temporis ſuppletur, prout ſuppletur ab interpretibus. 3. Adde eodem rem recidere, τὸ *ſit* etiam ſubintellecto, q. d. Deus, quamvis figmentum cordis humani malum ſit inde à prima ejus ætate, tamen non exſcindam amplius terram diluvio. 4. Peccatur *elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον & παρερμηνεία loci, nec enim ſequitur abſurdum quod ſententiæ noſtræ impingit *Volckelius*: Deum nimirum eâ ipsâ re permotum fuiſſe ad eluvionem orbi terrarum non amplius immittendam, quâ paulo ante permotus fuit ad eam immittendam, nec enim τὸ כי hîc intelligendum in ſenſu *cauſali*, ſed *adverſativo* potius, q. d. quamvis figmentum cordis humani malum ſit inde ab utero, tamen non addam percutere omne viuens, non quod cauſa proponatur non percuſſionis terræ, ſed ut indicaretur etiam cauſa iſtius percuſſionis data, Deum tamen ſingulari tolerantia uſurum erga homines corruptos, in differendis eorum pœnis, in ſuſpenſione ſaltem pœnæ talis, qualem immiſerat orbi terrarum. Hæc verba itaque non ſunt αἰτιατικὰ, ſed ἐπαγγελτικὰ. 5. Immò ſi in *ſenſu cauſali* etiam vellemus exponere verba Moſis, interpretatio noſtra longè melior eſſet interpretatione Volckeliana, longè enim tolerabilius dici poſſet, Deum miſericordia uti erga mundum ob innatam ei malitiam, in qua naſcuntur omnes, quàm ob malitiam actualem & voluntariè in ſe patratam. Major enim miſericordiæ locus erga naturaliter miſeros, quàm erga illos qui flagitiis actualibus miſeriam ſibi malitioſè attraxêre.

XX. Ad 8. *Exc. Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς, *per conceßionem*, dari quaſdam in Scriptura Sacra *hyberbolas*: Nec illorum ſententiam univerſaliter veram eſſe, qui cenſent omnem hyperbolam rei veritatem excedere, & ſpeciem habere mendacii. Oppoſitum enim patet ex locis evidentiſſimis, v. g. Gen. 13. 16. Faciam ſemen tuum ſicut pulverem terræ, ſicut arenam maris. Exod. 3. 8. Dabo vobis terram fluentem lacte & melle. Vidimus civitates pertingentes uſque ad cœlos, & eramus ſicut locuſtæ coram iis. Numer. 1. 3. 34. Sic Deuter. 9. 1. Dicuntur civitates quædam in cœlum uſq; munitæ. Jud. 7. 12. Cameli innumerabiles dicuntur, ſicut arena quæ jacet in littore maris, 1. Reg. 10. 27. dicitur Rex reddidiſſe argentum Hieroſolymis ut lapides, Cedros ut ſycomoros. Sic 2. Sam. 1. 23. Saul & Ionathas dicuntur à Davide aquilis velociores, leonibus fortiores. Sic Pſalm. 107. 26. navigantes dicuntur aſcendere uſque ad cœlos & deſcendere uſque ad abyſſos. Sic Matth. 19. 28. facilius eſſe camelum intrare per foramen acus, quàm divitem in regnum cœlorum. Sic Ioh. 12. 19. dicitur, mundum poſt Chriſtum ire, & cap. 21. 25. dicitur ipſum mundum capere non poſſe libros ſcribendos de geſtis Chriſti. Nec in Scriptura tantùm reperitur illa ὑπερβολῆς ſpecies quæ propriè ſic dicitur, & αὐξητικὴ vocatur à Rhetoribus, ſed & μειωτική. Haudquaquam itaque ſtatuendum, ſemper inter ſe opponi, ὑπερβολικῶς loqui, & *verè* loqui. Hyperbolicarum enim loquutionum ſpectandum *formale* potius quàm *materiale*, non *ſonus* dictorum ſed *ſenſus* dicentis, nec dicta vexanda ad literam, ſed ſcopus inquirendus

& finis

& finis dicentis. Et ſanè quum ὑπερβολαὶ ad tropos vel σχήματα pertineant, non propriè & ad literam exponi debent, nec magis in illis eſt mendacium, quàm quando metaphorę vel tropi alii adhibentur, & Herodes vocatur vulpes, Phariſæi progenies viperarum, & alia id genus; Meritò itaque *Auguſtinus* inquit, *nullum, qui Scripturam didicit, ambigere, Scripturam uti ſolere ea locutione, quam Græci dicunt hyperbolam, ut cæteris tropis,* c.2. lib.16. de civit. Dei. 2. *Ἀρνητικῶς, per negationem* in verbis quæ Moſes vel Gen.6. vel Gen. 8. de corruptione originali & univerſali hominum habet, ullam reperiri hyperbolem. Illi enim tum demum locus eſt in ſacris, ubi verba ad litteram accepta, vel rationi, vel ſenſui, vel certæ & confirmatæ experientiæ, vel locis aliis parallelis repugnant. Tantùm verò abeſt, ut verba de univerſali iſta cordis humani ex ſe & ſecundùm ſe corruptione innata repugnent principiis iſtis, ut ab iis confirmentur potius. Idem ſanè diſertè teſtatur Scriptura Job.14.4. Pſal.14.2.3. Pſal.51.7. Rom.5.14. Eph.2.5. Et locis plurimis aliis. Idem etiam patet ex ſcopo Spiritus S. Gen.6. qui fuit deſignare originem & principium corruptionis iſtius actualis hominum, eorumque impœnitentiæ. Hyperbolam itaque hîc quærere vel ſtatuere, eſt πελαγιανίζειν, & pulvillos ſubſternere ſuperbiæ humanæ.

Argumenta reliqua, partim *inartificialia* teſtimonii, partim *artificialia* rationis moles Diſputationis nos hîc addere vetat, ob operoſiores, quas exigunt vindicias à corruptelis Adverſariorum.

DISPVTATIO II.

DE

PECCATO ORIGINIS.

THESIS I.

QUÆSTIONIS *An ſit* peccatum originale *affirmativam* adſtruximus hactenus *argumentis* tribus *inartificialibus* ex Scriptura S. deductis, eorumque vindiciis. Reliquum eſt, ut telam quam orſi ſumus, pertexamus, & argumenta quædam alia id genus & proponamus & vindicemus. Quod quidem ideò prolixius occupandum cenſemus, quia vindiciæ iſtæ neceſſariæ ſunt tuendæ veritati, & gloſſematis & argutationibus variis Adverſariorum, in ſpeciem ſubtilibus, abſtergendis.

II. IV. *Locus* exſtat in Pſalmis 14.2.3. & 53.3.4. *Omnes receſſerunt, ſimul putidi facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt vel unus*, repetitus à Paulo Rom. 3.9. ad euincendam uniuerſalem omnium hominum, tam Judæorum, quàm gentilium corruptionem. Habemus itaque his locis: 1. Univerſalem corruptionem omnium. 2. Univerſalem omnium reatum. Iſta verò dari non poſſunt ſine originali omnium corruptione, tum quia actualis eſt ex originali, ut principiatum ex principio, & actuum *ἀταξία* eſt ab *ἀταξίᾳ* habituum, tum quia actualis declinatio haudquaquam univerſalis eſt, nec impingi poteſt omnibus, quippe quorum multi non peccant ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adami, Rom. 5. ℣. 14. Adde, ſcopum Prophetæ, & poſt ipſum Apoſtoli eſſe, ex eo totum genus humanum ſine exceptione reum peragere.

III. *Exc.* 1. De actualibus peccatis tantùm loqui Prophetam. Id patere ex phraſeologia *activa* Apoſtoli, eum *dicere*, in corde ſuo non eſſe Deum, *corrumpere* viam ſuam, *facere* opus abominabile. 2. Non eſſe quæſtionem, quid ab hominibus fiat, aut non fiat, ſed quid fieri poſſit ab illis, aut non. Hic de priori ſermonem eſſe, non de poſteriori. 3. *Hyperbolen* ibi reperiri, non quod ne unus quidem bonum faciat, ſed quia pauci admodum reperiantur qui id faciant, & reſpectu tantæ impiorum multitudinis propè nulli. Pſaltem enim id ipſum pronuntiantem talem non fuiſſe, nec pios alios ſui æui. 4. Pſalm. 14. loqui Apoſtolum de peccatoribus *antonomaſticè* talibus, qui dicunt in corde ſuo non eſſe Deum. 5. Pſalm. 14. 6. A Pſalte excipi pauperes ſperantes in Iehovam, & ℣. 7. Iſraelem ſalvandum

dum & exultaturum. Sic Pſalm.53.5. Populum Dei generationem juſtam diſtingui ab improbis, *comparativè* itaque iſta intelligenda eſſe, non *abſolutè, indefinitè*, non *univerſaliter* 6. Sermonem eſſe de hoſtibus Iſraelis, Pſ.14. è quorum manu vindicandus erat Dei populus.

IV. Sed nec iſtæ argutationes intercedunt argumentationi noſtræ ex locis illis. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Per συγχώρησιν, concedi à nobis, de actualibus peccatis loqui Pſaltem. 2. Per ἀφαίρεσιν, eum de iis *tantùm* & *excluſivè* loqui. Hoc verò aſſerere eſt ponere τὸ ἐν ἀρχῇ. 3. Probatio deſumpta è phraſeologia *activa* inconſequens eſt, vel enim procedit καθόλου ſiue *univerſaliter*, vel κατὰ μέρος, ſiue *particulariter*. Si *prius*, falſa eſt, ſi *poſterius*, inconſequens eſt, quaſi verò interni actus verbis actiuis nunquam deſignentur. Illi enim æquè Deo patent ac externi, & totidem opera ſunt coram Deo. 4. Adde ſupponi, non probari; Pſaltem tantùm verbis *activis* uti, adhibet enim etiam verbum paſſivum נאלחו, hoc eſt, *putidi facti ſunt*, quod ad corruptionem originalem & inhærentem appoſitè referri poteſt, LXX. vertunt impropriè ἠχρειώθησαν, ſenſu tamen ſalvo. Targum habet אתרשלו quod eſt *obtorpuêre*, pigri redditi fuêre, à verbo Chaldaico ארשל in *Ithpahel*, quod eſt *obtorpeſcere*. Verbum נאלח cæteroquin, inuſitatum *in Kal*, ſignificat propriè & primò putrefactionem, corruptionem corporum ex infirmitate aliqua præcedente, quaſi à חלח per *metathesin*, ſecundariò & per tranſſumptionem, ſignificat corruptionem & contaminationem animorum.

V. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Per *conceſſionem*, ſermonem eſſe de iis quæ ab hominibus fiunt, nec *indefinitè* tantùm, ſed *univerſaliter* quæ fiunt ab omnibus & ſemper. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, quia tales ſunt actus externi omnium & ſingulorum, talis eſt etiam interna ſingulorum diſpoſitio, à qua quippe fluunt actus externi, & cum motus & actus inordinati procedant *ab* omnibus inde à prima ætate, debet etiam diſpoſitio inordinata eſſe *in* omnibus à prima ætate. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, aliter fieri poſſe ab homine animali, quàm ut malè agat, & actú peccet. Potentia enim illa bene agendi nec *à priori* demonſtrari poteſt, nec *à poſteriori*, contra impotentia bene agendi utroque modo probari poteſt.

VI. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Peti denuò τὸ ἐν ἀρχῇ, reperiri ibi *hyperbolen*. Illi verò locus tunc demum, ubi res aliqua notoriè repugnat & *rationi*, & *ſenſui*, & *experientiæ*, ſi *ad ſonum* intelligatur & non *ad ſenſum*, quod hìc dari nequit, Obſtat etiam, ne hyperbolen admittamus emphatica iſta repetitio & ingeminatio cum ἐπιτάσει & ἐπιμονῇ quadam ſingulari, *unumquemque receſſiſſe, non eſſe qui faciat bonum, non eſſe juſtum, ne unum quidem, omnes defeciſſe, non eſſe qui faciat quod bonum eſt, non eſſe uſque ad unum*, Pſalm.14. & 53. & ad Romanos capite tertio. 2. Peccatur *ignoratione elenchi*, ἀνάσσει de Pſalte & aliis id genus piis ſui æui, nec enim nobis quæſtio de diſpoſitione gratioſa hominum regenitorum quà talium, & quà ſequentium ductum Spiritus. hactenus enim coercetur ſæpe innata iſta labes regenitis ipſis adhuc inhærens, ne erūpat in actus vitioſos, ſed de naturali omnium

diſpoſitione. Unde non ſermo tantùm de ἐκκλίσει vel *declinatione* omnium actuali, verùm etiam de ἀχρεΐᾳ vel fœditate omnium naturali, & velut habituali.

VII. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem*, ſermonem eſſe de peccatoribus *antonomaſtice* talibus, qui dicunt in corde ſuo non eſſe Deum. 2. *Per negationem*, tantùm & excluſiuè de illis ſermonem eſſe. Oppoſitum patet ex ſcopo Apoſtoli, Rom.3. qui erat, omnes & ſingulos mortalium, & Judæos & Græcos, de peccato conuincere, v.9. & 23. & ſic omnes in uniuerſum adigere ad neceſsitatem confugiendi ad Mediatorem. Haudquaquam verò vel inſtitutum iſtud Apoſtoli, vel probatio ſuccederet, niſi omnes & ſinguli mortalium verbis illis ab eo ex veteri inſtrumento allegatis deſignarentur.

VIII. Ad 5. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem*, à Pſalte excipi *pauperes in Iehovam ſperantes, Iſraelem ſalvandum* & *exultaturum*, item *generationem juſti, &c.* 2. *Per negationem*, id obſtare quo minus deſignetur uniuerſalis omnium corruptio à prima origine omnibus inhærens, quod enim aliqui ſperarint in Jehouam, non habebant à bonitate generationis ſuæ naturalis, ſed à gratia ſuæ regenerationis ſupernaturalis, ab iſta demum eſt generatio juſta, quà talis, non ab illa. Sic Iſrael ſalvandus talis non eſt ex *rectitudine naturali*, ſed ex *gratia* duntaxat *fœderali*. Diſtinctio itaque ſequens impiorum & pauperum ac generationis juſtæ non tollit naturalis omnium corruptionis identitatem, nec obſtat quominus naturalem omnium corruptionem deſignãdo abſolutè loquatur Pſaltes & uniuerſaliter. 3. Peccatur etiam *Elencho à dicto ſecundùm quid*, vel enim corruptio originalis ſpectatur *quà inhærens*, vel *quà regens*. *Quà inhærens*, æqualis eſt in generatione juſta æquè ac injuſta, *quà regnans*, non item, quippe cui ablatum eſt dominium per gratiam regenerantem. 4. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, *comparatè* & *indefinitè* tantùm loqui Pſaltem, non *abſolutè* vel *univerſaliter*, oppoſitum patet. 1. Ex repetitione expreſſa ſyncategorematis uniuerſalis apud Paulum, Rom.III. 2. Ex eius declaratione κατ' ἰσοδυναμίαν, ne unum quidem excipi. 3. Ex identitate objecti, in quod Deus reſpicit è cœlis, & quod malum eſt. At nemo mortalium eſt in quem non proſpiciat. 4. Ex triplici abſurdo conſequente reſtrictionem iſtius objecti. I. Quia actualis declinatio non dari poterat, vel videri à Deo in omnibus illis qui non erant ex fœderato Dei populo & oppoſiti generationi juſtæ. Nec enim actualiter declinauerant eorum infantes. Non entis verò non ſunt accidentia. II. Quia querela illa, omnes declinaſſe & pariter fœtuiſſe, & non eſſe facientem bonum, ne unum quidem, haudquaquam verificari poterat in plurimis, Gentilibus etiam, quippe quorum multi ſtudebant ciuili & morali bonitati, quoad actus multos externos. Debuit itaque neceſſariò connotari uniuerſalis corruptio latens in omnibus, adeoque naturalis, ſine qua quippe aphoriſmis illis diuinis ſua conſtare non poterat veritas. III. Quia Apoſtoli Pauli argumentum ex iſtis locis, Roman.3. inconſequens foret & falſum, ſi ex *indefinita* aliquorum corruptione *uniuerſalem*

omnium

omnium & Judæorum & Græcorum arguiſſet prauitatem & reatum, & neceſsitatem omnibus imponeret confugiendi ad thronum gratiæ diuinæ per fidem in Chriſtum. Vel igitur Apoſtoli argumentatio inconſequens eſt & Sophiſtica, procedens à particulari ad uniuerſale, quod blaſphemum, vel reuera uniuerſalis omnium & ſingulorum corruptio, eaque originalis & habitualis neceſſariò connotatur, quum actualis haudquaquam reperiatur in omnibus.

IX. Ad 6. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem*, de hoſtibus etiam populi Dei *incluſivè* ſermonem eſſe. 2. *Per negationem, excluſivè* de illis tantùm ſermonem eſſe Pſalti. Nec enim vel phraſeologia uniuerſalis Pſaltis locum haberet, vel applicatio verborum illorum, quam inſtituit Apoſtolus, Rom.3.

X. V. *Locus* exſtat Pſalm. 51.7. *Ecce in iniquitate genitus ſum, & in peccato concepit me Mater mea.* Ubi ſermo Pſalti, 1. De formatione ſui in peccato. 2. De iniquitate ſibi à conceptione inhærente. 3. De maſſa corrupta ex qua fuerit natus. 4. De peccato ad quod ſe habebat primò merè *paſſiuè*, cum quo conceptus fuerit & genitus. 5. De peccato traducto in ſe à parentibus ſuiſr Quæ omninò originalem iſtam hominis corruptionem non poſſunt non deſignare, nec aliò trahi ſine graui abſurditate. Hinc non ſine cauſa Pſaltes uſus fuit verbis illis emphaticis, חוללתי *genitus ſum*, & יחמתני *calefecit me*: ut enim חול in *Pibel* ſignificat vel *tranſitiuè*, ad partum impellere, vel *intranſitiuè* parturire, ſic חול in *Pyhal* ſignificat in partu vel per partum in lucem edi. *Targum* non tantùm hîc חוללתי exprimit per אתילדית *genitus ſum*, quod ad utrumque parentem poteſt referri, ſed emphaticè etiam verbum illud alibi redditur Prov. 8.25. per אתבטנית quaſi *in ventre geſtatus fui*, quod ad matrem tantùm referri poteſt & à LXX. redditur plerunque per *ὠδίνειν* & *ὠδῖνας ἔχειν*. Ut verò hoc verbum de formatione corporis Dauidis, vel de partu etiam, ut Job. 15.7. & 39.4. intelligi poteſt: ſic & ſequens intelligi debet de conceptione, dum inquit, & in peccato יחמתני de verbo ad verbum *calefecit me mater mea*, hoc eſt, incaleſcendo concepit me mater mea, per *metonymiam efficientis*, quod & primam originem notat, & alludit ad calorem inſtrumentum potiſſimum conceptionis. Et calor quidem *δεκτικῶς* hîc adſcribitur matri, quia mater ſola concipit fœtum, & ſuo calore fovet, prout etiam verbum iſtud eodem adhibetur ſenſu Gen. 30.38.39.41. Aſcendit itaque David à conſideratione peccati actualis à ſe admiſſi ad originem totius ſuæ corruptionis, & oſtendit, inde ab utero ſe corruptum eſſe & peccato obnoxium. Quod ſanctorum proprium eſt, & ad originem malorum aſcendere, & peccata ſua non extenuare, ſed exaggerare. Ex hoc itaque loco & Patrum plurimi, & interpretes propemodum omnes, & meritò quidem, peccatum originis arceſſunt.

XI. *Exc.* Nullam hîc originalis peccati deſignationem reperiri. 1. Verba Dauidis intelligi debere non de *conceptione ſubſtantiæ* vel naturæ Dauidis, ſed de *conceptione* ſui *peccati*, quod vel Diabolus vel cor ſuum, vel concupiſcentia ſua ſibi æſtum & calorem illum peccandi indiderint tunc

cum in peccatum illud incidit. Idem adſcribi concupiſcentiæ pravæ, Jac.1.14.15. 2. Dauidem non loqui de peccato ſuo originali,ſed de peccato actuali vel parentum ſuorum communiter, vel præcipuè matris ſuæ ſingulariter. 3. Poſito etiam, non conceſſo, Davidem de ſeipſo & ſua conceptione loqui, id peculiare eſſe Davidi, nec à particulari, minus ſingulari, univerſalem dari poſſe illationem. 4. Immò ne actuale quidem Davidis peccatum inde inferri poſſe, minus originale, poſſe enim aliquem in iniquitate concipi, qui tamen ob id non ſit iniquus, prout poteſt aliquis in cœcitate concipi,quamvis ipſe haudquaquam ſit cœcus. 5. Verba Davidis vel *propriè* ſumi vel *figuratè*. Si *propriè*, nullo jure ad omnes referri quod ſibi ſoli tribuit David. Si *figuratè*, theologiam ſymbolicam non eſſe argumentativam, & peccatum originale hinc concludi non poſſe. 6. Hoc ipſo loco peccatum originale confutari, non adſtrui,nec enim aſcendere Davidem altius ad peccatum Adami, à quo deriuetur originalis iſta corruptio, ſed hærere tantùm in peccato proximorum parentum, matris ſuæ vel in primis. Si verò originalem illam corruptionem deſignare voluiſſet, eum aſcenſurum fuiſſe ad peccatum uſque Adami. 7. Iſto loquendi genere Scripturam tantùm uti ad majorem malitiæ humanæ exaggerationem, cui ita ſit immerſus, ut illi quaſi innata videatur. Locutiones ſimiles haberi Pſal.58.4. Eſ.48.2.8. & 49.1. & Ioh. 9.34. nec tamen ex iſtis locis poſſe inferri, peccata id genus ab utero à talibus patrata fuiſſe. 8. Jobum contrarium profiteri Davidi cap.31.18. *Ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de utero matris meæ egreſſa eſt mecum.* Immò verba iſta à quibuſdam ſic legi, *& ab vtero matris deduxi eam*; ſcil. *viduam*. Id verò ſine *hyperbole* intelligi non poſſe, niſi originalem quandam miſerationem, & benignitatem erga viduas hinc placeat exſculpere. Sic Davidem etiam loqui de bono actu,fiduciâ nimirum ſuâ quam in Deo repoſuerit ab utero, Pſal.22.10.11.9. Verba etiam Davidis controuerſa ita poſſe accipi, ut is procliuitatem potius ad peccandum quàm ipſum peccatum ſuum exaggeret, & ſic eum grauitatem facti ſui aliquo modo minuere & excuſare, cum plerumque tanta ſit hominum ad ſcelera procliuitas,ut in illis concepti, natique eſſe videantur. Quæ exceptiones pleræque ſunt *Volckelii* Sociniani lib. v. de vera, ut loquitur, Religione cap. XVIII.

XII. Subtilia iſta in ſpeciem videri poſſunt, ſolida cenſeri non debent. Paucis itaque & diſcutienda ſunt, & vindicanda. Ad 1. *Ex Reſp.* 1. Peccari παρβυλωσία loci, & poni τὸ ἐν ἀρχῇ. Nec enim verba Dauidis ullis fidiculis detorqueri poſſunt ad *conceptionem peccati* Dauidis,ſed neceſſariò referri debent ad *conceptionem ſubſtantiæ* vel *naturæ* ipſius *peccantis*. Ecce in iniquitate formatus vel genitus ſum, & in peccato concepit me mater mea. Qui hæc verba gloſſemati iſti de conceptione peccati aptari poſſunt, vel gloſſema iſtud verbis Dauidis? Ineptè itaque & contortè planè quod de *ſubjecto* ipſo dicitur, refertur ad *actum ſubjecti*. Et obvium cuivis τὸ חוללתי *paſſivum* eſſe, & nonniſi ad ipſum Davidem, æquè ac

comma

comma poſterius poſſe referri. An etiam loquitur Dauid de matre ſui peccati, annon verò potius de matre ſua? 2. Adde falſum ſupponi, hominem poſſe dici gigni à Diabolo, quando peccatum aliquod graue admittit: tentari quidem poteſt à Diabolo, ſeduci, pellici, ſed non cogi nec adigi ad peccandum, minus generari. 3. Gratis dici, per matrem Diabolum intelligi, quod & abſurdum & inauditum in tota Scriptura. Patris quidem, h. e. auctoris peccati nomenclatione deſignatur, & illi ejus filii dicuntur qui peccant quà peccant, Johan. 8. 44. Matris verò nomen haudquaquam illi tribuitur ullo loco. 4. Gratis etiam & ineptè dicitur, hominem à corde ſuo gigni, vel cor hominis eſſe matrem ipſius. 5. Nec ſanius eſt gloſſema de *concupiſcentia*, quippe quæ eſt vel *facultas*, vel *habitus*, vel *actus* conſequens ſubjectum, non antecedens. Et quî homo poſſet dici genitus à concupiſcentia ſua, & concupiſcentia dici mater ipſius? 6. Peccatur *elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον: Jacobus adſcribit concupiſcentiæ prauæ partum peccati. Ergo Dauid eam intellexit per matrem ſuam. Aliud enim, concupiſcentiam matrem dici peccati; aliud, dici matrem peccantis. De priori agit Jacobus, de poſteriori Pſaltes. 7. Κατὰ τὸ βίαιον, de eadem corruptione inhærente loquitur Jacobus, de qua David, ergo illa in homine datur, quia enim homo gignitur in iniquitate, & à matre concipitur in peccato, praua iſta cupiditas, illum ad malum pelliciens, illi inhæret inde ab utero.

XIII. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem*, demus vel utrumque Davidis parentem, vel matrem ſaltem Davidis, peccaſſe in generatione & conceptione ejus, prout licitis etiam actibus peccata ſunt adnata, ob humanam infirmitatem, an ob id ſequitur Dauidi peccatum non adhæſiſſe ab utero? 2. *Per negationem*, hic Pſalti de peccato parentum ſuorum, & non de propria potius corruptione, quam habuerit inde ab origine, ſermonem eſſe. I. Quia Dauid confeſſionem de ſuo peccato hic edit, non de peccato alieno. II. Quia periret ἀμφιλογία verborum, & abſurdè hic Dauid peccatum commemoraret parentum ſe generantium, in ſui generatione & conceptione admiſſum. III. Quia Dauid ex legitimo conjugio natus fuit, adeoque & generatio & conceptio ejus legitima fuere, utut iis ἔγκλημα quoddam vel ἀταξία potuerit eſſe conjuncta. IV. Quia vel peccatum hoc parentum Dauidis implicabat Dauidem, vel non. Si *prius*, ergo ab utero peccato involvebatur Dauid, quia inde ab utero utriuſque parentis filius fuit: Si *poſterius*, ergo abſurdè ejus hîc in confeſſione ſua meminit. IV. De illa impuritate loquitur Dauid, à qua cupit purgari adhuc, de iniquitatibus quas vult deleri à Deo, & à quibus cupit Deum abſcondere faciem ſuam, ℣. 9. & 11. At iſta peccata perſonalia erant Dauidis, quorum remiſſio ipſi erat neceſſaria: Haudquaquam verò loquitur de peccato parentum ſuorum, dubio procul jam tunc temporis exſtinctorum, quum Dauid minimus natu filiorum Iſai fuerit, & tamen Pſalmum illum nonniſi ætate matura conſcripſerit, nec inde ab introductione Dauidis in regnum parentum ejus occurrat mentio; quod

dubio procul prætermiſſum non fuiſſet, ſi illi adhuc fuiſſent in viuis, prout Bathſebæ matris Salomonis mentio exſtat, & honoris ipſi habiti à Salomone. Nec minus parentibus ſuis detuliſſet Davidis pietas. V. An credibile etiam, Dauidem hic ſine cauſa voluiſſe traducere parentes ſuos, matrem præcipuè, ob infirmitates vel peccata in ſui generatione ab iis admiſſa? Quin potius deflendo peccatum ſuum actuale meritò aſcendit ad originem ſui peccati, & illam etiam deflet coram Deo.

XIV. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Non gratis concedi, ſed concedendum omninò eſſe, Davidem de ſe & conceptione ſui in peccato loqui. 2. *κατὰ τὸ βίαιον*, eo ipſo quo de Davide hoc conceditur, conceditur illum in originali peccato conceptum eſſe, adeoque revera illud in ipſo fuiſſe. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, id peculiare fuiſſe Davidi, non commune eſſe omnibus. Nec enim cauſa ulla dari poteſt, cur hoc illi peculiare fuerit, nec enim alia fuit Dauidis generatio, vel conceptio, quàm eſt hominum aliorum. Et tanto minus hoc debuiſſet dici à Dauide de ſeipſo, quia ex legitimo conjugio, & à parentibus quidem piis, ut patet ex hiſtoria Iſai, fuerat progenitus. Quin potius, dum Dauid ſui peccati meminit coram Deo, ad communem ſibi cum omnibus aliis miſeriam aſcendit, & in ſua perſona coram Deo ſuo ob miſeram humani generis conditionem lamentatur, ne diſſimulare ulla ratione videatur ſuam corruptionem.

XV. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem*, ibi ſermonem non eſſe de actuali Davidis peccato. 2. *Per negationem*, ſermonem non eſſe de peccato ejus originali. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, immò implicatur *contradictio in adjecto*, & ſtatuitur *oppoſitum in appoſito*, aliquem in iniquitate formari, gigni, concipi, & tamen non eſſe iniquum. 4. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἐπίμετρον, & *parium*, alia enim ratio corruptionis quæ eſt ἀνάγκη, alia peccati, quod eſt ἀδίκημα: illa perſonalis eſſe poteſt, iſtud hic non item, quippe quod ſpeciei eſſe, & à cauſa communi vel univerſali, demonſtratum dabimus. Vt itaque tranſeunt principia & οὐσιώδη & ἐπουσιώδη, & *conſtitutiua* & *conſecutiua* naturæ ſpecificæ à parentibus in ſobolem, interdum etiam accidentia individualia tum *phyſica*, ob temperamenti ejuſdem, ex ἰδιοσυγκρασίᾳ quadam ſeminis, communicationem (prout Medicorum filii morbos & *cephalicos* & *arthriticos* & *nephriticos* hæreditarios ſtatuunt) tum *politica*, v. g. jura & onera familiarum, ſic tranſit etiam onus illud ſpeciale peccati & reatus. Haudquaquam verò tranſeunt *accidentia individualia*, vel merè *perſonalia*, vel *acquiſita*, quæ vel naturam non inficiunt, vel eam etiam inficientia unam duntaxat afficiunt perſonam. Alia verò peccati vel iniquitatis ratio, quæ inſtar lepræ à generante conciliatur generatio.

XVI. Ad 5. *Exc. Reſp.* 1. Dilemma iſtud ſecundum utrumque cornu retorqueri poſſe, κατὰ τὸ βίαιον. Vel enim *propriè* id à Dauide dicitur, vel *figuratè*. Si *propriè*, propriè datum fuit peccatum originis in Dauide, & ille in corruptione originaria conceptus fuit, nec quicquam cauſæ eſt, cur idem non dicatur de aliis. Sin *figuratè*, quia meminit caloris matris, alludendo ad phyſicum quod fœtus à matre habet fomentum, debet

 aliquid

aliquid analogum illi dari ratione peccati in quo eum mater velut caleſeciſſe & concepiſſe dicitur. 2. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον: Si propriè hoc de Dauide intelligendum ſit: ergo tantùm de Dauide intelligendum eſſe, quaſi id quod *per appropriationem* de uno ſubjecto dicitur, ſecundùm genus doctrinæ, ad aliud pertinere non poſſit: An ergo prædicata multa alia, quæ vel Pſalmo illo à Pſalte dicuntur vel alibi à Prophetis & Apoſtolis in ſua perſona efferuntur, per ſingularum *appropriationem*, non pertinebunt ad alios? Et hic lucta illa carnis & ſpiritus Paulo erit peculiaris, & boni certaminis certatio, & alia id genus.

XVII. Ad 6. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, & *non cauſa*: Quia Dauid non aſcendit altius ad peccatum Adami, originalem corruptionem ab eo haudquaquam deſignari. Aliud enim, loqui de ipſa corruptione originali; aliud, loqui de ejus prima origine; aliud, loqui de peccato *originante*; aliud, loqui de peccato *originato*. Satis, Dauidem de iſto loqui, etſi non loquatur de illo, quamvis hoc ipſum, ut *originatum*, præſupponat *originans*, & ejus participationem. 2. Adde, ſatis fuiſſe & *formaliter* deſcribi iſtam corruptionem, & *originaliter* ab origine immediata, non mediata, illa erat generatio Dauidis è parentibus ſuis peccato infectis, iſta eſt ejuſdem à primo parente deriuatio.

XVIII. Ad 7. *Exc. Reſp.* 1. Supponi, non probari, Scripturam iſto loquendi genere tantùm uti ad majorem malitiæ humanæ exaggerationem, cui velut innata videatur, haudquaquam verò ſit, quod eſt petere τὸ ἐν ἀρχῇ. 2. Κατὰ τὸ βέλτιον, quia Scriptura voluit iſto loquendi genere uti ad majorem malitiæ humanæ exaggerationem cui immerſus eſt, voluit ſimul deſignare ejus originem. Nec melius eam deſignare potuit, quàm aſcendendo à peccatis actualibus ad corruptionem originariam. Nec malitia iſta inde ab infantili ætate daretur in omnibus omninò mortalibus ſine corrupta illa origine. 3. Peccatur *Elencho parium* in locis parallelis, quę haudquaquam parallela ſunt, & peccatur fallacia plurium interrogationum, v.g. Pſalm. 58. 4. Aliud longè, aliquem eſſe *genitum in iniquitate & conceptum in peccato*, & quidem hoc dici de homine pio, ex piis parentibus in legitimo conjugio genito; aliud, improbos dici alienare ſe à verò & bono, & loqui mendacium inde *ab utero*. Poſteriora enim actus voluntarios & perſonales deſignant, prius non item. Poſterior phraſis מבטן ἐκ κοιλίας, ſanè interdum dicitur de ætate duntaxat tenera ut hoc loco, & Pſal. 71. 5. 6. Sic cap. 31. 15. Job teſtatur, pupillum ab adoleſcentia ſecum creuiſſe, & ſe deduxiſſe viduam *ab utero* matris ſuæ, h. e ſe jam à prima ætate ſingularem habuiſſe pupillorum & viduarum rationem. 4. Eſai. 48. 2. nihil tale habetur, verba verò verſu 8. κατὰ τὸ βέλτιον poſſunt retorqueri, reuera Iſrael fuit *tranſgreſſor ab utero*, ratione iſtius corruptionis originalis. Et ſanè Propheta vult dicere, populum iſtum ſemper & omni tempore fuiſſe prævaricatorem. Poſito etiam hîc phraſin iſtam intelligi de ipſis Eccleſiæ natalibus, vel de tempore eductionis Iſraelitarum ex Ægypto, quæ videtur velut quædam Eccleſiæ natiuitas, ſeparatio

quippe plena à miſtura gentilium, de qua ſermo Eſai.46.6. Jer.22.21. *ab incluſiva*, ut loquuntur Scholæ, malè ducitur argumentum *ad excluſivam*. 5. Locus Eſai.49.1. Κατὰ τὸ βίαιον etiam retorqueri poteſt, revera enim ibi introducitur Chriſtus, dicens, Deum Patrem manifeſtaturum eſſe extraordinariam vocationem, & officium ſuum, etiam tum cum eſſet adhuc futurus *in utero matris*, quod reipſa adimpletum, ut legimus Matth.1.20.21. & Luc.1.31. Adeoque & phraſis ab utero interdum deſignat ſtatum iſtum primum hominis inde à prima ejus origine. 6. Ioh.9.34. habetur verè dictum, etſi non de mente dicentium, hominem in peccatis natum eſſe, ſed non hoc iſtum hominem magis ſpectabat, quàm ipſos dicentes. Sic Deus ſæpè ex ore hoſtium ſuorum educit veritatem & laudem ſuam, ut Joh.11.31. Hic ipſe itaque locus retorqueri poteſt in Aduerſarios. Poſito etiam, non conceſſo, Judæos iſtos hoc tantùm intellexiſſe, inde à prima ætate hominem iſtum malum fuiſſe, ex hoſtium Chriſti ore non pendet rerum veritas, & illa ipſa malitia actualis præſupponeret habitualem & originalem, ut & ea quæ deſignantur locis aliis.

XIX. Ad 8. *Exc. Reſp.* 1: Ad locum Jobi cap.31.℣.14. reſponſum *theſi* ſuperiori & oſtenſum, à particulari ad univerſale non procedere conſequentiam, & peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἐπὶ μέρον. Hac phraſi apud Jobum non deſignatur originalis miſeratio, ergo alibi non docetur originalis corruptio phraſibus ſimilibus, immò ne alio quidem loquendi genere, quale adhibetur Pſ.51.7. nec enim eodem utitur Pſaltes loco à nobis citato. 2. Locus ex Pſalm.22.10.11. κατὰ τὸ βίαιον poteſt retorqueri reuera enim Pſaltes ibi deprædicat Dei erga ſe prouidentiam & gratiam, qui ſe eduxerit ex utero, & curam ſui geſſerit inde ab uberibus matris ſuæ, Deum etiam Deum ſuum fuiſſe inde ab utero, non ratione actualis vel cognitionis, vel fiduciæ Dauidis in ipſum, ſed ratione actualis protectionis & curæ Dei erga ſe. Peccatur itaque παρερμηνείᾳ iſtius loci. Nec ulla *hyperboles* hîc, vel cauſa, vel neceſſitas.

XX. Ad 9. *Exc. Reſp.* 1. Κατὰ τὸ βίαιον, poſito, Dauidem loqui de procliuitate ſua ad peccandum inde à ſui formatione; Ergo dabitur vitioſitas naturalis in Dauide inde ab illo tempore. Ipſa enim ad peccandum procliuitas peccatum eſt, & velut habituale quid, ex quo actualia omnia promanant. Et hæc vera eſt peccati Dauidici exaggeratio. 2. Supponitur falſum, Dauidem peccatum ſuum ſic voluiſſe minuere coram Deo; immò id potius exaggeratum voluit. Et ſanè piorum haudquaquam eſt, peccata ſua minuere vel excuſare coram Deo, ſed exaggerare potius. Hinc etiam Dauidi peccata ſua exaggeranti obtigit miſericordia, Sauli ea minuenti haudquaquam obtigit. 3. Exaggeratio vel imminutio peccatorum peti debet à veris fundamentis, non à falſis, adeoque dum Dauid ſe in iniquitate genitum, in peccato conceptum dicit, verum id eſſe debet, non videri tantùm. Et iſta quidem ſufficere poſſunt gloſſematibus *Volckelij* abſtergendis, & loco iſti vindicando, reuerâ Dauidem docere originale ſuo exemplo & in ſua perſona peccatum, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Argumenta reliqua reſervanda ad Exercitationem ſequentem.

DISPVTATIO III.

DE

PECCATO ORIGINIS.

THESIS I.

ARGVMENTIS *inartificialibus* pro peccato originali retrò à nobis & propoſitis & vindicatis, adjicienda adhuc cenſuimus ſequentia, & ea à corruptelis Adverſariorum vindicanda.

II. 6. *Locus* exſtat Job.14.4. *Quis edat mundum ex immundo? ne unus.* Ex quo loco varia arceſſi poſſunt peccato originali adſtruendo. Sermo hîc eſt 1. De *immunditie.* 2. De immunditie *interna* animi, non *externa* corporis, tum quia ob eam obnoxij reddimur judicio Dei, verſ.3. tum quia iſta immundities proponitur ut *inevitabilis*, hominem ſemper obnoxium reddens judicio Dei; tum quia de tali immunditie ſermo eſt, quam nemo hominum purgare vel auferre poteſt. Quæ ad externam immunditiem referri non poſſunt. 3. De immunditie *universali*, interrogatione negante, quis edat? h.e. nemo edet. Adeoque loquitur non de immunditie *actuali*, ſed velut *habituali*, nec enim illa univerſalis eſt, & excipiendi ſaltem infantes, qui nec peccant, nec peccare poſſunt ad ſimilitudinem tranſgreſsionis Adami. 4. De immunditie perpetuò *adhærente* homini, & ſe habente inſtar *entis permanentis*, non *transeuntis*. 5. De immunditie *hæreditaria*, & deriuata à parente in ſobolem. Iſta verò immundities interna inevitabilis, univerſalis, habitualis veluti & perpetuò adhærens homini eaque hæreditaria alia eſſe non poteſt, præterquam peccatum originale, quicquid ſubintelligendum ſit ſub nomine *adjectiuo* טמא, ſiue ſemen, ſiue homo.

III. *Exc.* 1. Sermonem eſſe figuratum & hyperbolicum. 2. Non prorſus univerſalem. 3. Jobum talem non fuiſſe, patere ex deſcriptione quam ſuppeditat cap.31. 4. Jobum non *abſolutè* loqui, ſed *comparatè*, comparatione hominum inſtituta cum Deo, ratione cujus omnes ſunt immundi. 5. Angelis etiam, cœlis ac ſtellis immunditiei contagionem adſcribi cap. 4.18.& 15.15.& 25.5. nec tamen creaturas illas originali peccato contaminatas eſſe. 6. Hominem immundum dici, quia ſit formatus ex materia vili & abjecta. 7. Difficultatem notari, non impoſſibilitatem puritatis.

8. Non doceri impuritatem illam profluereex peccato Adami.

IV. Sed nequicquam iſta omnia obtenduntur. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ. Immundities interna verè & propriè talis eſt, & *antonomaſticè* quidem, externa ſecundariò tantùm talis. Ut enim puritas mentis major eſt puritate corporis, interna externâ, ſic & impuritas interna ex adverſo major eſt externâ. Adde, illam impuritatem propriè talem eſſe, quæ opponitur & puritati Dei, & puritati imaginis homini à Deo inſitæ, qualis eſt peccatum. 2. Supponitur falſum, hìc hyperbolen dari. At illius nec cauſa hìc, nec neceſſitas, quum univerſalis iſta hominum omnium impuritas clariſſimis Scripturæ Sacræ dictis adſtruatur alibi, ut in ſuperioribus demonſtratum, & *à poſteriori* ex univerſali corruptione, & immunditie actuali pateſcit.

V. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Univerſalem hìc ſermonem eſſe de univerſali impuritate, demonſtratum *Theſi II.* 2. Idem patet ex interrogationibus id genus aliis, univerſalem negationem includentibus. Geminæ habentur & iteratæ quidem capitibus 38. & 39.

VI. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem,* Jobum talem non fuiſſe, ratione *gratiæ fœderalis* tum juſtificantis, tum ſanctificantis, quarum illa purgatus fuit à reatu, iſta à dominio iſtius immunditiei. 2. *Per negationem,* Jobum non fuiſſe natum immundum ex immundis parentibus, ratione *generationis naturalis.* 3. Peccatur etiam *ignoratione Elenchi*, quæſtio nobis eſt de impuritate originali, ſermo verò Jobi cap.31. de puritate actuali Jobi, ut patet ex v.5.7. & aliis, profecta non ex origine corrupta, ſed ex origine ſanctificata. Præterquam quod & *comparatè* intelligenda ſit iſta Jobi puritas actualis, non *abſolutè,* & κατὰ μέρος, non καθόλου. Ipſe enim alibi ſatis & agnoſcit & deflet immunditiem & corruptionem ſuam.

VII. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem, comparatè* homines omnes immundos eſſe reſpectu Dei, ob impuritatem tum originalem, tum actualem, tum habitualem, tum effectus eius. 2. *Per negationem,* hic ſermonem eſſe de hominibus tantùm *comparatè* reſpectu Dei, non *abſolutè.* At nulla prorſus mentio ibi ullius comparationis hominis *nati ex muliere,* adeoque ex ſe maledictioni obnoxij, per alluſionem ad maledictionem effuſam in mulierem, Geneſ.3.6. Quò etiam alludit Jobus cap.15.14. *Quid mortalis, ut mundus ſit, & ut juſtus ſit natus ex muliere?* Cui miſeriæ ſi accedat judicium Dei, verſ.3. omninò planè actum eſt cum homine id genus. Addit Jobus verſ.4. hominis conditionem aliam eſſe non poſſe: quum inde ab origine ſua immundus ſit, & ex immundis parentibus progenitus. Iſtam immunditiem & miſeriam hominis docet *à poſteriori* verſ.5. à triſti hominis exitu, & fatali mortis periodo.

VIII. Ad 5. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem*, & Angelis & cœlis & ſtellis aliquam impuritatis contagionem adſcribi. 2. *Per negationem.* impuritatem ibi ejuſdem ſpeciei intelligi cum humana, inanimatarum enim creaturarum impuritas ſpectari debet in genere *phyſico*, hominum in genere *morali.* 3. Peccatur παρερμηνείᾳ locorum allegatorum. Job. 4.18. dicitur

Deus

Deus *non confidere ſervis ſuis*, Angelis etiam, quippe in quorum parte lapſa *temeritatem* videt, in parte ſtante meram gratiæ confirmantis operationem per quam ſtant, quippe qui ex ſeſe etiam obnoxij fuiſſent temerario cuidam contra Majeſtatem ſuam auſui. Multò magis homo in ſtatu peccati & mortis debet agnoſcere, ſe non niſi per meram Dei gratiam coram throno ipſius conſiſtere poſſe. Sic Job. 15.15. & 25.5. *cæli* dicuntur *non eſſe puri in conſpectu Dei*, nec *Luna*, nec *ſtella*, *comparatè* nimirum, ratione perfectionis diuinę, cum qua perfectio corporum iſtorum phyſica, creata quippe & finita, haudquaquam conferri poteſt. Utut enim ſint *indefectibilia ab intrinſeco*, ut loquuntur Scholæ, non tamen talia ſunt *ab extrinſeco*. Et quamvis informentur *forma inamiſſibili*, informantur tamen ſemper, & iſta forma ſeparari poteſt à materia, immò cœli ab eadem potentia annihilari poſſunt, à qua conflati fuêre. Et ut nec Luna, nec ſtellæ ſplendorem habent, niſi adventitium: ſic minus homo ullam ex ſe lucem, ſplendorem ullum ex ſe habere poteſt, ſed ille totus pendet à Dei illuminantis lumine, & gratia.

IX. Ad 6. *Except. Reſp.* 1. *Per conceſſionem*, hominem immundum dici poſſe, eo quòd ſit formatus ex materia vili & abjecta, quæ immunda vocari poteſt *phyſicè*, comparatè ad creaturas perfectiores, nimirum Angelos, qui nullam ſuæ conſtitutionis materiam prorſus habent, nedum vitam, comparatè etiam ad cœleſtia corpora, quorum materia purior eſſe videtur & ſplendidior, non pulverea, nec diſſolubilis in pulverem. 2. *Per negationem*, tantùm ea de cauſa talem dici. Nec enim ט' טמא propriè deſignat immunditiem *phyſicam*, ſed vel *moralem*, vel *ceremonialem*, & vertitur à LXX. ordinariè per τὸ ἀκάθαρτον.

X. Ad 7. *Exc. Reſp.* Peti [illegible], difficultatem tantùm notari puritatis, non impoſſibilitatem. Oppoſitum ſupra demonſtratum, & patet ex comparatione aliarum interrogationum negantium id genus. Adde, ſi difficultas tantùm notaretur puritatis, non impoſſibilitas, non proceſſurum argumentum Jobi, qui univerſalem corruptionem & miſeriam generis humani deflet, quam excipit peccati ſtipendium, nimirum mors. Et ut iſta omnes omninò involvit, & ſingulos, ſic & impuritas illa eius cauſa.

XI. Ad 8. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem*, Dato, non conceſſo, non deſignari ibi iſtam impuritatem profluere ex Adamo, ſatis foret, affirmari ejus derivationem ex parente immundo. 2. *Per negationem*: eam non deſignari implicitè, & κατὰ τὸ πρᾶγμα. Aſcendendum enim ſemper à parente immundo ad aliam generationem, donec perveniatur ad primam. Et cauſa prima danda cur aliquis & immundum generet, & ipſe immundus ſit.

XII. 7. *Locus* eſt Johan. 3.5.6. *Niſi quis regenitus fuerit ex aqua & Spiritu, non introibit in regnum cœlorum, quia quod natum eſt ex carne, caro eſt.* Ubi habemus, 1. *Neceſſitatem regenerationis* ſupernaturalis, eamque univerſalem reſpectu omnium & ſingulorum hominum. Debet itaque dari generatio

uniuerſalis & naturalis corrupta, regeneratione iſta ſupernaturali opus habens. 2. *Vniuerſalitatem corruptionis* totius generis humani, quod vocatur *caro*, non *phyſicè*, ſed *ethicè*, tum quia alioquin id haudquaquam opus habebat aſſeveratione, ut per ſe notum, tum quia id commune hominibus cum beſtiis, tum quia caro hìc eo ſenſu ponitur, quo opus habet regeneratione & quà regeneratur, & quà excluditur è regno cœlorum, 1.Corinth.15.50. Sumitur itaque caro hìc in ſenſu *morali*, contradiſtinctè ſpiritui, adeoque pro parte non regenita oppoſita regenitæ, vel potius pro natura noſtra quà irregenita oppoſita illi quà regenitæ, quo ſenſu ſumitur ſæpe Rom.7. & habet tum φρόνημα ſuum, Roman.8.6. tum θέλημα, Johan.1. verſ.1. habet etiam deſideria ſua, Epheſ.2.3 & opera, Galat.5.19. 3. *Vniverſalitatem traductionis* iſtius corruptionis ex principio corrupto, adeoque conceptionem originariam vitioſam.

XIII. *Exc.* 1. Regeneratione opus hominem habere propter peccata actualia, & habitualia ultrò contracta, non propter peccatum originis, ſed propter ea quæ ipſe ſuo jumento ſibi conciliauit, & ipſo patrauit opere,& ab iſtis hominem regenerandum eſſe. 2. Regenerationem iſtam vocari figuratè generationem, figuratè itaque etiam hominem omnem carnem vocari. 3. Oſtendi tantùm, hominem & fragilem eſſe *formaliter* & *originaliter*, h. e. in ſe corruptioni & morti obnoxium eſſe, & ex principio tali ortum,h.e.hominem utpote natum ex principiatis & pluribus & diſſolubilibus, ipſum etiam fragilem eſſe, & in pulverem facilè reſolvi. Id verò non imputandum eſſe peccato, quaſi mors omnis peccati ſit ſtipendium, ſed quia eſt ſequela naturæ, & quia eo ipſo, quo aliquis naſcitur ex carne,ſit obnoxius iſti corruptioni.

XIV. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem* regeneratione hominem opus habere propter peccata & actualia & habitualia ultrò contracta. 2. *Per negationem*, eum ea habere opus excluſiuè, vel tantùm propter peccata actualia vel habitualia. Quum enim regeneratio ſit mutatio ipſorum principiorum ſiue facultatum hominis, intellectus & voluntatis, opus, ipſas facultates infectas eſſe,mentem tenebris,voluntatem prauitate.Et ab iſtis principiis vitioſis oriuntur duntaxat principiata vitioſa, ab originali corruptione, actualis, Matth.7.18. & 15.19.

XV. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem*, & *figuratè* regenerationem,generationem vocari, & figuratè omnem hominem vocari carnem tum *ſynecdochicè*, tum *metonymicè*. 2. *Per negationem*, od id nec hominem verè immundum eſſe naturâ ſuâ, nec verè mutatione ſpirituali opus habere,deſignatá termino *metaphorico*.

XVI. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. *Per conceſſionem*, demus, fragilitatem & *formalem* & *originalem* deſignari, κατὰ τὸ βίαιον, quia iſta fragilitas & univerſalis eſt, & connata homini, debet dari uniuerſale & connatum eius principium, quod aliud eſſe non poteſt, quàm peccatum originis. 2. *Per negationem*, fragilitatem iſtam *phyſicam* pro cauſa proxima habere diſſolubilitatem principiorum. Immò pro ea habet *malum ethicum*, quo potentia

remo-

remota diſſolubilitatis deducta fuit in actum, natura cæteroquin conſervanda partim per animæ ſanctæ temperiem, partim per ſymbolicam vitæ arborem & ſuccum ejus, ſacramentum vitæ. 3. Peti τῇ ψυχῇ, mortem omnem ſive *externam*, ſive *internam*, ſive *æternam* non eſſe ſtipendium peccati, ſed ſequelam naturæ. Id enim diſertè arietat in verba Pauli, Rom.6.23. Nec enim naturæ ſequela eſt, quod eſt naturæ deſtructivum, & à quo natura abhorret, niſi natura intelligatur non quà creata, ſed quà corrupta, & quia talis. 4. Datur, eo ipſo quo quis naſcitur ex carne, illum fieri obnoxium iſti corruptioni, ſed ex carne quà corrupta non quà creata. Reſtat unus vel alter adhuc locus huic argumento adſtruendo excutiendus Exercitatione ſequente.

DISPVTATIO IV.

DE
PECCATO ORIGINIS.

Thesis I.

IMMORAMVR *argumentis inartificialibus* è Scripturæ Sacræ deductis peccato originali adſtruendo, tum ob materiæ gravitatem, tum ob crebras Adverſariorum argutationes, quibus & argumentum ipſum, & ejus ex hoc fundamento probationes impugnatum eunt, ne quid ad plenam hujus materiæ ἐξεργασίαν deſiderari poſſit.

II. VIII. Sacræ Scripturæ locus exſtat Rom.5.12. *Sicut per unum hominum peccatum in mundum introiit, ac per peccatum mors, ita in omnes homines mors pervaſit, in quo omnes peccarunt.* Quum in his verbis præcipua peccati originalis ſedes ſit, & κατασκευῇ opus eſt, & ἀνασκευῇ ad eorum vindicias.

III. Ad κατασκευὴν iſta notanda: 1. Apoſtolum neceſſitatem reconciliationis noſtræ cum Deo, per ſecundum Adamum, probare ex ſeparatione noſtri à Deo per primum Adamum, Deum nimirum voluiſſe ſimilem illius rationem eſſe, quæ iſtius fuit, uno unius hominis lapſu omnes peccato infectos fuiſſe, unius etiam obedientia omnes ab eo liberari. Comparationis itaque πρότασιν hic proponit Apoſtolus & verſu 18. & 19. ejus ſubjicit ἀπόδοσιν, verbis reliquis per παρένθεσιν interjectis, elucidandæ comparationi ſimul & oppoſitioni primi & ſecundi Adami. 2. Apoſtolum meminiſſe peccati primi, nimirum *originantis*,

in *complexo* conſideratæ, ratione ἀταξίας univerſalis, intercedentis in actibus internis mentis, voluntatis & appetitus, & in actibus externis & ſenſitivæ potentiæ & locomotivæ. Qui omnes generalibus vocabulis tum ἁμαρτιῶν, exprimuntur, tum ἁμαρτάνειν vel ἁμαρτήματος. 3. Peccatum illud ingreſſum dici per unum hominem, vel ἐξοχικῶς vel ἀντονομαστικῶς, ſic dictum, vel *uno tranſſumptivè* poſito, pro *primo*, prout אחד interdum idem eſt quod ראשון πρῶτος *primus*. 4. Peccatum ingreſſum dici non à Deo creante, ſed per hominem ſe à ſuo Creatore ultrò avertentem, non eſſe itaque aliquid κτιστὸν, ſed παρείσακτον, & quod velut clam ſe illatebravit in mundum. 5. Id dici ingreſſum in *Mundum* non tam ſumptum *ſyſtematicè* vel *ſubjectivè*, quàm *metonymicè* pro mundi incolis, exponitur enim in ſequentibus per omnes homines, quamvis ſecundariò etiam in mundum ingreſſum fuerit, & eum vanitati objecerit, ut patet ex Roman. 8. 19. 20. &c. velut per contagionem aliquam. 6. Per peccatum mortem ingreſſam dici nimirum tum *externam* vel corporalem, tum *internam* vel ſpiritualem, tum *æternam*, nec tantùm mortem actualem, verùm etiam obnoxietatem & obligationem ad mortem, & potentiam proximam moriendi. 7. Mortem pervaſiſſe in omnes & perſonas humanas, & naturali generationis ſerie ex uno iſto ſanguine primi iſtius Adami eductas, quæ omnes, ne infantibus quidem exceptis, morti obnoxiæ redditæ, à qua obnoxietate nec Enochus, nec Elias in cœlum rapti ex ſe liberi fuêre, nec transmutandi aliquando in decretorio illo die, 1. Cor. 51. 52. Nec pervaſit ad omnes per imitationem, quippe quod peccatum primi hominis innumeris ignotum fuit, nec ſic ad infantes pervadere potuit, ſed per participationem potius culpæ & per propagationem reatus. 8. Cauſam ſubjici & infectionis iſtius generalis per culpam, & conſequentis miſeriæ per pœnam, quod in primo iſto homine omnes peccarint, ut ἐφ' ᾧ idem ſit quod ἐν ᾧ, prout omnes dicuntur mortui ἐν τῷ Ἀδὰμ in Adamo, 1. Cor. 15. 22. prout etiam phraſis illa ſumitur Marc. 2. 4. Luc. 5. 5. Act. 4. 16. 1. Cor. 8. 11. Heb. 9. 4. Dato etiam, τὸ ἐφ' ᾧ non eſſe intelligendum *ſubjectivè*, vel *relativè*, ſed *cauſaliter*, eo quod res accideret, cauſa enim redderetur, cur & qui mors in omnes omninò & ſingulos pervaſerit, quia videlicet omnes peccarunt, non ſuo peccato, quippe quod haudquaquam commune omnibus. ꝟ. 14. Nempe uno itaque omnes peccatura illud primi hominis peccaſſe cenſeri debent, unde Apoſtolus toties ἑνὶ παραπτώματι & *unius hominis* ... inculcat, quod ingreſſum eſt primum in mundum, & per ... pervenit in omnes ad condemnationem non *effectivè* tantum ſed etiam *meritoriè*. Quibus in ſequentibus prolixius vindicandum erit.

V. Habemus itaque in hoc loco, 1. Vniverſalem omnium omnino hominum ſine exceptione corruptionem. 2. Corruptionem derivatam inde à primo homine. 3. Corruptionem derivatam non per imitationem peccati Adami, de quo quippe infantes nihil unquam audivere. Ergo per participationem culpæ primi hominis. 4. Obnoxietatem

tem omnium omninò hominum & obligationem ad mortem, infantium etiam actu non peccantium. 5. Participationem & propagationem peccati & mortis ex uno homine reſpondentem participationi & propagationi juſtitiæ & vitæ ex uno homine. Omnes itaque & ſinguli participes ſunt peccati admiſſi à primo homine, qui *ſupponebat* pro omnibus, adeoque omnes naſcuntur & mali & miſeri, cum culpa & cum reatu vel obnoxietate ad pœnam. Demeritum enim in quo naſcuntur omnes, trahit ex ſe privationem imaginis divinæ, homini primò pro ſe & poſteritate ſua collatæ, & contrariæ imaginis Sathanæ ſubſtitutionem, adeoque & tenebras mentis & averſionem voluntatis ac affectuum à Deo, omniumque iſtarum facultatum συῤῥάξιν & conturbationem.

V. *Exc.* I. Adami peccatum poſteris imputari, nullo nec rationis, nec Scripturæ divinæ præſidio confirmari. II. Verba ἐφ' ᾧ non ſolum poſſe, ſed etiam debere converti *quatenus*, ut *Eraſmus* convertit, vel *eo quod*. 1. Paulum enim alibi quoque vel iiſdem de ſimilibus vocibus cum eadem ſignificatione uti, Rom. 8. 3. 2. Cor. 5. 4. Hebr. 2. 18. 2. Idem evincere ſtructuram verborum, quæ inepta aut nulla planè eſſet, ſi iſtæ duæ voces in quo ita eſſent accipiendæ, ut ad hominis vocabulum referrentur. Si enim dictio *quo* tanquam *relativum* ad vocem hominis reſpiceret, omninò proximè, nullaque oratione interjecta, illi adjuncta fuiſſet. Sic autem poſita, ut ad vocem hominis referatur, nullius linguæ uſum pati. 3. Si particula *quo* ad hominem ſuprà notatum reſpectum haberet, non *in quo*, Apoſtolus dixiſſet, ſed *in eo*. 4. Si ita ſe res haberet: Apoſtolum uſurum fuiſſe non præſuppoſitione ἐπὶ, ſed ἐν. Nec enim quum aliquid in aliqua re vel perſona, aut per eam factum ſignificatur, dici ſolet ἐπ' αὐτῷ ſed potius ἐν αὐτῷ id eſſe factum. Nec dici poſſe ἐπὶ pro ἐν eſſe poſitum, id enim ſine ratione & cum principii petitione affirmantibus negandum eſſe: Non ergo quia peccatum Adami illis imputatum ſit, dici mortem pertranſiiſſe in omnes, ſed *quia* vel *quatenus* omnes peccaverint. III. De proprio & actuali ipſorum hominum peccato, ſermonem eſſe, non verò de imputatione peccati alieni. Apoſtolum enim dictum ſuum declaraturum ac confirmaturum ſtatim ſubjicere: *Nam uſque ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputari non exiſtente lege.* Ex his verbis conſtare, de peccato actuali adverſus quod lex Moſaica lata eſt, quodque ipſi Adami poſteri patrarunt, ſermonem eſſe. IV. Non magis de imputatione peccati Adami ſermonem eſſe Apoſtolo, quàm in ſequentibus ei ſermo eſt de imputatione juſtitiæ Chriſti. V. Ut in altero collationis membro vera & ab hominibus ipſis præſtanda obedientia ex Pauli mente intelligenda eſt: Sic hic intelligendam eſſe veram & ab hominibus ipſis præſtitam inobedientiam. VI. Nec oppoſitum probari ex eo quod Paulus addat: Ut unius delicto multi conſtituti ſunt peccatores, ſic unius obedientia multos juſtos conſtitutos fuiſſe. Nec enim hic intelligendam eſſe imputationem illinc quidem peccati ab Adamo commiſſi, hinc obedientiæ à Chriſto præſtitæ. Hunc enim verborum Pauli ſenſum eſſe, ideò ob

Adami debitum omnes conſtitui peccatores, id eſt, morti æternæ obnoxios, quia ex illo ſint nati, ideoque in eodem cum illo ſtatu poſiti, haud ac aliter illos, qui ex Patre, ſceleris cujuſdam cauſa in ſervitutem tradito, prognati ſunt, eandem conſtitutionem ſubire neceſſe eſt, non quod ſcelus paternum illis imputetur, ſed quia ita fert ipſius geniture vis & natura. Idem de illis ſentiendum eſſe qui ex Chriſto per obedientiæ imitationem ſunt geniti. Nam ut Chriſtus ſpiritualis noſter Pater per obedientiam vitæ ſempiternæ poſſeſſionem adeptus eſt, ita ab ipſo per fidem & obedientiam nati eundem divinum ſtatum aſſequentur, non imputationis, ſed ſpiritualis generationis ratione habita. Quæ totidem ſunt exceptiones *Iohannis Volckelii* Sociniani, lib. v. de vera, ut ſcribit, Religione cap. xxi.

VI. Nequicquam verò iſta omnia vel illationi noſtræ, vel argumentis ex loco iſto Pauli ductis obtenduntur. Speciem quidem habent, vim verò haudquaquam habent. Ad I. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *falſa hypotheſi*, rationis præſidio ut *fundamento* credendorum nobis in myſteriis id genus neceſſariò opus eſſe, ſatis verò, habere nos præſidia Scripturæ, quibus ea eruenda, & quibus ea ſuperſtruenda, quamvis adhibito uſu rationis ut *inſtrumento*. 2. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, vel rationis hic præſidia nobis deeſſe, vel Scripturæ. Oppoſitum partim retrò oſtenſum, partim adhuc oſtendendum.

VII. Ad II. *Exc. Reſp* 1. Per συγχώρησιν, verba ἐφ᾽ ᾧ *poſſe* converti *quatenus*, vel *eo quod*, idque ſine ullo cauſæ noſtræ præjudicio, ut demonſtratum Theſi III. illa ipſa enim verſione admiſſa, firma ſemper manet peccati originalis ex iſto loco eductio. 2. Per ἄρνησιν, ita *debere* verti. Oppoſitum etiam ſupra demonſtratum eâdem *Theſ.*

VIII. Ad I. *Rat. Reſp.* 1. Peccari *Elencho ex particularibus*: Paulus alibi iiſdem vel ſimilibus vocibus, eadem ſignificatione utitur: Ergo & hoc loco. Atqui & alibi alia ſignificatione iiſdem vel ſimilibus vocibus utitur. Idem ergo eodem planè jure nobis inde inferre licebit. Loca ſupra oſtenſa *Theſi* III. ex 1. Corinth. 8. 11. & Hebr. 9. 17. 2. Supponitur falſum, Rom. 8. 3. occurrere τὸ ἐφ᾽ ᾧ habetur enim ibi τὸ ἐν ᾧ. Dato etiam, phraſin iſtam in *ſenſu cauſali* iſtic loci adhiberi, à particulari nulla datur illatio ad univerſale, vel ad particulare aliud. 3. Locus 2. Corinth. 5. 4. retorquetur κατὰ τὸ εἶναι, nec enim ἐφ᾽ ᾧ ibi ſumi debet in *ſenſu cauſali*, ſed in ſenſu ἀναφορικῷ, vel *relativo*, nec ibi ſignificat ἐπειδὴ *quoniam*, ſed referendum eſt ad vocem σκήνους tabernaculi præcedentem, ut ſit ſenſus ἐφ᾽ ᾧ *in quo* ſcilicet σκήνει *tabernaculo* quamdiu ſumus, non cupimus *eo exui*, ſed *ſuperindui*, hoc eſt, non faſtidimus vitam præſentem quamvis anhelemus ad futuram. 4. Locus Hebr. 2. 18. etiam ἀπροσδιόνυσος eſt, tum quia ibi non habetur ἐφ᾽ ᾧ ſed ἐν ᾧ, tum quia id ἀναφορικὸν eſſe poteſt, vel relativum ad παθήματα Chriſti, partim *corporea*, ut famem, ſitim, cruciatus, partim *ſpiritualia*, ut tentationes, probra, convitia; tum quia dato etiam, non conceſſo, verba illa in *ſenſu cauſali* ſumenda eſſe, ex uno loco ut particulari

non

non datur ſolida illatio ad alium: tum etiam, quia ne *ſenſus* quidem *cauſalis* particularum ἐφ' ᾧ ullum ſententiæ noſtræ, ut demonſtratum, adfert præjudicium. Adde ſenſum convenientiſſimum iſtorum verborum dari, Hebraiſmo obſervato, ut ἐν ᾧ reſpondeat τῷ באשר Hebræorum, *in quo*, hoc eſt, *per quod*, pro, *per quæ*, numero ſingulari poſito pro plurali, hoc ſenſu: conveniens fuit Chriſtum reddi ſimilem fratribus ſuis, non tantùm quoad proprietates, ſed etiam quoad miſerias & infirmitates ἀσθενείας naturæ humanæ, ut illarum ipſarum intuitu in membris ſuis excitaretur ad commiſerationem & auxilium, & ut ſummus ſacerdos fidelis à Deo in domo ſua conſtitutus, propitiationem convenientem Deo pro eorum peccatis offerret. Ad quam commiſerationem eò magis proclivis eſt, quia ipſe in tentatione ſui in terris ſimilia expertus fuit, adeoque ſuis in iis ipſis malis in tentatione conſtitutis auxilium ferre poteſt, ut jam in gloriam receptus.

IX. Ad 2. *Rat. Reſp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, id ipſum verborum ſtructuram exigere, vel ineptam eam fore, aut nullam, ſi τὸ ἐφ' ᾧ referatur ad τὸν κόσμον. 2. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον illud ἐφ' ᾧ ad hominem referri non poſſe, eo quod quædam interjectá ſint. At nihil frequentius παρενθέσεις apud Paulum. Nec eidem Apoſtolo infrequens particularum id genus relatio ad remotiora. Sic v.g. 2.Theſſ.2.9. οὗ ἐστιν ἡ παρουσία refertur non ad τὸν κύριον: quod immediatè præcedit, ſed ad τὸν ἄνομον quod ſubjectum remotius eſt: Vel itaque procedit καθόλου aſſertio Adverſarii, talia ſemper ad immediatè præcedentia referri debere, vel non. Si prius, falſa eſt. Si poſterius, inconſequens eſt. 3. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, nullius linguæ uſum ejuſmodi conſtructionem pati.

X. Ad 3. *Rat. Reſp.* 1. Supponi, non probari, aliter hoc exprimendum fuiſſe Apoſtolo, & dicendum non *in quo*, ſed *in eo*. Eadem enim utriuſque phraſeως vis, & integrum eſt Spiritui S. mentem ſuam efferre pro arbitrio. 2. Illud ἐφ' ᾧ appoſitè admodum refertur ad ἄνθρωπον illum, de quo prius ſermo erat inſtitutus.

XI. Ad 4. *Rat. Reſp.* 1. Peccari falſa ſuppoſitione, Apoſtolus enim promiſcuè & pro ſua libertate phraſes adhibet, quas ipſi adhibere placet. Nec ad has anguſtias arctantur Scriptores humani, minus θεόπνευστοι arctari debent. 2. Gratis etiam ſupponitur, non probatur, quando aliquid in aliqua re vel perſona, aut per eam factum ſignificatur, dici ſolere ἐν αὐτῷ id eſſe factum; Id enim vel *univerſaliter* affirmatur, vel *particulariter*, Priori modo falſum, poſteriori inconſequens eſt. Oppoſitum patet exemplis variis. Sic verbi gratia, Marc.2.4. ἐφ' ᾧ ponitur pro ἐν ᾧ. Sic ad Hebr.9.17. ἐπὶ νεκροῖς ponitur pro ἐν νεκροῖς. Sic Matt.17.16. ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων pro ἐν στόματι. Immò ſi propoſitio ἐπὶ ponatur pro κατὰ & πρὸς & διὸ & μετὰ, cur non poſſit adhiberi pro ἐν præpoſitione magis ſibi cognata? Nec præpoſitionum iſtarum permutationem novam eſſe, etiam Atticis Scriptoribus noſſe debuit *Volkelius*. Minus mira videri debet Scriptoribus ſacris, Hebræorum ב promiſcuè exprimentibus, interdum per

ἐν, interdum per ἐπὶ ſic εἰς ſæpe habent pro ἐν ut Matth. 2. 23. & 13. 52. Marc. 1. 9. & 2. 1. cur non & ἐπὶ? 3. Nequicquam denuò aſſeritur, Apoſtoli mentem eſſe, mortem dici pertranſiiſſe in omnes, quia vel quatenus omnes peccarint, peccatis nimirum actualibus. Id enim eſt petere τὸ ἐν ἀρχῇ. Et revincitur ex verſ. 14. ubi mentio eorum qui non peccant ad ſimilitudinem peccati Adami, hoc eſt, actualiter, qui tamen peccato involvuntur. 4. Peccatur *Elencho oppoſitorum*, non quia peccatum Adami omnibus imputatum ſit, dici mortem pertranſiiſſe in omnes, ſed *quia*, vel *quatenus* omnes peccarint. Eo ipſo enim omnes peccarunt, & peccaſſe cenſentur, quatenus id omnibus imputatur. Ratio probationis invicta eſt, quia alioquin falſum erit, omnes & ſingulos peccaſſe, cùm infantes recens nati non peccarint, peccatis nimirum actualibus & perſonalibus.

XII. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, de proprio & actuali hominum peccato ſermonem eſſe, ob rationem jam datam, quum agatur de peccato uno, & de peccato univerſali, τῷ τοῦ παραπτώματος & quidem unius hominis oppoſiti uni homini, de quo etiam Apoſtolus agit in ſequentibus. Tale verò dari non poteſt, niſi peccatum illud primum omnibus imputetur, & ob iſtam imputationem natura in omnibus vitietur. Nec enim peccatum proprium & actuale univerſale eſt, vel eſſe poteſt reſpectu omnium. 2. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid*, peccatum enim illud primum *alienum* dici poteſt, & *proprium*: *proprium* quidem, quatenus actus ille cenſetur *perſonalis* Adami actu peccantis: Alienum verò, quatenus cenſetur *ſuppoſuiſſe* pro toto genere humano, ut *principium* ejus tum *radicale* vel *ſeminale*, tum *repræſentativum*. 3. Peccatur *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον, ſequi ex verbis verſus 13. ſequentis, Apoſtolum verſu 12. loquutum eſſe de peccato actuali, adverſus quod lex Moſis lata eſt, & quod ipſi Adæ poſteri actu nimirum ſuo perſonali, patrarunt. Id enim haudquaquam ſequitur ex verbis Apoſtoli, ſed oppoſitum potius. Quum enim Apoſtolus dixiſſet, omnes in Adamo peccaſſe, & hoc durum videri poſſet, probat id Apoſtolus ex eo, quod originaria iſta corruptio *à poſteriori* innotuerit omni tempore per peccata actualia, quæ ante legem ſcriptam, & tota illa periodo antecedente legem jam per orbem terrarum graſſabantur, quæ ſanè non poſſunt non arguere corruptum principium in omnibus. Et ἄχρι γὰρ νόμου ponitur pro, καὶ γὰρ ἄχρι νόμου. Et quia peccatum univerſale fuit, in iſta etiam periodo debuit dari lex quædam anterior lege ſcripta, cujus violatio omnes peccato involverit, talis verò non poteſt dari niſi lex illa primogenia primo homini à Deo inſculpta. Ut ut itaque ỳ. 13. ſermo ſit de peccatis actualibus manifeſtantibus corruptam illam originem omnium, tantùm abeſt ut inde ſequatur verſu 12. ſermonem non eſſe de peccato primo & uno, quod omnes peccarunt, ut contrarium inde probetur per progreſſum *à poſteriori* ad *prius*. Poſſet etiam dici, hanc Apoſtolo mentem eſſe, dixerat, omnes peccaſſe in Adamo. Proclive erat excipere, hoc dari non poſſe, quum enim peccatum ſit tranſgreſſio legis, & lex innumeris non data fuerit, nec ferri potuerit ætati

ætati infantili, qui nulla lege præſuppoſita poſſit dari univerſalis in omnibus tranſgreſſio. Oſtendit Apoſtolus, ſe non hoc intelligere de peccatis actualibus ſingulorum, ſed de peccato uno communi omnium, & trangreſſione univerſali legis in primo homine datæ toti generi humano. 4. Idem Apoſtolus probat ℣. 14. ſequente per univerſalem mortis in omnes & ſingulos tyrannidem, etiam infantes, qui non peccant *ad ſimilitudinem peccati Adami*; adeoque qui non peccare cenſentur peccato actuali ſimili peccato Adami, ſed originali. *Inſt.* Intelliguntur illi qui non peccarunt peccatum admiſſum in legem aliquam ſcriptam præciſè & expreſsè, qualis fuit lata Adamo. *Reſp.* Peccari παρερμηνεία verborum Pauli, qui verbis ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδὰμ non loquitur de *objecto*, contra quod peccatum, quod illud utrobique ſit diverſum, ſed de *forma* ipſius peccati, quæ diverſa ſit, ex una parte peccatum originale, ex altera actuale. Ὁμοίωμα παραβάσεως datur in omni actuali peccato, ſive in legem ſcriptam ſive in legem naturæ impreſſam datur, non verò datur inter originale peccatum & actuale. Utrinque τεκμήριον dat demonſtrationem τοῦ διότι à *cauſa* ad *effectum*, ſi illic dat demonſtrationem τοῦ ὅτι ab *effectu* ad *cauſam*.

XIII. Ad 4. *Exc. Reſp.* 1. Κατὰ τὸ ῥητόν, ut in ſequentibus ſermo eſt de imputatione juſtitiæ ſecundi Adami, ſic hîc ſermo eſt de imputatione peccati primi Adami. Et utriuſque imputatio & maleficii primi & beneficii ſecundi Adami clariſſimè docetur ab Apoſtolo. Petitur itaque τὸ ἐν ἀρχῇ à Socinianis, id hîc ſine fundamento urgentibus, quod eſt πρῶτον illorum ψεῦδος. Unde etiam patet, periculosè negari imputationem primi peccati, quam inde facile ſit Socinianis progredi ad negationem imputationis juſtitiæ Chriſti.

XIV. Ad 5. *Exc. Reſp.* 1. *Per negationem*, in altero collationis membro ſermonem eſſe de vera & ab hominibus ipſis præſtanda obedientia, ex mente Pauli. Sermo enim diſerte περὶ ἑνὸς δικαιώματος quod ad omnia ſecundi illius Adami membra vel ad totum ejus corpus myſticum pertingit, ad juſtificationem vitæ. Sic Apoſtolus ibidem τῇ ὑπακοῇ τοῦ ἑνὸς ſecundi hominis opponit diſerè τὴν παρακοὴν τοῦ ἑνός. 2. *Per concesſionem*: veram & ab hominibus ipſis præſtitam obedientiam requiri *à juſtificatis* nimirum, per τὸ δικαίωμα ſecundi Adami, haudquaquam verò *à juſtificandis*, ut materiam vel cauſam meritoriam noſtræ coram Deo, juſtificationis. 3. Peccatur *Elencho à dicto ſecundum quid*. Alia enim ratione peccatum illud primum fuit peccatum perſonale Adami, alia ratione peccatum fuit peccatum univerſale & inobedientia præſtita ab omnibus. Illo modo quo primus homo conſideratur ut perſona ſingularis, iſto prout conſideratur ut principium & *ſeminale* & *repræſentativum* totius generis humani.

XV. Ad 6. *Exc. Reſp* 1. *Per negationem*, oppoſitum non probari ex eo, quod Paulus addit, ut unius delicto multi ſunt conſtituti peccatores, ſic unius obedientia multos juſtos conſtitutos fuiſſe. Nec ibi intelligendam eſſe imputationem illius peccati ab Adamo commiſſi, hic obedien-

tiæ à Chriſto præſtitæ. Id enim veriſſimè dici ex tota antitheſi ab Apoſtolo inter ſecundum & primum Adamum inſtituta patet. 2. Petitur τὸ ἐν ἀρχῇ, hunc tantùm eſſe ſenſum verborum Pauli, ideo ob Adami delictum omnes conſtitui peccatores, id eſt, morti æternæ obnoxios, quia ex illo ſint nati, ideoque cum illo in eodem ſtatu poſiti, ut illi qui ex patre facinoroſo & ſervo nati ſunt, eandem conſtitutionem ſubeunt, ſine imputatione ſceleris paterni, ex genituræ ipſius vi ac natura. Peccatur verò παρερμηνείᾳ verborum Pauli, quia niſi omnibus peccatum Adami imputetur; pœna omnibus inflicta, juſta eſſe non poteſt, nec illi poſſunt reddi ob id morti obnoxii ſine ſumma injuſtitia. Nec participatio pœnæ coràm Deo juſta eſſe poteſt ſine participatione culpæ & reatus. 3. Peccatur *Elencho parium.* Alia ratio filiorum ob patris crimen pœnæ quidem, ſed non culpæ affinium, quum pœnæ in reos transfuſio inter homines dari poſſit, quorum nec voluntas nec praxis ſemper juſta eſt, idem verò de juſtitia Dei & judicio, quod ſecundùm veritatem eſt, dici nec poteſt, nec debet. Adde, pœnam iſtam filiorum ex patre ſcelerato natorum inter homines ἀτύχημα eſſe, non ἀδίκημα, pœna verò infantum ex Adamo natorum ἀδίκημα etiam, eſt, non ἀτύχημα tantùm. 4. Κατὰ τὸ βίαιον, qui hoc fert genituræ vis & naturæ, niſi ex ordinatione gratuita Dei, unum hominem reddente depoſitarium ſui fœderis, & omnes cenſente in uno? 5. Τὸ ἐν ἀρχῇ, aliquos ex Chriſto per imitationem obedientiæ gigni, debent enim gigni à Deo antequam imitentur obedientiam Chriſti, prout opus, mortuum reſuſcitari, arborem bonam fieri, antequam vel vitæ actus ab illo, vel boni fructus ab iſta exſpectari queant. 6. Falſum ſupponitur, nos per fidem & obedientiam ex Chriſto naſci, opus enim nos ex Chriſto naſci, antequam vel fidem vel obedientiam præſtemus. Ut nemo operatur malum, niſi malus, ſic nemo operatur bonum ſupernaturale, niſi regenitus. 7. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid*, nos ſpiritualis generationis ratione divinum ſtatum aſſequi, præterquam enim quod ipſa ſpiritualis regeneratio eſt ſtatus divinus, ſi per ſtatum divinum intelligat *Volckelius* vitæ æternæ poſſeſſionem, datur nos illam aſſequi ſpiritualis generationis ratione habita, ut *medio* vel *conditione ſine qua non*, haudquaquam verò ut *cauſa meritoria*, quum ſpiritualis regeneratio in nobis imperfecta ſit, nec proportionata divino ſtatui aſſequendo, qui aliunde nobis acquiri non poteſt, niſi per juſtitiam perfectiſſimam vel noſtram & propriam *modo legali*, quod omnibus hominibus jam impoſſibile eſt, vel alienam, quæ imputatione noſtra fiat, *modo evangelico*. Et iſta quidem ad hujus etiam loci nobiliſſimi vindicias dicta ſufficiant, quem ſalvum nobis conſtare magni intereſt, quippe qui & baſis eſt iſtius doctrinæ neceſſariæ in Eccleſia Dei, & variis Adverſariorum argutationibus vel inprimis peti ſolet.

DISPUTATIO
DE
PECCATO ORIGINALI.

Theſis I.

ARGUMENTUM de primo peccato quod fuit *peccatum originans* excipit conſideratio *peccati originati*, vel *orti*, quod duplex eſt, *originale* & *actuale*. De utroque compendio nobis ex ordine, & hîc quidem de *originali*, agendum.

II. De peccato *Originis* duo diſcutienda, 1. Quæſtio *An ſit*. 2. Quæſtio *quid ſit*.

III. Quæſtionem, *An ſit*, decidimus 1. Argumentis *inartificialibus*. 2. *Artificialibus*. *Inartificialia* ſunt loci Scripturæ: *Artificialia* rationes ſecundùm eam. Utraque peccatum originale adſtruunt κατὰ πρᾶγμα, quamvis illud non adſtruant κατὰ ῥῆμα. Nec verò hærendum *termino technologico*, ſed rei per eum deſignatæ, quam Scriptura exprimit *notionibus* aliis *carnis*, *peccati antonomaſticè* dicti, *peccati peccantis*, *mali inhabitantis*, *veteris hominis*, *legis membrorum*, Joh.3.6. Rom.6.6. & cap.7.15.17.23. Gal.5.17.19. Eph.4.22.

IV. Argumenta *inartificialia* ſunt, 1. *Aſſertiones* de communi omnium peccato in perſona Adami admiſſo, quod & *omnes in eo peccarint*, Rom.5.12. & per *inobedientiam unius hominis peccatores ſint conſtituti*, Rom. 5.19. & quod per unius lapſum reatus venit in omnes homines ad condemnationem, v.16. 2. *Querelæ* de innata homini corruptione inde ab utero, quod homo in *iniquitate* concipiatur, & in *peccato* foveatur à matre, Pſ.51.7. quod homo ſit tranſgreſſor ab utero, Eſa.48.8. quod quicquid *ex carne* natum eſt, *caro* eſt, Joh.3.6. quod *omnes* ſumus *natura filij iræ*, Eph.2.5.

V. Argum. *artificialia* duci poſſunt, 1. A *neceſſitate univerſali redemptionis*, etiam infantium in prima ætate exſtinctorum, in Chriſto, quum nemo ſine eo poſſit venire ad Patrē, & ille unus ſit via, veritas, & vita, Ioh.14.6. 2. A *neceſſitate univerſali regenerationis*, Ioh.3.3. 3. A *neceſſitate univerſali mortis*, quæ eſt ſtipendium peccati, cui ipſi infantes in utero obnoxij. Rom.6.26. At nec mors ſequela eſt naturæ integræ, ſed corruptæ, nec pœnæ locus, ubi culpæ nullus eſt. 4. Ab univerſali *principiatorum* corruptione quæ arguit univerſalem *principij* corruptionem, Gen.6.5. & 6.8.2. 5. A *Sacramenti* pro infantibus etiam recens natis inſtitutione, circumciſionis in Veteri baptiſmi in Novo Teſtamento, quo iis haudquaquam opus foret,

niſi ob demeritum & inhærentiam peccati, & rei forent, & mali. 6. Ex *communi lege*, omne genitum eſſe ſimile gignenti tum quoad ſpeciem, tum quoad accidentia ſpeciei propria.

VI. Quæſtionem, *Quid ſit* peccatum originale, decidemus, 1. *Definitione*. 2. *Explicatione* tum *definiti* tum *definitionis*. *Definitio* eſt, peccatum originale eſſe, partim primorum parentum inobedientiam omnibus eorum poſteris naturali generatione ex iis prognatis imputatam, partim hæreditariam corruptionem ſingulis ob id ipſum ab origine inhærentem, eos & *malos* reddentem & *miſeros*.

VII. *Explicatio definiti* abſolvi poteſt enodatione nomenclationis *quo ſenſu*, & *cur* vocetur *peccatum originale*. Vocatur itaque tale, non per σχῆμα λογισμὸν vel per *μείωσιν termino diminuente*, quaſi vel *impropriè* peccatum foret vel peccatum tantùm *effectivè* non *formaliter*, ſed δεικτικῶς & ἐξηγητικῶς, 1. Ratione *principii* à quo promanavit, quod ſit vitium contractum in prima *origine* & radice generis humani. 2. Ratione *modi*, quo nobis ineſt, ab *origine* nimirum omnium noſtrûm, & ipſo ortu, & eo ipſo quo hanc originem, h. e. corruptam, ab Adamo habemus. 3. Ratione *effectus* quia omnium aliorum peccatorum origo eſt & radix, unde nomen hoc habet, non tantùm *tranſitivè*, ſed etiam *intranſitivè*, & quanvis nomenclatio iſta ad *Auguſtinum* referatur, res tamen ea deſignata in Scriptura *objectivè*, in Patribus Auguſtino prioribus *æquivalenter*, in nobis *ſubjectivè* reperitur.

VIII. *Explicatio definitionis* abſolvitur conſideratione, 1. *Cauſarum* hujus peccati. 2. *Effectorum*. 3. *Adjunctorum*. Et quibus & *genus* hujus peccati & *differentia* ab aliis nobis innoteſcent.

IX. *Cauſa* hujus *peccati* ſunt vel *externæ*, vel *internæ*. *Externa* vel *propinqua* ſpectari poteſt vel *proxima*. *Propinqua* comparatè ratione *corruptionis inhærentis* eſt *peccatum originans*, Rom. 5. ℣. 12. 19. 1. Cor. 15. 22. *Proxima* eſt corruptæ naturæ ex corrupta radice communicatio, Gen. 5. 13. Joh. 14. 4. Pſ. 51. 7. Joh. 3. 6. Cujus fundamentum aliud dari nequit, quàm lex generationis à Deo ſancita, ut natura tranſmitteretur à primo generante in generata omnia, eaque vel integra eo perſtante in obſequio, vel corrupta eo deficiente ab obſequio, illud in præmium obedientiæ, iſtud in pœnam inobedientiæ, idque ex liberrima αὐτεξουσίας ſuæ diſputatione, aliena tamen ab injuſtitia.

X. *Cauſa materialis* hujus peccati ſpectari poteſt vel ratione *materiæ circa quam*, vel ratione *materiæ in qua*. *Materia* hujus peccati *circa quam* vel *objectum*, eſt lex Dei, à qua deficit & à qua natura ejus æſtimari debet. Poteſt verò lex illa ſpectari tum ratione *præcepti*, tum ratione *ſanctionis* pœnalis adjectæ præcepto. Ratione *præcepti*, latum illud fuit omnibus in primis parentibus, ut in principio tum *ſeminali*, tum *repræſentativo* totius generis humani, in quo fuimus omnes *inexiſtentia* tum *radicali*, tum *fœderali*. Fuit verò præcepto illo imperatum obſequium & generale & ſpeciale imperanti debitum: Ratione *ſanctionis* pœnalis adjectæ, omnibus in primis parentibus eadem pœna *mortis* in caſu inobedientiæ propoſita fuit.

XI.

XI. *Materia in qua* hujus peccati eſt ejus *ſubjectum*, quod vel *denominationis* eſt vel *inhæſionis*. *Subjectum denominationis* eſt ſolus & omnis homo ex Adamo, ut principio non *paſſiuo* vel *materiali* tantùm, ſed *effectivo* vel *actiuo* etiam generationis ortus, adeoque omnis homo *merus* ſecundùm ordinariam generationis legem natus, Job. 14. 4. Joh. 3. 6. non Chriſtus θεάνθρωπος, qui *verus* quidem homo fuit, *merus* non item, nec vi *naturæ communis*, ſed vi *promiſſionis ſpecialis* ex Adamo ortus.

XII. *Subjectum inhæſionis* eſt *totus* homo, & *totum* hominis, ſiue principium ejus *formale*, h.e. animam cum *facultatibus* ſuis, ſiue *materiale*, h.e. corpus organicum ſpectemus. Ut enim in *illo* ſpectari poteſt vel *ſeorſim* tum quoad *intellectum*, ratione cœcitatis, tum quoad *voluntatem*, ratione prauitatis, tum quoad *affectus* ratione exceſſus illorum vel defectus, ſiue in genere θυμικῷ, ſiue in genere ἐπιθυμητικῷ, vel *conjunctim* in συμπράξει iſtarum facultatum; ſic etiam in *iſto* labis iſtius nota reperitur ob ſemen immundum, & ſanguinem intemperie varia corruptum, ob quæ homo *caro* eſt non *phyſicè* tantùm, ſed *ethicè* etiam, Ioh. 3. ꝟ. 6. quæ auerſionem à bono, & ῥοπὴν ad malum mirè juuant. Et ſanè ut *habitus* ſubjectum fuit totus homo, imaginis nimirum diuinæ, ſic & *priuationis* ejus totus ſubjectum eſſe debet. Et ut totus inſtaurandus eſt per *regenerationem ſupernaturalem*, ſic & totus corruptus fuit per *generationem naturalem*. Quamvis verò peccatum iſtud ſpectari poſſiit non tantùm in *toto homine*, ſed etiam in *toto hominis* ad ἐπίτασιν & ἔκτασιν ejus oſtendendam, κυρίως tamen & propriè ſpectatur in *toto homine* ut actus *ſuppoſiti*, non partium, & *ſubjectum quod* peccat, homo eſt, quamvis *principium quo* peccat, partim anima ſit, partim corpus.

XIII. *Forma* peccati iſtius dupliciter ſpectari debet. 1. Ratione *inobedientiæ imputatæ*. 2. Ratione *malitiæ inhærentis*, quarum utraque & *principium conſtitutivum* hujus peccati eſt & *diſtinctivum*. *Illa* eſt, non *imputatio inobedientiæ* primorum parentum quippe quæ actus bonus eſt, & Dei αὐτοκράτορος partim, partim judicis, ſed *inobedientia imputata* & *reduplicativè* quidem quà talis, quæ mala eſt, & peccati forma eſſe poteſt, Rom. 5. 12. &c. 1. Cor. 15. 22. *Iſta* ſpectari poteſt vel *privativè*, in carentia juſtitiæ originalis, vel *poſitivè* κατὰ λόγον συγκρίσεως in habituum pravorum intellectus, voluntatis & affectuum in homine inhærentia. Illud exprimit Scriptura loquendo de peccato iſto ἀποφατικῶς per *modum negationis*, ut Rom. 3. 23. 7. 18. 1. Cor. 2. 14. Eph. 4. 18. Iſtud loquendo de eo καταφατικῶς per *modum affirmationis*, Gen. 6. 5. 8. 21. Rom. 7. 7. Galat. 5. 17. Utraque vero formæ peccati iſtius conſideratio neceſſaria eſt, quum ſine inobedientiæ primorum parentum imputatione tollatur juſtitia corruptionis naturæ, quia enim iſta pœnæ rationem habet, juſta eſſe non poteſt non antecedente culpa, unde iſta ſublata illa tollitur.

XIV. *Finis* huius peccati ſpectari poteſt vel ratione hominis peccato originali infecti, vel ratione Dei ſic ulciſcentis primam hominis apoſtaſiam; *Priori modo* dari nequit, quum in homine reperiatur, antequam vel finem ullum nôrit, vel ullum ſibi præſtituere poſſit. *Poſteriori modo* datus

& conſiſtit partim *antecedenter* tum in *αὐτοκρατορίας* & libertatis Dei demonſtratione, tum in patefactione juſtitiæ vindicatricis, partim *conſequenter* in patefactione gratiæ ſuæ in ejus in filiis ſuis deletione, ratione *reatus* per beneficium juſtificationis, ratione *dominij.* per beneficium ſanctificationis, & ratione *inhærentiæ* per beneficium glorificationis.

XV. *Effecta* hujus peccati ſunt, vel *prima* vel *orta*. *Prima* ſunt *mala ethica, peccata* quæuis actualia, quæ ut principiata fluunt ab hoc principio, Jac.1. 14.15. Matth.15.19. Gal.5.12.19. &c. *Orta* ſunt *mala phyſica*, h.e. pœnæ cujuſvis generis non *damni* tantùm, ſed *ſenſus* etiam, eæque tum temporales tum æternæ, quæ *mortis* nomine communiter in Scriptura deſignantur, Rom.5.14. Rom.6.23.

XVI. *Adjuncta* hujus peccati ſpectari poſſunt vel *antecedenter* ratione *modi*, quo in poſteros Adami propagatur, vel *conſequenter* ratione illorum quæ comitantur & excipiunt ipſum peccatum propagatum. *Antecedenter* quoad *modum* is conſiderari poteſt vel ratione peccati originalis *imputati*, vel ratione *inhærentis*.

XVII. Ratione *imputati*, modus propagationis eſt imputatio partim liberrima, partim juſtiſſima Dei, quâ Deus peccatum à primis parentibus admiſſum à tota eorum poſteritate naturali admiſſum cenſet, Rom.5.12. 19. Ratione *inhærentis*, modus propagationis peccati originalis ſpectari poteſt vel ἔγγραφος vel ἄγραφος, ille ſcitu neceſſarius, iſte non item. Ille eſt *generatio*, vel productio generati corrupti à generante corrupto, Gen. 5.3. Job.14.4. Pſal.51.7. Joh.3.6. quæ terminatur ad *ſuppoſitum* corruptum. Iſte diuerſimodè explicari ad captum noſtrum poteſt, temerè tamen definiri ſigillatim non debet. Nec ad ejus explicationem vel *eductio* animarum è potentia materiæ, vel *traductio* earundem ab animabus parentum neceſſaria eſt, & ſufficit in genere conſideratio partim *moralis* ordinationis & judicii Dei, ut corruptus gignat corruptum in pœnam ſui ſceleris, ſicut integer genuiſſet integrum, partim *naturalis*, qua genitum ſimile eſt generanti, non tantùm ſecundùm ſpeciem, verùm etiam ſecundùm differentiam, & propria immò & accidentia individualia temperamenti. Hinc Medicorum filii morbos & *cephalicos* & *arthriticos* & *nephriticos* hæreditarios cenſent. Et ut partim *jura*, partim *onera* parentum tranſeunt in hæredes *forenſi* ratione, ſic & hîc onus hoc in hæredes Adami juſtiſſimo Dei judicio tranſit ratione *morali*.

XVIII. Damnamus hîc 1. *Manichæos* qui corruptionem iſtam naturæ Deo cuidam malo tranſcripsêre. 2. Illos qui ejus originem in vitium quoddam materiæ primo à Deo creatæ rejecêre. 3. *Pelagianos, Samoſatenianos* veteres & recentes & *Anabaptiſtas*, qui peccatum originis merum Auguſtini commentum eſſe contendêre, & peccatum originis ſecundùm utramque partem negauêre, immò Adami peccatum nonniſi per *imitationem* in nos deriuari cenſuêre. 4. *Petrum Abeilhardum* ejuſque ſequaces, qui Adamum exemplo tantùm nocuiſſe ſuæ poſteritati contendit, adeoque iis haudquaquam nocuiſſe, qui exempla nec noſſe poſ-

ſunt

ſunt nec ſequi, quales ſunt infantes in prima ætate exſtincti. 5. *Pontificios*, qui & concupiſcentiam vitioſam partem peccati originalis eſſe negant, vel peccatum propriè dictum, & corruptionem quam involvit peccatum iſtud, extenuant, vel Mariam Virginem diſertè peccato originis infectam negant, quod Jeſuitæ & Franciſcani faciunt, aut id in dubio relinquunt, quod Curia Romana ſchemate politico omnibus demerendis & in officio continendis facit. Limbos etiam, in quos relegant infantes cum peccato originis duntaxat decedentes, fabricant, & in iis pœnam *damni:* non *ſenſus* iis inferri docent. 6. *Flacianos* qui peccatum originis & oppoſitam ei juſtitiam & ſubſtantiam hominis faciunt. 7. *Scholaſticos* aliquos, qui ſola imputatione peccati Adami peccatum originis definiunt. 8. *Doctores* alios qui ab ὑποτυπώσει ſanorum ſermonum hîc recedunt, peccatum originis in ſola corruptione inhærente conſtituunt. Et hæc de *peccato originali* dicta ſufficiant. De *actuali* agetur Diſputatione ſequente.

DISPVTATIO
DE
PECCATO ACTVALI.

Theſis I.

Actum Diſputatione ſuperiore de *peccato originali*: Agendum in præſentiarum de *actuali*, cuius ſpectanda. 1. *Definitio*. 2. *Definiti*, *definitioniſque* explicatio.

II. *Definitio* eſt, peccatum *actuale* eſſe aberrationem à lege Dei in actibus internis externiſque, procedentem ex principiis corruptis, & reatum hominis augentem.

III. *Definiti, definitioniſque* explicatio pendet ex conſideratione, 1. *Cauſarum*. 2. *Effectorum*. 3. *Adjunctorum* huius peccati.

IV. *Cauſæ* eius ſunt vel *externæ*, *efficiens*, & *finalis*, vel *internæ*, *materia* & *forma*.

V. *Cauſa efficiens* peccati actualis ſpectari poteſt vel ratione *principij quod* peccat, vel ratione *principij quo* peccat. *Illud* eſt ὑφιστάμενον vel *ſuppoſitum, homo* nimirum, originali peccato infectus. Nec enim de Angelorum malorum peccatis hîc agere nobis conſtitutum. *Iſtud* ſunt partim *anima, eiuſque facultates*, mens, ut *principium directivum*, voluntas & appetitus ſenſitivus, ut *principia imperativa*, partim corpus, & membra eius, ut *principia executiva* & *organica*. Quæ ſingula ut *principia* corrupta non poſſunt non ex ſe fundere *principiata* corrupta.

VI. *Cauſa finalis* peccati actualis *ex ſe* nulla eſſe poteſt, quia eſt deviatio à fine: *Ratione peccantis* cauſa finalis interdum etiam *nulla* eſt, v. gr. in peccatis vel ex *ignorantia*, vel ex *incogitantia*, vel ex *præcipitatione* & *caſu* potius quàm *conſilio* vel *inſtituto* admiſſis, Numer. 35. 23. Pſalm. 19. 13. Interdum *aliqua, bonum* nimirum vel *utile*, vel *jucundum*, utrumque verò φαινομένως duntaxat & *apparenter* tale, ὄντως & *revera* non item.

VII. *Materia* peccati actualis *analogicè* & *comparatè* ſpectari poteſt, vel *circa quam* vel *in qua*. Illa *impropriè* duntaxat materia eſt, *propriè* verò *objectum* ejus. Eſt id vel *reale*, vel *perſonale*. *Reale*, lex Dei in quam peccatur, & à qua receditur in peccando. *Perſonale* eſt, vel Deus, vel homo in quos *directè* & *immediatè* peccatur. Materia *in qua* eſt *ſubjectum* eius, idque partim *attributionis*, vel *denominationis*, homo nimirum corruptus, partim *inhæſionis*, nimirum, 1. *Remotius* τὸ ἡγεμονικὸν hominis, vel quod debet tale

eſſe

eſſe *iure*, videlicet *intellectus*, vel quod *actu* tale eſt, nimirum *voluntas* aut *appetitus ſenſitivus*. 2. *Proximius, actus* iſtarum facultatum, quum *omne malum habitet in alieno fundo*, & ſit *ſubjectivè* in bono, ut loquuntur Scholæ. *Materia ex qua* peccati actualis nulla eſt, quippe quæ *poſitivorum* entium eſt, non *privativorum*, eorumque *ſubſtantialium*, non *accidentalium*, ἀκριβῶς loquendo.

VIII. *Forma* peccati actualis *propriè* nulla eſt, eſt enim deforme quid vel informe: *analogicè* forma eius eſt, quoad *genus* ἀνομία vel aberratio à lege Dei, quoad *ſpeciem* aberratio actualis, eaque vel circa *præcepta*, vel circa *prohibita*: illa in *omiſſione* conſiſtit, iſta in *commiſſione*: illa facienda non fiunt, iſta fiunt non facienda. Vt verò peccatum commiſsionis eſt *actuale per ſe*, *propriè* & *directè*, ſic iſtud tale eſt *ſecundùm quid*, *analogicè* & *reductivè*.

IX. *Effecta* peccatorum actualium ſunt vel *ethica* vel *phyſica*, h.e. vel mala *culpæ* vel mala *pœnæ*. Illa *abſolutè* ex peccatis *ſecundùm ſe* ſpectatis, iſta ex iiſdem *relatis* ad judicium Dei ſequuntur. Iſta etiam ſpectantur vel ratione *reatus* ſive *demeriti*, vel ratione *actualis* eius *exercitij*. *Priori modo inſeparabili* nexu conjunguntur cum peccatis, *poſteriori* verò *ſeparabili*, quamvis accuratè loquendo non ſeparentur *à peccatis*, ſed *à peccantibus*, idque non *ratione legali*, ſed *Evangelica*: non ex *natura peccati*, vel ex *merito peccantis*, ſed ex *gratia condonantis*.

X. *Adjuncta* peccatorum actualium explicari poſſunt commodè ex varia eorum diſtributione. Sunt enim diuerſorum generum vel ordinum.

1. Alia *per ſe talia*, vel *ſimpliciter talia* ſunt, alia talia *per accidens*, vel *ſecundùm quid* potius. Illa ſunt, quæ vel committendo directè vetita, vel omittendo directè imperata peccantur. Iſta, quæ etſi imperata vel prohibita, malè vel fiunt vel omittuntur. In illis peccatur *in re* & *modo* rei. In iſtis in *modo* tantùm. Illa reperiuntur in actibus ſecundùm ſe malis, iſta in actibus in ſe bonis, ſed non benè præſtitis, & vitium habent vel *in principio*, vel *in modo*, vel *in fine*. Sic, v. gr. blaſphemia ſecundùm ſe mala eſt, quanvis & in ea diſtingui poſſit actus ab ἀταξία actus. Actus juſtitiæ vel charitatis ſecundùm ſe bonus eſt, vitium tamen contrahit vel ratione *principij*, ſi non procedat ex corde purificato per fidem, vel ratione *finis*, quando non refertur ad Dei gloriam, vel ratione *modi*, quando non ſincerè vel integrè exercetur. *Bonum* enim, ut notum eſt Scholis, eſt *ex integra cauſa*, *malum ex vnico defectu*. Huc referri debent virtutes gentilium facientium ea quæ ſunt Legis, Rom.2.14.15. quæ meritò *ſplendida peccata* vocantur, ſplendent enim actus, ſed quibus ἀταξία adhæret *originaliter*, *formaliter*, & *terminativè*, Rom.14.23. Matth.5.22. & 6.2. 1.Corinth.10.31.

XI. 2. Peccata alia *occulta* ſunt, alia *manifeſta*. *Occulta* ſunt quæ latent, ſive *abſolutè* & peccantem, & homines in quos peccatur; ſive *reſtrictè*, quæ latent iſtos tantùm, Pſ.19.v.13. Joh.7.v.19. Act.5.v.2. *Manifeſta* ſunt, quæ & peccanti & hominibus in quos peccat, patent, vel illi tantùm, Matth. 18. ver.8. Actor.5.v.2. In rigore verò nullum peccatum occultum dici poteſt reſpectu illius, cui omnia patent, & cui tenebræ lux ſunt, & nox dies, Pſalm.139.11.12.

XII. 3. Peccata alia *interna* ſunt, *externa* alia. *Interna* quæ vel ſola mente, vel ſola voluntate, vel ſolo appetitu ſenſitivo ab homine admittuntur. *Externa* quæ loco motiva extra hominem admittuntur, quorum illa *inchoativè*, iſta & hæc *completivè* peccata ſunt, priora ſpititualia magis dici poſſunt, poſteriora carnalia, comparatè, Matth.5.℣.28. & 15.19. 2.Corint. 7.℣.1. Gal.6.℣9.20.

XIII. 4. Peccata alia admittuntur *ex ignorantia*, alia *ex ſcientia*: Illa conſiderantur ſecundùm *ignorantiam privativam*, non *negativam*, quæ *neſcientia* potius eſt quàm ignorantia, nec in vitio. Poſſunt verò diſtribui in peccata *ignorantiæ juris* quale fuit peccatum Pauli, 1.Timoth.1.14. & in peccata *ignorantiæ facti*, qualia fuêre peccata multa Davidis, Pſalm.19.verſ.13. Iſta ſubdiuidi etiam poſſunt in peccata admiſſa contra συντήρησιν vel notitiam principiorum ex mero metu, ut ab Iſaaco, Gen.26.7. & in peccata admiſſa contra συνείδησιν, ut à Dauide, ex mera libidine, 2.Sam.11.

XIV. 5. Peccata alia ſunt, quæ *contra primam*, alia quæ contra *ſecundam* legis *tabulam* peccantur. Illa ſunt quæ admittuntur directè contra Deum, vel aberrando circa *objectum* cultus religioſi, vel circa *modum* eius, ſiue in *interno* cultu, ſiue in *externo*, idque vel *commiſſivè* vel *omiſſivè*, Exod. 32. Lev.24. Iſta ſunt peccatā quæ admittuntur *directè*, ſive contra proximum, ut Achabi & Jezabelis in Nabothum crudelitas, 1.Reg.21. ſive contra nos ipſos ut αὐτοχειρία Saulis, 1.Sam.31. ſive conjunctim contra ipſum & nos, ut ſcortatio, adulterium, 1.Cor.6.v.18.

XV. 6. Peccato alia ſunt *craſſa*, alia ſunt *ſubtilia*, alia *graviora*, alia *minus gravia*, ſed *comparatè* tantùm, nulla tamen *ex ſe* & *natura ſua venialia*, nec *ex parte principij*, nec *ex parte objecti*, nec *ex parte modi*. Illa ſunt peccata *patentia*, quæ erumpunt in actus notoriè malos, & in notiones communes honeſti & turpis directè arietant, ut homicidium Caini, inceſtus Abſalomi, & alia id genus. Iſta ſunt peccata *latentia*, v. gr. vel in prava voluntatis ſuggeſtione, Matth.5.28. vel in actibus externis boni & honeſti ſpecie velatis, qualia fuêre Abſalomi ὑπόκρισις in conciliandis ſibi Iſraelitarum animis, & Judæ apologia pro pauperibus. *Graviora* etiam alia eſſe, alia *minus gravia* patet ex conſideratione vel *ſubjectorum* peccantium, vel *principiorum*, vel *objectorum*, vel *modi*, vel *temporis*, vel *loci*, vel *durationis*, vel *finis*, vel *circumſtantiarum* aliarum id genus. Sic Chriſtus μείζονα ἁμαρτίαν Judæ tribuit Joh.19.verſ.11. & gradus pœnarum diuerſos innuit, Matth.10.15. & 11.22. & 23.24. & Luc.12.47.48.

XVI. 7. Peccata alia ſunt *regnantia*, alia *non talia*. Illa ſunt quæ fiunt *ſine lucta* vel *antecedente* vel *concomitante* vel *ſubſequente*, qualia in iis reperiuntur quos Chriſtus vocat ſervos peccati, Johan.8. verſ.34. qui faciunt peccatum, 1.Joh.3.v.8. quorum videlicet hoc velut ἔργον eſt continuum. Talia ſunt peccata irregenitorum. Iſta ſunt quæ fiunt *cum lucta* vel *antecedente*, vel *concomitante*, vel *ſubſequente*. Talia ſunt peccata regenitorum, qui ſic non peccant, 1.Ioh.3.9.

XVII. 8. Peccata *ex conſequenti* etiam dividi poſſunt, in *remiſſa*, in *irremiſſa*

irremiſſa, remiſſibilia tamen, & in peccatum nec *remiſſum* nec *remiſſibile* ex declaratione Spiritus S. *Remiſſa* ſunt, quæ remiſſionem conſequuntur per Dei gratiam ob Chriſti-meritum, qualia ſunt fidelium peccata, Rom. 8. 1. Act. 26. 18. *Irremiſſa* ſunt, quæ eam non conſequuntur, conſequi tamen potuiſſent, ſine violatione vel juris divini, vel declarationis voluntatis Dei expreſſæ in verbo, ſi pro illis data fuiſſet ſatisfactio, & pœnitentia, qualia ſunt peccata multorum qui pereunt. Peccatum nec *remiſſum*, nec *remiſſibile* eſt cui nec remiſſio obtingit nec obtingere poteſt, quod vocatur in Scriptura S. δεικτικῶς & ἐξαιρετικῶς à *forma* & *objecto* blaſphemia in Spiritum S. Matth. 12. 32. Marc. 3. 30. 31. & peccatum *ad mortem*, 1. Joh. 5. 16.

XVIII. Eſt verò peccatum iſtud veritatis Euangelicæ agnitæ odium internum & externa ejuſdem tum abnegatio, tum deteſtatio, tum oppugnatio, eaque malitioſa ac perſeverans, conjuncta cum contemptu omnium mediorum ſalutis & finali impœnitentia. Tale dari oſtendit Dominus & Johannes locis allegatis. Diſtinctio ejus à peccatis aliis peti poteſt conjunctim. 1. *Ex parte objecti* circa quod & contra quod occupatur, quod eſt Spiritus S. ſumptus non tam ὑποστατικῶς, quàm ἐνεργητικῶς, duplex nimirum illius ἔργα, quarum una eſt collatio *lucis inſtruentis*, altera collatio *lucis convincentis* de veritate Evangelica. 2. *Ex parte principii*, quod eſt intellectus ſufficienter illuminatus, & voluntas ultrò & malitioſè ſe avertens à veritate. 3. *Ex parte formæ*, quod ſunt actus illi complicati & interni & externi, internum odium veritatis, & externa abnegatio, deteſtatio ac oppugnatio ejuſdem. 4. *Ex parte adjuncti* inſeparabilis, quod eſt contemptus omnium mediorum ſalutis & finalis impœnitentiæ. Quale peccatum *in abſtracto* facilius definiri poteſt, quàm detegi *in concreto*, tum ob internorum ſive principiorum ſive actuum latentiam, tum ob diverſas gratiæ vocantis horas. Quanvis verò ex externis ſignis probabiliter colligi poſſit, certius tamen ſentitur à peccante, quam cognoſcitur ab aliis

XIX. Damnamus. 1. *Atheorum* & *Libertinorum* peccata vel negantium vel ridentium etiam furores. 2. *Stoicorum*, peccata omnia æqualia cenſentium δόξαν abſurdam. 3. *Carpocratianorum Antitacticorum & circumcellionum* flagitioſus actus in honeſtos vertentium ſcelera. 4. *Chatarorum* & *Pelagianorum* hominis corrupti ſtatum & naturam diſſimulantium, & eum ab omni peccato immunem eſſe poſſe ſatagentium, delirium. 5. *Pontificiorum* commenta, qui & *primos* concupiſcentiæ *motus* peccata eſſe negant, & peccata quædam *venialia* vel *à cauſa*, vel *ex natura ſua*, vel ab *objecti parvitate* finguht, & peccata quædam fabricant quæ non ſunt ἄνομα, alia verò quæ revera ἄνομα ſunt, peccata eſſe negant, pœnas etiam peccatorum ſive in limbis, ſive in purgatorio exſolvi docent, & peccatum in Spiritum S. irremiſſibile dici cenſent tantum quod *in ſe* non habeat *meritum* vel *aptitudinem* ut remittatur. 6. Aliorum quorundam, diſtinctionem peccati mortalis & venialis excuſantium, æqualitatem peccatorum nobis ſine cauſa impingentium, & peccati in Spiritum S. irremiſſibilitatem unicè ex impoſſibilitate pœnitentiæ arceſſentium errores.

DISPVTATIO
DE
PRÆDESTINATIONE.

Thesis I.

Doctrina de Prædeſtinatione, nec præpoſteræ modeſtiæ obtentu, ſilentio tranſmittenda, nec ad corrupta hominis animalis ratiocinia exigenda: ſed ab anima ſui vacua, & Deo plena ex ſacro Dei verbo, & ſummo ejus in creaturas omnes jure metienda, quorum illud diſcipulum docilem erigit, iſtud contumacem compeſcit, utrumque æſtum conſcientiæ in hoc argumento fluctuantis componit.

II. Et quia materia iſta partim infirmorum ſcrupulis, partim Sophiſtarum argutationibus, partim profanorum cavillis obnoxia eſt, ea methodo tractari debet, quæ ſit opportuna ad διδασκαλίαν & παιδείαν illorum, ad ἔλεγχον iſtorum, & ad horum ἐπιστομίζειν.

III. Talem verò cenſemus illam, quæ 1. Ὀνοματολογίαν exequitur. 2. Πραγματολογίαν. *Prior* in *phraſin* inquirit, quâ argumentum hoc deſignatum voluit Spiritus S. *Poſterior* circa *rem* phraſi expreſſam occupatur.

IV. Ὀνοματολογίαν quod attinet, notum, vocem *Prædeſtinationis* Latinam, humanam eſſe, & σχέσιν connotare ad *prædeſtinata* potius quàm ad *prædeſtinantem*, cujus reſpectu ἰσοδύναμα ſunt, *deſtinare* & *prædeſtinare*, quippe cui omnia ſemper præſentia. *Perſonarum* verò & *rerum prædeſtinatarum* reſpectu, meritò *prædeſtinatio* potius vocatur, quàm *deſtinatio*, cùm *actus* Dei *prædeſtinantis* æternus ſit, *perſonarum* verò vel *rerum prædeſtinatarum* productio temporalis.

V. Nec verò etiam vox *abſtracta* προορισμοῦ prædeſtinationi reſpondens in Scriptura S. occurrit, verbum tamen προορίζειν occurrit Actor. 4. 28. ad Rom. 8. 29. 30. 1. ad Cor. 2. 7. ad Eph. 1. 5. 11. quod *Syrus* exprimit per רשם *deſignare*, & quandoque per רשם קדם *ante* vel *prius deſignare*, quaſi προωρισμένου. Et ſanè τὸ προορίζειν, eſt ſive *perſonam*, ſive *rem*, antequam ſit, vel fiat, ad finem certum velut *præterminare* & deſtinare, prout & ſimplex ὁρίζειν, relatum non ad diſterminanda loca à locis, *primo ſignificatu*, ſed ad diſterminandas ſive *perſonas* à *perſonis*, ſive *res* à *rebus ſecundo ſignificatu*, eſt ἐπικρίνειν, ψηφίζεσθαι, κυροῦν, *ſtatuere, conſtituere, decernere*. Hebræis aliâs in uſu hîc ſunt verba הבדיל χωρίζειν, ἀφορίζειν, ἱστάναι vel στῆσαι, ut & חקק quod LXX. vertunt ἀφορίζειν, διαστέλλειν & חרץ, item גזר, quod reddunt per ἀποτέμνειν, &

ὁρίζειν,

ὁρίζειν, unde Iudæorum Magiſtri Prædeſtinationem vocant גזירה & גזירה *decretum* velut *deciſum* ſuper *perſona* vel *re* aliqua. Novi Teſtamenti Scriptores nomina quædam cognata habent, & meminêre in hoc argumento εὐδοκίας Matth.11.26. εὐδοκίαν τοῦ θελήματος τοῦ θεοῦ ad Eph.1.5. εὐδοκίαν κ̀ πρόθεσιν verſ.9.11. βουλῆς Act.4. 28. & cum προθέσει, βουλῆς ὡρισμένῃ Act. 2.23. βουλῆς τοῦ θελήματος τοῦ θεοῦ ad Eph.1.11. προγνώσεως Actor.2.23. πρόθεσις ad Rom.8.28. & 9.11. ad Eph.3.11. 2.ad Timoth.1.9. Quæ voces, etſi originatione diverſæ, & uſu apud Scriptores alios, à ſacris tamen Scriptoribus quandoque promiſcuè ſumuntur.

VI. Verbum ipſum προορίζειν cæteroquin duplicem in Scriptura S. notionem habet. Interdum enim in ſumma latitudine ad actus providentiæ divinæ circa quælibet extenditur ut Act.4.28. & 1.ad Corinth.2. 7. Interdum verò ad actum ſingularem providentiæ divinæ circa certas perſonas reſtringitur, & earum deſtinationem ad finem ſalutarem, & media ad illum ducentia deſignat ad Rom.8. 29.30. ad Eph.1.5.11.

VII. Hoc ſignificatu προορισμὸς recurrit cum ἐκλογῇ ad Rom.11.3.' & ἐκλογῇ χάριτος, Rom.11.5. & ſic reſtricta *prædeſtinationis ſanctorum* nomenclatione apud Scriptores Eccleſiaſticos, & in Scholis exprimitur. Theologi tamen frequenter prædeſtinationis nomine utrumque Dei conſilium & electionis gratioſæ, & reprobationis liberæ ſimul ac juſtæ deſignant. 1. Quia *ſynecdoche* conſueta eſt in nominum ejuſmodi uſu. 2. Quia nomen ipſum prædeſtinationis ratione *originationis* ſuæ, ſive quoad *notationem grammaticam*, commune eſt, & denotat promiſcuè deſtinationem ſive *perſonæ* ſive *rei* ad certum finem, antequam fit vel fiat. 3. Quia Scriptura Sacra Act.1v.28. verbum προορίζειν disertè extendit ad actus malos flagitioſorum hominum circa Chriſtum Servatorem, quod ad nudam directionem, vel ad præordinationem tantùm mortis Chriſti cum Semipelagianiſmi interpolatoribus referre, dilutum eſt, & à phraſeos, quâ Spiritus Sanctus utitur, ἀρχῇ alienum. 4. Quia geminæ phraſes occurrunt in Scriptura, quando de reprobatione loquitur, dum reprobi dicuntur facti ad diem mali Prou.xvi. 4. σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν ad Rom.ix.22. προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα Iud.4. 5. Quia *Auguſtinus*, Concilium *Valentinum* Anno.855. in Gallia contra *Prædeſtinationis* coactum, *Proſper Aquitanus*, aliique Scriptores veteres, non tantùm prædeſtinationis electorum ad vitam, ſed & prædeſtinationis ad mortem meminêre. Nihil itaque obſtat, quominus prædeſtinationis nomen, ex uſu in Scholis Theologicis recepto, latiùs à nobis hîc uſurpetur.

VIII. Notanda verò etiam *ambiguitas* alia hujus vocis, quâ non obſervatâ contradictio ſæpe affingitur Theologis Orthodoxis, qui tamen in re hîc conſentiunt, & quâ obſervatâ componi poſſunt diſceptationes anxiæ ſuper *objecto* prædeſtinationis: Prædeſtinationem nimirum interdum ſumi in Scholis Theologicis φυσικῶς. & *communiter* à Theologis, pro omni Dei decreto circa hominem, in ordine ad ultimum ejus finem: interdum εἰδικῶς, & *ſpecialiter* pro conſilio Dei de lapſis hominibus vel

erigendis ex libertate & gratia, vel relinquendis & puniendis ex libertate & juſtitia. *Priore ſignificatu* complectitur etiam decretum creandi hominem, & permittendi lapſum: *poſteriore* reſolvitur tantùm in Electionem & Reprobationem.

IX. Hinc patet conciliatio appoſita pugnantium in ſpeciem opinionum, quæ inter Theologos etiam Orthodoxos reperiuntur, quorum aliqui *objectum* prædeſtinationis conſtituunt hominem *nondum conditum*, alii conditum quidem, ſed *nondum lapſum*, alii & *conditum & lapſum*. *Primæ* enim *ſententiæ* aſſertores prædeſtinationis nomenclatione lata complectuntur etiam decretum creandi hominem, cujus ſanè *objectum* eſſe nequit *homo conditus*. *Secundæ ſententiæ* patroni prædeſtinationis notione unà cum decreto ſtatuendi de hominibus lapſis conjungunt decretum permittendi lapſum, cujus utiq; *objectum* eſſe nequit *homo lapſus*. *Tertiæ ſententiæ* fautores prædeſtinationem *ſtrictè* ſumunt pro decreto vel miſericordiæ, vel libertatis & juſtitię circa hominem lapſum, cujus ſanè *objectum* eſt homo conſideratus *ut lapſus*, quo ſignificatu prædeſtinationis voce uſa fuit ſapienter Synodus *Dordracena*, & nos hîc cum illa. Hinc nulla hactenus ἀντιλογίαι, vel σύῤῥαξις inter Theologos Orthodoxos, ὁμωνυμία iſta vocis ita diſtincta; imò amica inter eos in rei ſumma conſpiratio. Quamvis enim quidam ex iis aſcendant altius, & œconomiam primi peccati etiam complectantur, omnes tamen in eo conveniunt, quòd objiciant Deo homines *pares* non *impares* & tales, quorum diſcretio à ſolo Deo ſit: à quo fundamento abeunt Sectarii alii.

X. ὀνοματολογίας prædeſtinationis excipit πραγματολογία ejuſdem, quam ad *duo capita* revocamus. I. *Quid ſit* Prædeſtinatio. II. *Quis ſit* ejus *uſus*. Quæſtionem enim *An ſit*, decidit. 1. Aſſertio S. Scripturæ locis Mal. I. 2. 3. Matth. XXIV. 24. Actor. XIII. 48. Roman. VIII. 28 29. IX. 11. 12. 13. ad Epheſ. I. 4. 5. 6. & alibi expreſſa. 2. *Natura prædeſtinantis*, à cujus ut cauſæ primæ, independentis, & omnium directricis decreto omnes cauſæ ſecundæ pendent in *fieri*, *eſſe*, & *operari*, & ad cujus ſapientiam ſimul ac omnipotentiam pertinet, non creaturas tantùm inferiores, ſive inanimatas, ſive inanimas, ſed multò magis tum *intellectuales*, tum *rationales* ad fines ſuos deſtinare, & nihil in tempore vel *ab iis*, vel *circa eas* fieri, quod non ab æterno decretum fuerit & prævisum. Hinc vel Dei natura imperfectionis arceſſenda, & arctanda illius providentia, imò homo conſtituendus ἀ[illegible], vel temeritas homuncionum quorundam flagellanda, qui protervis carnis humanæ ratiociniis hîc perfectioni cauſæ primæ intercedunt, & negant omnia ab *efficaci* Dei *decreto* pendere, ſive *efficientiæ*, ſi bona ſint, ſive *permiſſionis* & *ordinationis*, ſi ſint mala in *genere mortis*, quamvis ob id nulla Deo injuſtitia, vel peccati cauſalitas, quicquid contendant Adverſarii coccyſmo ſuo veteri, jure impingatur.

XI. Quæſtionem verò *Quid ſit* prædeſtinatio, & hominum quidem, (nec enim inſtituti noſtri hîc eſt argumentum de Angelorum prædeſtinatione

ſtinatione exequi) pertractandam cenſemus 1. Θετικῶς & κατασκευαστικῶς veræ ſententiæ propoſitione & confirmatione. 11. Ἀνασκευαστικῶς, reiectione ſententiarum variarum, quæ ſuper hoc argumento S. Scripturæ aduerſantur.

XII. Prædeſtinationem verò, nec ſumptam *ſtrictiſſimè* pro ſola ordinatione ſanctorum ad gloriam, nec *latiſſimè* pro omni Dei decreto circa hominem, in ordine ad vltimum eius finem, ſed *medio ſignificatu*, prout in Electionem & Reprobationem reſoluitur, definimus, Æternum, immutabile, ſapientiſſimum, & liberrimum Dei decretum, partim de certa hominum multitudine aliis hominibus prorſus pari, ex toto genere humano in peccatum ſponte prolapſo, ex ſpeciali & efficaci gratia perducenda ad ſalutem per Chriſtum Mediatorem, & fidem in ipſum perſeuerantem: partim de reliquis hominibus in maſſa peccati relinquendis, & ob peccata ſua damnandis: prius ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ: poſterius ad declarationem ſuæ tum libertatis, tum juſtitiæ.

XIII. Ita definita prædeſtinatio diuiditur in *Electionem* & *Reprobationem*, diuiſione *adæquata* ſuo diuiſo. Omnes enim actus eius conſiderantur vel circa *œconomiam gratiæ*, vel circa *œconomiam iræ*. Et homines omnes in duas tantùm claſſes diſtribuuntur in Scriptura, quorum alii *benedicti* Matth. xxv. 34. *maledicti* alii verſ.41. quidam *Deo dilecti*, *exoſi* alii ad Rom. ix. 13. *Vaſa* alia *ad decus*, alia *ad dedecus* verſ.21. *vaſa* alia *miſericordiæ*, alia *vaſa iræ* verſ.22.23.

XIV. Dum verò *Electio* ſiue pro *parte*, ſiue pro *ſpecie* prædeſtinationis à nobis hoc loco ſumitur, patet. 1. Eam non vſurpari hîc *objectivè* pro *objecto* Electionis *metonymicè*, vt ad Rom. xi. 7. ἡ ἐκλογὴ ἐπέτυχε. ſed *formaliter* pro *actu* Dei eligentis, vt ad Rom. ix. 11. ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ Θεοῦ πρόθεσις. 2. Electionem hîc non referri *primò* ad *res*, ſed ad *perſonas*, adeoque non intelligi de deſtinatione *rerum* aliquarum ad certum finem, niſi *ſecundariò*. 3. Eam non extendi hîc ad *Angelos*, ſed ad *homines* tantùm, eoſque in maſſa peccati conſideratos. 4. Eam non intelligi de ſegregatione quavis perſonarum à perſonis, nec de προτιμήσει aliorum præ aliis, ſive in ordine ad *munus* aliquod vel *ſacrum*, vel *politicum*, ſive in ordine ad *cooptationem apparentem* in fœdus, vel per nativitatem talium in Eccleſia, vel per *vocationem* eorum *externam* ad fœdus: qua ratione multi à Paganis, Judæis, & Chriſtianis ſuperſtitioſis ob profeſſionem veritatis ſeparati, ex *Canone charitatis*, electis & veris Eccleſiæ membris accenſentur. 5. Adde, electionem hic non deſignare nobis *actualem* electorum *ſegregationem* ab aliis per *vocationem efficacem*, quæ interdum *electio* ſed *impropriè* & cum appendice, *electio temporalis* à quibuſdam vocari ſolet, nec enim decretum cum executione decreti confundendum.

XV. Ὁμωνυμίᾳ vocis in anteceſſum excuſſa, *electionem*, ſecundùm quam *antonomaſticè* aliqui dicuntur ἐκλεκτοὶ & ἐκλελεγμένοι, definimus;

cundùm gradum rei? 3. Quod pro cauſa tali ponitur, vel *bonum* eſt, vel *malum*: Si *malum*, rejectionis cauſa eſſe poſſet, electionis non item: Sin *bonum*, id vel *à Deo* eſt, vel *ab homine*, vel *ab utroque* conjunctim. Si *à Deo*, quæſtio redit, cur id huic pòtius indulgeat, quàm alii: Si *ab homine*, vicit *Pelagius*: Si *ab utroque* conjunctim, vel *ſpecificatur* actus Dei ab actu hominis, vel actus hominis ab actu Dei. *Si prius*, homo architectus eſt ſuæ ſalutis, & habet quod *ſacrificet reti ſuo*; cùm id conferat ad ſui ſalvationem, quod palmarium eſt. *Si poſterius*, itur in circulum, & quæſtio redit de cauſa hujus *particularitatis*. Nec rima hìc datur Sophiſtis, ſive præparationes & diſpoſitiones *inchoatas*, ſive opera vel merita *completa*, ſive bonum uſum donorum communium, ſive alia id genus pro cauſa προηγουμένη electionis præſtructa velint; ſemper enim vel ad Deum aſcendendum cum Scriptura, diſcriminantem hominem *dono ſuo*, vel deſcendendum ad hominem, ſe diſcriminantem *actu ſuo* cum *Pelagio*.

XX. *Cauſa* προκαταρκτικὴ *electionis abſolutè* ſumptæ, cur *aliqui* fuerint electi, concipi aliqua ratione poteſt, nimirum lapſus & miſeriæ hominis conſideratio, quæ, noſtro concipiendi modo, velut viſcera commiſerationum divinarum commovit ad œconomiam gratiæ. Electionis verò *comparatè* ſumptæ, cur *hi* potius electi fuerint, quàm alii, cauſa προκαταρκτικὴ nulla dari poteſt.

XXI. *Materia* electionis, *circa quam* verſatur electio, vel *objectum* non *reale*, ſive objectum *quod* Scholaſticis dictum, quale ſunt beneficia electis deſtinata, ſed *perſonale*, ſive objectum *cui*, quale ſunt perſonæ quibus ea deſtinata, *circa quas* occupatur, & *ad quas* terminatur electio, ſpectari poteſt, 1. Ratione *quantitatis*, & ſic *quidam* tantùm electi, non omnes, Matth.xx.16. ad Rom.VIII.28.29.30. iique non *indefinitè* conſiderati, aliqua indiuidua, ſed *definitè*, certa indiuidua Iohan.x.27. ad Roman.IX.8.12.13. 2. ad Timoth.II.19. Indiuidua verò illa ἁπλῶς quidem multa ſunt Matth.VIII.11. Actor.XVIII.10. ad Rom.V.19. συγκριτικῶς tamen pauca, Matth.xx.16. Luc.XII.32.

XXII. Idem *objectum* ſpectari poteſt, vel ratione *qualitatis inhærentis*, & ſic peccatores electi, non integri, & plerumque non συνετοὶ vel σοφοὶ κατὰ σάρκα Matth.XI.25. 1. ad Cor.1.27. ſed νήπιοι, vel ratione ἀξίας *adhærentis*, & ſic, vt plurimum etiam, non illi electi, qui εὐγενεῖς vel δυνατοὶ, ſed τὰ μωρὰ τὰ ἀσθενῆ, τὰ ἀγενῆ, & τὰ ἐξουθενημένα τοῦ κόσμου 1. ad Cor.1.26.27.28. Tales verò ſunt, quos Hebræi vocant צעירים, ענוים vel שפלים, ἄτιμοι, μικροὶ, ἐξουθενημένοι. Nec enim fingenda hìc *virtus* aliqua *ethica*, vel diſpoſitio quædam præparatoria *in ſubjecto*, quia eadem quæſtio rediret, nec mirum foret humiles præferri ſuperbis, nec opus eſſet recurri ad ἀδικίας Dei, vbi ratio diſcriminis daretur *in ſubjecto*.

XXIII. Graviter itaque hallucinantur illi, 1. Qui circa *quantitatem* objecti impingunt, & vel *univerſalem* omnium electionem ſtatuunt, cum contradictione *in adjecto*, vel *indefinitam* ſine certa diſtinctione individuorum ab individuis. 2. Qui circa *qualitatem* ejus peccant, & ſic digniores

aliis prælatos in electione cenſent nomenclatione τῶν ἐκλεκτῶν Act. [illegible] 11. intellectâ *ethice*. quæ intelligenda *politicè*, ut Luc. XIX. 12. & 1. ad Cor. 1. 26. Nec *ἀξίων* & *ἀξιώσεως*. notatio Matth. X. 11. Apocal. III. 4. vexanda. qui enim digni, non ex ſe tales ſunt *antecedenter*, ante ſui electionem, ſed *conſequenter*, poſt eam, & ex ea. Et diſcretionis iſtius ratio ſemper conſtituenda vel in Deo cum Scriptura, vel in homine cum [illegible] *Pelagii*.

XXIV. *Forma* electionis, etſi reſpectu *eligentis* in *uno* ſimpliciſſimoque actu conſiſtit, noſtro tamen concipiendi modo in *plures actus* diſpeſcitur, prout intellectus noſter nonniſi diuiſis actibus ea concipere ſolet, quæ in Deo ſimpliciſſima, in nobis vero diuiſa ſunt. *Dei* eligentis *reſpectu formam* electionis conſtituimus in vno actu, in deſtinatione nimirum certæ hominum multitudinis ad ſalutem ut ad *finem* ad Theſſal. II. 13. per gratiam ſalutarem, ut per *medium* obtinendi & aſſequendi *finis*, quæ ibidem connotatur & exprimitur ἁγιασμῷ πνεύματος & πίστει ἀληθείας, alibi *vocatione* & *juſtificatione*, ut ad Rom. VIII. 30. Pro *conceptu* vero *noſtro* in *forma* electionis declaranda, conſideramus. 1. Æternam in mente Dei hominum quorundam præ aliis dilectionem, ſed gratuitam prorſus, nec *præſupponentem* in talibus *amabilitatem*, ſed *ponentem*, quam dilectionem Scholæ vocant *amorem communicationis*, vel *dilectionem ordinativam*, diſtinctam ab *amore complacentiæ*, vel dilectione *collativa*. 2. Eorum diſcretionem ab aliis, nec enim electio ſine diſcretione. 3. Eorum deſtinationem ad ſalutem, ut *finem*, adeoque *antecedentem prioritate naturæ*, argumento locorum, Act. XIII. 48. 2. ad Theſſ. II. 13. 4. Eorundem deſtinationem ad *media* ſalutis aſſequendæ, quæ benevolam Dei voluntatem media illa & *conſtituendi*, & conſtituta *conferendi*, & collata *conſervandi* complectitur.

XXV. *Media* illa ſunt, 1. Chriſtus *Mediator*, quem ſub hac σχέσει, ut medium *exequendæ*, non ut cauſam *inſtituendæ* electionis, nec ut *cauſam electionis*, ſed ut *cauſam ſalutis* proponit Scriptura ad Eph. 1. 4. 2. ad Timot. 1. 9. 1. Petr. 1. 20. Nec ſanè inſtaurata hominis peccatoris & rei cum Deo juſto & ſancto conjunctio, niſi per Mediatorem, fieri debebat, à quo & juſtitiæ divinæ ſatisfieret, & veritati, & per quem daretur καταλλαγὴ inter offenſum & offendentes ad Coloſſ. 1. 20. II. Chriſti Mediatoris *beneficia*, quæ electis conferuntur per vocationem eorum efficacem, per vocatorum juſtificationem perfectam, & per juſtificatorum ſanctificationem perſeuerantem. Quæ beneficia & *in Mediatore* fundata, & *ab eo* acquiſita, & *per eum* applicata ſimul ac conſeruata, indiuiduo nexu inter ſe colligata docet Scriptura, Matth. III. 11. Ioh. 1. 16. ad Rom. 8. 29. 30. ad Eph. 1. 4. 2. ad Tim. 1. 9. 1. Ioh. II. 2. IV. 10.

XXVI. *Finis* electionis conſiderari poteſt. 1 *Ratione eligentis*, & eſt gloria Dei [illegible], nec enim electio *miſericordiæ* tantùm & *gratiæ* diuinæ demonſtratio eſt, ad Rom. IX. 23. ad Eph. 1. 5. 6. ſed & *libertatis* & *potentiæ*, Math. XX. 15. 16. ad Rom. IX. 15. 18. II. *Ratione electorum*, finis electionis eſt partim eorum *ſanctitas*, Iohan. XV. 16. ad Epheſ. 1. 4. II. 10. partim eorundem *felicitas*, quæ ex ſanctitate fluit. Quam felicitatem Scriptura

inter-

interdum *gloriam* vocat ad Rom.ix.23. interdum *vitam*, & ἐξοχητικῶς quidem, *vitam æternam*, Ioh.iii.16. interdum δεικτικῶς *ſalutem*, 2.ad Theſſ.ii. 13. beneficium quippe deſtinatum non corruptis tantùm & miſeris, ſed & reis, & in quibus non tantùm nullum vitæ meritum, ſed & in quibus demeritum mortis.

XXVI. *Principiata* electionis, vel *effectus* in mediorum deſtinatorum *exhibitione* conſiſtunt, adeoque reuocari poſſunt, i. Ad *actualem* Mediatoris *miſſionem*. ii. Ad Mediatoris miſſi *actualem applicationem*. *Miſſionem* Mediatoris gratioſæ Dei voluntatis circa hominem peccatorem effectum eſſe docet Scriptura Ioh.iii.16. ad Galat.iv.4. ad Philipp.ii.6.7.8. *Applicationem* etiam Mediatoris miſſi ex electione fluere eadem docet, eamque conſtituit. 1. In efficaci electorum *vocatione* ad Roman. viii.28. ix.23. 24. 2. In univerſali ita vocatorum *juſtificatione*, ad Roman.ix.30. 3. In actuali ita vocatorum & juſtificatorum *adoptione*, ad Epheſ.i.5. 4. In ita vocatorum, juſtificatorum, & adoptatorum ſanctificatione perſeuerante, ad Theſſal.ii.23. quæ *inchoata* quædam glorificatio ad Rom.viii.30. 5. In beneficiorum illorum *ſenſu* orto ex *principiis* partim *externis*, partim *internis*, & proportionato principiis illis, qui ſenſus εὐθυμίαν parit, & pacem conſcientiæ, ad Roman. v.1. 6. In omnium illorum beneficiorum τελείωσιν per *glorificationem* completam, ad Rom.viii.30. Qui *effectus* electorum fœlicitatem *inchoant* in terris, & *complent* in cœlis, in quibus quippe conjunctim conſideratis perfecta peccati & omnium eius appendicum deſtructio reperitur, vocatio enim facit ne *ignoretur*, vel non *ſentiatur* peccatum, juſtificatio, ne *damnet*, ſanctificatio, ne *regnet*, glorificatio, ne *inhæreat* vel *exſtet*.

XXVII. Doctrina de *Electione* ita à *priori*, & à *poſteriori* excuſſa, ſequitur excutienda doctrina de *Reprobatione*. Quæſtionem *An detur*, decidunt, 1. Ea quæ de electione hactenus dicta, nec enim electio magis datur ſine reprobatione, quàm concavum ſine conuexo. 2. Scriptura, quæ nobis reprobationem κατ' ἐνδυναμίαν deſcribit, dum proponit odium quoddam Dei, idque conſtans erga certa objecta Malach.1.2. ad Roman.ix.13. Voluntatem in iis oſtendendi iram, & coagmentationem eorum ad interitum, ad Rom.ix.22. conſtitutionem ad ἀπείθειαν, 1.Pet.ii.8. deſcriptionem ad judicium, Iud.4. Sub hoc Spiritus S. dictamine compeſcenda ratiocinia omnia humana, nec vaſi expoſtulandum cum figulo, nec ius Dei in hominem ex iure hominis in hominem metiendum, nec ob diſtortas, quas caro nectit, conſequentias incurrendum in Dei vel Majeſtatem, vel libertatem, vel jus αὐτοκρατορικὸν, quod habet in creaturas omnes. 3. Abſurdum quinetiam, vel Deum de maxima hominum parte nihil ab æterno definiuiſſe, vel temporaria ex *poſtfacto* conſilia capere, vel primum decretum tali præuiſioni ſuperſtruere, quæ & cauſæ primæ perfectioni repugnet, & ab alio decreto anteriore neceſſariò ſuſpendatur.

XXVIII. *Reprobatio* verò, miſſis aliis hujus vocis ſignificantibus, ex vſu Scholarum Theologicarum, nobis hìc deſignat, Æternum immutabile,

& liberrimum Dei decretum, quo certæ hominum in æquali prorſus cum aliis omnibus corruptione & reatu conſideratorum multitudinis decreuit non miſereri, nec media ad ſalutem perducentia illi largiri: ſed eam in peccato, in quod ſe præcipitem dedit, relictam, propter id in æternum damnare, ad demonſtrationem ſuæ tum libertatis, tum juſtitiæ, tum potentiæ.

XXIX. Reprobationis verò, vt & ante electionis, conſiderari poſſunt tum *principia*, tum *principiata*: quorum quædam reprobationem excipiunt ante judicium decretorium, quædam eam excipiunt poſt illud.

XXX. *Principia* reprobationis quod attinet, notanda primò *cauſa* ejus *efficiens*, quæ eſt Deus, ſub gemina σχέσει à nobis conſideratus, pro *duplici* eius *actu* in hoc negotio intercedente, quorum *alter* eſt Dei, vt *αὐτοκράτορος* & *Domini*, qui in præteritione, ſiue *deſertione* quorundam *negatiua*, denegando gratiam indebitam quibus vult, de ſuo facit quod vult, pro libertate & potentia ſua: *alter* verò eſt Dei, ut *judicis*, in deſtinatione aliorum ad *pœnam debitam*. *Priorem* Dei *actum* circa reprobos docet Scriptura Matth. XI. 25. 26. & XX. 15. & XXIV. 40. 41. ad Rom. IX. 11. 18. & XI. 33. *Poſteriorem*, Prouerb. XVI. 4. Matth. XXV. 41. ad Roman. IX. 21. 22. I. ad Theſſ. V. 9.

XXXI. *Cauſa* προηγουμένη reprobationis ſpectari poteſt, vel quoad *actum* Dei vt *αὐτοκράτορος* & *Domini*, vel quoad *actum* Dei vt *judicis*. *Actus* Dei, vt *αὐτοκράτορος* & *Domini*, cauſa dari nequit, præter meram Dei *εὐδοκίαν*, non præparantis regnum, & non manifeſtantis myſteria regni multis pro arbitrio, vel *vocantis* eos ſaltem, non *trahentis*, *ſuadentis*, non *perſuadentis*. Nec hîc vel prævifa incredulitas, vel præuiſa in incredulitate aut peccatis aliis obſtinatio pro cauſa προηγουμένη reprobationis adducenda: Quæſtio enim redit, annon & eadem incredulitas vel obſtinatio in aliis præuiſa fuiſſet, niſi gratia efficaci, ex gratuita electione iis & deſtinata & data, Deus eam avertere voluiſſet? Communia verò & quoad *rem* & quoad *gradum* rei diſcrimen nec ponunt, nec ponere poſſunt inter eos, quibus ſunt communia. Imò vel minus mali in quibuſdam conſtituendum præ aliis, & æqualis corruptio naturæ neganda, vel ſiue *præparatio antecedens*, ſiue bonus gratiæ communioris *vſus ſubſequens* viribus naturæ imputanda; & cauſa *particularitatis*, adeoque cauſalitas vitæ æternæ, homini tranſcribenda: Aut in ſola Dei *εὐδοκίᾳ* tandem conquieſcendum: Quorum *prius* Pelagianiſmum ſiue reſtituit, ſiue incruſtat ſaltem; *poſterius* verò ſolum Deo relinquit & donum ſuum, & ſuam in eo diſpenſando libertatem.

XXXII. Nec ob id etiam ulla *peccati cauſalitas* jure Deo impingi poteſt, quamvis ratiocinia humana vndequaque magno apparatu in ſanam & Orthodoxam hanc doctrinam incurrant, modò Scripturam ſequamur magiſtram, & rectam rationem ſecundùm eam. Nec enim inde ſequitur, Deum vel *phyſicam* peccati cauſam eſſe, vel *moralem*: nec ex eo probari poteſt, Deum vel peccata inſtillare, vel cogere ad peccandum, vel peccata

ſiue

ſiue imperare, ſiue probare. Nec ipſa peccandi neceſſitas, quæ cum præteritione & denegatione gratiæ efficacis conjuncta eſt, cum libertate hominis pugnat, nec vel Deum reum, vel hominem innoxium, vel pœnam eius iniuſtam reddit. Immò benè expensâ & diſtinctâ actione hominis ab œconomia Dei circa eam, Deus reperietur juſtus, & homo reus. Vt enim Deus non largitur homini gratiam efficacem in genere cauſæ *liberè deficientis*, & operationem indebitam pro jure ſuo ſuſpendentis: ſic homo ruit in peccata in genere cauſæ *liberè efficientis*, & quidem ἑκουσίως, & cum plena ſpontaneitate patrantis, quod & malum eſt in *genere moris*, & contrarium tum mandato Dei, tum officio ſuo.

XXXIII. Sin in Reprobatione *actum* Dei, *quà judicis*, deſtinantis ad damnationem, vt pœnam intueamur, certum, peccati conſiderationem interceſſiſſe. Nec enim in Deo voluntas puniendi, niſi peccatorem, nec pœnæ ipſius inflictio iuſta ſine culpa, Matth. xxv. 41. 42. ad Rom. vi. 23. ix. 22. ad Epheſ. v. 6. Voluit itaque Deus & permittere peccatum, & propter id eos ex peccatoribus punire, quorum pro libertate ſua noluit miſereri, nec vel *corruptionem* eorum *inhærentem* purgare, vel *reatum* iis *adhærentem* auferre, ſed eos relinquere ſub ira, & ſub effectu iræ, qui ſequitur τὸ ἀνεξεδίκητον τῶ νόμου in iis qui non ſunt translati in ſtatum alium, nec inſerti Adamo ſecundo. Ab omnibus verò illis peccati effectis vindicantur electi gratia tum *trahente*, tum *juſtificante*, tum *ſanctificante*, terminanda aliquando per gloriam.

XXXIV. *Materia circa quam*, vel *objectum* reprobationis ſpectari poteſt, 1. Ratione *quantitatis*, & ſic objectum reprobationis ſunt *multi*, ſiue ἁπλῶς, ſiue συγκριτικῶς conſiderati, reſpectu electorum Matth. vii. 13. iique *definitè* tales, non *indefinitè*, Malach. 1. 2. Matth. xxv. 32. Ioh. x. 26. ad Rom. ix. 11. 12. 13. ad Hebr. iv. 13. 2. Ratione *qualitatis inhærentis*, & ſic objectum reprobationis ſunt homines conſiderati vt *peccatores*, vaſa iræ ad Roman. ix. 21. nec enim prætereuntur vel damnantur niſi corrupti, quanvis non prætereantur quà corrupti, quia aliàs nemo non præteriretur. 3. Ratione ἀξίας *adhærentis*, & ſic in hoc ſenſu ſunt multi ex *ſapientibus* & *potentibus ſeculi*, Matth. xi. 25. & 1. ad Corint. 1. 26. 27. 28.

XXXV. *Formam* reprobationis Scholæ, ad faciliorem cognitionem, diſpeſcunt in *actum negativum* non miſerendi (quanvis ille ipſe *actus negativus poſitivum* etiam certo reſpectu includat) & *poſitivum* damnandi. Et ſanè diſtinctio iſta in Scriptura ipſa fundamentum habet, quatenus de reprobatione loquitur interdum ἀποφατικῶς, interdum καταφατικῶς, & eam conſtituit interdum *negativè* in præteritione quorundam, tum quoad deſtinationem gratiæ, Matth. xi. 26. tum quoad deſtinationem gloriæ, Apocal. xx. 14. interdum *poſitivè* in deſtinatione, & ad indurationem majorem Iohan. xii. 39. 40. ad Roman. ix. 18. & ad damnationem, ad Rom. ix. 22.

XXXVI. *Finis* reprobationis ſpectatur vel *ratione reprobantis*, vel *ratione reprobatorum*, vel ratione *electorum*. *Ratione reprobantis*, finis eſt gloria tum

libertatis diuinæ in libera diſpenſatione ſua circa quorundam præteritionem,ad Roman.IX.18.20.21. tum *juſtitia* in eorum damnatione, Proverb. XVI.4. ad Rom.IX.17.22. *Ratione reprobatorum*, quanvis *impropriè*, finis eſt, iuſta eorum damnatio propter peccata, Matth.XXV.41. ad Roman.IX.22. Iud.4. *Ratione electorum* reprobationis indicia contemplantium *à poſteriori*, finis eſt παιδεία jam vocatorum efficaciter, & ἐπίπληξις nondum vocatorum efficaciter ex conſideratione ſeueritatis Dei erga reprobos, ad Rom.XI.22.

XXXVII. *Principiata* Reprobationis ſunt *conſequentia* eius,quæ partim *negativa*, partim *poſitiva*. *Negativa* ſunt actus Dei αὐτοκράτορος, deſertio in peccatis, & negatio gratiæ, vel *omnis*, vt in infantibus Paganorum extinctis in cunis extra Dei fœdus, vel *alicujus*, *convertentis* nimirum vel *renovantis*, vt in iis, qui *vocationis externæ* participes facti, Matth.XI.26. & XIII.11. Gratia enim *convincens* vel *coërcens*, χαρίσματα etiam communia ſæpe indulgentur reprobis, quippe qui per reprobationem non excluduntur à participatione omnis gratiæ, ſed tantùm à participatione gratiæ ſalutaris. *Poſitiua* verò reprobationis *conſequentia* ſunt actus *Dei judicis*, 1. Retentio peccatorum non expiatorum per ſatisfactionem Mediatoris, nec repreſſorum per ejus Spiritum,Deuter.XXVI.26. 2. Induratio *completa*, & antecedentium peccatorum per ſubſequentem cœcitatem & duritiem finalis punitio,ad Rom.1.24.26.28. 2.ad Theſſ.II.11. 3. Conſcientiæ vel ſopitæ ſtupor, vel evigilantis deſperatio. 4. Pœnæ æternæ inflictio,Matth. XXV.41.42.

XXXVIII. *Adjuncta* Electionis & Reprobationis quædam *communia* ſunt,quædam *particularia*: Vtraque conformia ſunt tum naturæ,tum perfectioni eligentis: *Communia adjuncta* ſunt, 1. Electionem æquè ac Reprobationem eſſe *actus æternos*. *Prius* patet ex Matth. XXV.34. ad Eph.1.4. 2.ad Timoth.1.9. quatenus conſideratur electio, vt diſtincta à *ſegregatione actuali* per vocationem, & ut cauſa iſtius. *Poſterius* patet ex Matt.XXV.41. quatenus conſideratur reprobatio vt diſtincta à *præteritione actuali* quorundam. Adde Decreta Dei alia eſſe non poſſe præterquam æterna. 2. Electionem & Reprobationem eſſe *actus immutabiles*,electionem quidem, Ioh. X.28.29. ad Rom.XI.29. 2. ad Tim.II.19. Reprobationem verò, quia ille qui reprobat, ἀμετάθετος eſt natura æquè ac voluntate, Eſa.XLVI.10. Iac. 1.17. Et ſanè in Deo & *principium directivum* vt immutabile concipiendum, nimirum illius ſapientia, & *principium imperativum*, eius voluntas, & *principium executivum*, eiuſdem potentia, nec vel illa mutationi obnoxia eſſe poteſt, vel iſta, vel hæc, ſine perfectionis divinæ diſpendio. 3. Electionem & Reprobationem eſſe *actus liberrimos*: Electionem quidem, quia præſcindit ab omni obnoxietate vel dependentia à creatura, ſiue conſideretur deſtinatio ad gloriam, ſiue deſtinatio ad gratiam, ad Rom.IX.16. 18. & XI.35.36. Reprobationem verò, quia & iſta liberrima, ſiue conſideretur ratione *negationis gratiæ indebitæ*, ſiue ratione *deſtinationis pœnæ debitæ*,

Matth.

Matth. xi. 25.26. & xx.15. ad Rom.ix.15.16.18.21. Vtrumque enim profectum ab eo qui ἀδέσποτος prorſus eſt & παντοκράτωρ, & αὐτόβουλος donorum ſuorum diſpenſator.

XXXIX. *Adjunctum ſpeciale* Electionis eſt, eam eſſe *actum gratioſum*, quum ſit hominis rei, & omnia alia commeriti ſegregatio ad participationem gratiæ & gloriæ indebitæ. *Adjunctum ſpeciale* Reprobationis eſt, eam eſſe actum *ſeverum* quidem, humana æſtimatione, ſed *juſtum*, ad Rom.ix.22.

XL. Κατασκευῇ doctrinæ de Prædeſtinatione præmiſſa, ſubjicimus Ἀνασκευὴν erronearum ſuper hoc argumento opinionum. Et I. Explodimus ſententiam *Origenis* & *Origeniſtarum* ejus ſequacium, cujus meminêre *Epiphanius* in Panario Hær. LXIII. & *Auguſtinus* Tomo ult. Serm.VII. De verb. Apoſt. *Peto non infirmari*, &c. Ex animabus omnibus initio ſimul creatis in cœlo, alias peccaſſe, alias non item. Hinc pro meritis bonis vel malis cujuſque animæ, ante unionem eius cum corpore à Deo præuiſis, non tantùm eas diuerſa corpora, & diuerſam in hoc mundo conditionem experiri, ſed etiam alias ad vitam, alias ad mortem prædeſtinatas eſſe. Quod commentum ab *Epiphanio* obelo jam olim notatum, & ab *Auguſtino* ex Apoſtolo confutatum, docente, *Nondum natis pueris, quum nihil feciſſent boni vel mali*, &c. *dictum eſſe Rebeccæ, major ſeruiet minori.*

XLI. II. Damnamus ſententiam *Pelagianorum*, Prædeſtinationem ſuſpendentium à præuiſis hominum meritis, & ſtatuentium, vel nullam eam eſſe, vel meritis hominum, & præuiſis eorum operibus bonis inniti, vt refert *Auguſtinus* libro de Prædeſt. Sanctorum, cap. XVIII. Deum, ſecundùm Pelagianos, præſciuiſſe, qui futuri eſſent ſancti, & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideò eos ante mundi conſtitutionem elegiſſe. Cui ὑπολήψει præſtruxêre *hypotheſes* varias. I. Primum Adamum non nocuiſſe poſteris, niſi exemplo. II. Non naſci hominem deteriorem, quàm in principio fuit conditus. III. Liberum arbitrium etiam poſt peccatum eſſe ἀμφιῤῥεπὲς & ἰσοῤῥοπον. & poſſe hominem tanquam per ſe ſibi ſufficientem per liberum arbitrium implere quod velit. IV. Gratiam dari unicuique ex meritis operum, pro bono uſu liberi arbitrij. V. Perfectionem juſtitiæ in hac vita obtineri, & hominem ſine peccato eſſe poſſe, imò libidinem eſſe naturale bonum, nec in ea eſſe quod pudeat, vt docet *Auguſtinus* in Prologo in libros Hypognoſt. T. VII. Hæc & alia id genus monſtroſę Theologiæ portenta à *Pelagio, Cæleſtio, Iuliano*, & aliis extruſa, totam œconomiam peccati & gratiæ conturbant, boni ſpiritualis initium ab homine arceſſunt, præuiſa hominum merita cauſam diſcriminis inter hominem & hominem conſtituunt, Deum de gradu dejiciunt, & hominem ἀδέσποτον fingunt, nec *prædeſtinationẽ*. ſed *poſt deſtinationem* meram introducunt, quibuſcunq; ęquiuocationum ſtrophis & cothurnis ſe tueretur *Pelagius*, homo ſinuoſus, & ἀντιμεταδής. Quæ commenta ab *Auguſtino* ſeniore jam olim exploſa libris de Prædeſtinatione Sanctorum, de Bono perſeuerantiæ, de Correptione & Gratia, & in Epiſtolis variis.

Cuius veſtigia preſsêre *Proſper Aquitanus* contra Caſsianum, ut & lib. II. de Vocatione Gent. & Reſponſione ad Capitula objectionum Gallorum, & *Fulgentius* de duplici Prædeſtinatione ad Monimum, egregij veritatis athletæ.

XLII. III. Rejicimus ſententiam *Semi-Pelagianorum*, vel *Maſſilienſium*, ſiue *Syracuſanorum*, traducem hæreſeως Pelagianæ, qui, mutatâ velificatione, ſtatuêre, Deum prædeſtinare vel eligere propoſuiſſe, quos præſciuit credituros. *Omnem quidem hominem Adamo peccatore peccaſſe, & neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam ſalvari: univerſis tamen hominibus propitiationem, quæ eſt per ſanguinem Chriſti, ſine exceptione, eſſe propoſitam, vt quicunque ad fidem & ad Baptiſmum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint. Qui autem credituri ſunt, quive in ea fide, quæ per Dei gratiam ſit juvanda, manſuri ſunt*, præſciiſſe *ante mundi conſtitutionem Deum, & eos prædeſtinaſſe in regnum ſuum, &c.* vt docet *Proſper* Epiſt. ad Auguſt. Iidem, ut notat ibidem *Proſper*, de parvulis docuêre, *tales perdi, taleſque ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad activam ſervarentur ætatem, ſcientia divina prævidérit.* Addidêre: Prædeſtinatorum numerum certum non eſſe, qui augeri vel minui non poſsit, ne locum non habeant admonitiones, nec vel lapſis cura reſurgendi adimatur, vel ſanctis obrepat tepor, aliis deſperatio. Quanvis enim iſta ſententia cruda aliqua Pelagianorum dogmata ſpecioſo tectorio inducat, & ea intercedere inter *Pelagianos* & *Semi-Pelagianos* differentia videatur, quod illi *initium* boni tranſcribant viribus humanis, iſti *continuationem* eiuſdem, & incrementum per bonum vſum gratiæ jam datæ: iſti tamen etiam, ut bene *Proſper* ibidem notat, *initium ſalutis* volunt *ſtare ex eo qui ſalvatur, non qui ſalvat, & in iſtis quoque Pelagianæ pravitatis reliquiis, non mediocris virulentiæ fibra nutritur.* Meritò itaque perſonatis illis Pelagianiſmi inſtauratoribus, & recoctoribus ſtrenuè etiam ſe oppoſuêre *Auguſtinus*, *Hilarius Arelatenſis*, & *Proſper*, qui docet, ſic principium ſalutis malè in homine collocari, & diuinæ voluntati impiè humanam voluntatem præferri, *vt ideò quis adjuvetur, quia voluit, non verò ideò, quia adjuuatur, velit.*

XLIII. IV. Res ſuas ſibi habere jubemus ſententiam *Prædeſtinatorum* veterum (quos *Prædeſtinatianos* vocant *Hincmarus*, & *Gennadius Maſſilienſis*) quorum meminit *Sigebertus Gemblacenſis* in Chronico ad Annum Domini CCCCXV. & quos eo tempore ſerpere cœpiſſe notat, & ideò ita dictos tradit, quod de Prædeſtinatione & diuina gratia diſputantes aſſererent, nec piè viuentibus prodeſſe bonorum operum laborem, ſi à Deo ad mortem prædeſtinati fuerint, nec impiis obeſſe, quod improbè viuant, ſi à Deo prædeſtinati fuerit ad vitam. Hanc verò hæreſin *Sigebertus* ibidem *ex libris Auguſtini malè intellectis* ortam ſatagit. Judicium etiam ſuum apponit. Hanc aſſertionem & *bonos à bonis avocaſſe*, & *malos ad mala provocaſſe.* Ut verò Hæreſis iſta dolo malo à Semi-Pelagianis conficta, & *Auguſtino* jam olim præter rationem impacta fuit, ut *tali commento* & *deteſtationem eius* quem *impeterent, obtinerent, & ab his quæ infamaſſent curam exterriti Lectoris averterent*, ut notat appoſitè *Proſper* Præfatione in Reſponſione ad

Capi-

Capitula Gallorum: Sic hodieque per meram calumniam à rabulis quibuſdam maleferiatis idem dogma impingitur iiſdem artibus Eccleſiæ Orthodoxæ.

XLIV. V. Damnamus ſententiam *Samoſatenianorum* & *Socinianorum*, qui prædeſtinationem, 1. *Conditionatam* ſtatuunt. 2. *Indefinitam*, *Conditionatam* quidem, eò quod Deus omnes ſibi obedientes ſeruare, omnes verò non obedientes damnare decreuerit: *Indefinitam* verò, eò quod nihil præfinierit circa perſonas ſingulares, qui ſiue ex Iudæis, ſiue ex Gentilibus vocatis conditionem illam impleturi eſſent, vel non. Imò addunt, Deum ne quidem id præfinire potuiſſe, eo quod id totum pendeat à Libero Arbitrio, & eius ἀδιαφορίᾳ, cuius ſit viam ſalutis oſtenſam vel ingredi, vel non, in eaque vel progredi, vel ab ea regredi. Quæ dogmata profana è *Pelagij* lacunis deriuata, Deo jus ſuum de perſonis ſingulis pro beneplacito ſuo ſtatuendi interuertunt, temporaria decreta *ex poſtfacto* Deo affingunt, influxum efficacem & ſalutarem Dei in hominem negant, & nihil aliud Deo relinquunt, niſi manifeſtationem viæ ducentis ad vitam, & abducentis ab exitio.

XLV. VI. Proſcribimus commenta varia *Scholaſticorum* multorum inter Pontificios, qui in hoc argumento & à Scriptura diſcedunt, & velut Cadmei fratres inter ſeipſos confligunt. *Quidam* ex illis apertè ad *Pelagium* deflectunt, & Prædeſtinationem ſuſpendunt ex præſcientia meritorum, & boni uſus, vel abuſus Liberi Arbitrij, ſiue auerſantis, ſiue acceptantis, ſiue denuò excutientis gratiam oblatam. *Alij* diſtinctionum variarum ſtrophis Lectorem involuunt, & decreta Dei pro arbitrio conſtituunt, aſſerendo, v. g. Prædeſtinationem quidem ad gloriam eſſe ex præuiſione operum & meritorum: Prædeſtinationem verò ad primam gratiam deputandam eſſe meræ gratiæ, ſed hoc non obſtare, quominus reliqui gratiæ effectus præuiſioni meritorum innitantur. Quicquid verò moliantur Pontificij, vel coguntur proprias *hypotheſes* in negotio de Libero Arbitrio, & de Juſtificatione deſerere, vel ad Pelagianorum gurguſtia velut poſtliminio reuerti. Cui rei ut præuerterent Concilij Tridentini Patres, nec *Dominicanorum* præſertim & *Franciſcanorum* lites, alterutrius partis diſpendio, & Romanæ ſedis exitio, ſuas facerent, paucis & curioſè tornatis verbis hoc argumentum perſtringendum cenſuêre. *Thomæ* ſanè *Aquinatis*, *Scoti*, & aliorum primæ notæ Theologorum è Scholaſticis aſſertiones in multis hîc ad veritatem accedunt, vt & ipſe *Bellarminus* cap. 10. & ſequentibus aliquot, lib. 11. de Gratia & Libero Arbit.

XLVI. VII. Abſurdam cenſemus ſententiam *Samuelis Huberi* ſuper hoc argumento, qui, circa finem ſeculi ſuperioris, univerſalem omnium hominum in Chriſto electionem ad ſalutem, ſiue illi credant, ſiue non credant, ſpargere & propugnare cœpit. Quod dogma meritò à Theologis Orthodoxis exploſum fuit, ut ἄχρηστον, imò ut ἀντίχρηστον, ἀδιάλογον, & ἄλογον. Nec enim electio ſine diſtinctione vel ſeparatione aliorum ab aliis dari poteſt, & Scriptura non tantùm apertè negat, omnes electos

eſſe, Matth.xx.16. 1.ad Corinth.1.26. ſed & *antitheſin* inſtituit inter electos & non electos, Matth. xxiv. 24. Johann. x. 26. ad Romanos ix. 22. 23.

XLVII. VIII. Erroneam judicamus ſententiam eorum, qui à *Luthero*, Eximio quondam Dei organo, nomen quidem trahunt, doctrinam verò in hoc argumento non item, dum ſtatuunt, *Voluntate antecedente* (nitente *univerſali Dei miſericordia, univerſali Chriſti merito, & vocatione univerſali*) Deum voluiſſe ſeriò omnes omninò homines in peccatum prolapſos per Chriſtum fide apprehendendum ſeruare: modò media gratiæ, verbum & ſacramenta non contempſerint. *Voluntate* verò *conſequente* voluiſſe tantùm ſalvare fideles, damnare verò infideles, & infidelitatem ſolam eſſe cauſam diſcretionis & particularitatis, quæ inter homines reperitur, quorum multi proprio vitio Spiritui ſancto fidem & conuerſionem in iis operari volenti reſiſtant, & media vel oblata prorſus contemnant, vel accepta denuò excutiant. Sed hæc ſententia, 1. Tria fundamenta falſa ſupponit. 2. Peccat abuſu Diſtinctionis θελήματος προηγουμένου & ἑπομένου, quæ in *Ioh. Damaſceno* occurrit lib.2. ἐκδοσ. τῆς ὀρθ. πίστεως cap. 29. & ab eodem ibidem diſtinguitur, quoad membrum poſterius, in voluntatem παιδευτικὴν πρὸς σωτηρίαν, & ἀπογνωστικὴν πρὸς τελείαν κόλασιν. Præter rationem verò applicatur ad decreta Dei, quum applicanda ſit & ad mandata Dei *antecedentia*, & ad *ſubſequentes* ſiue promiſſiones, ſiue minas eius. 3. Abſurdè *voluntatis antecedentis* impletio ſuſpenditur à voluntate humana, & iſta ita inter duo decreta intercedere fingitur, ut *antecedens* Dei *voluntas* ob voluntatis humanæ vitium velut reſcindatur, & ei ſuccedat alia. Quo ipſo Deus mutationi obnoxius, decreta eius euanida, voluntates Dei pugnantes, & ipſum *diviſum* euertentes ponuntur: imò tandem etiam homo ſuæ ſalutis architectus conſtituitur, ad quem cauſa tota diſcretionis ſui ab alio quoad acceptationem vel reiectionem gratiæ oblatæ tandem reducitur. Et ſanè vel fides dicenda arbitrij humani opus, vel itur in circulum, & quæſtio ſemper redit, cur hi media gratiæ minus contemnant quàm alij, & Spiritui S. reſiſtant minus quàm alij, & cur his fides, & quidem perſeuerans, obtingat potius quàm aliis. Itaque vel *inanis* eſt iſta diſtinctio hoc ſenſu adhibita, vel *periculoſa*, & Semi-Pelagianiſmo affinis.

XLVIII. IX. Falſam cenſemus ſententiam illorum, qui à *Iacobo Arminio*, Patriarcha ſuo, *Arminiani*, à *Remonſtrantia* (h.e. libello ſupplice ex idiomate patrio) Proceribus Batauis exhibita *Remonſtrantes* dicti, ſuper hac materia docent, 1. Voluntatem Dei de ſervandis fidelibus, & in fide eiuſq; obedientia perſeuerantibus ad finem eſſe totum decretum Prædeſtinationis ad vitam. Voluntatem etiam Dei de infidelibus perſeuerantibus ſub ira relinquendis, & æternùm damnandis eſſe totum decretum Prædeſtinationis ad mortem. 2. Electionem æquè ac Reprobationem multiplicem eſſe, *indefinitam* aliam, aliam *definitam*, aliam *generalem, particularem* aliam, eamque vel *incompletam*, & non *peremptoriam*, vel *completam*

& perempto-

& peremptoriam. 3. Prærequiſitam conditionem electionis eſſe fidem, & in ejus obedientia perſeverantiam: Et cauſam reprobationis meritoriam eſſe tantum infidelitatem adverſus Euangelium, & perſeverantiam in ea. Quæ omnia partim ὕπουλα, partim apertè ἀντίχαρα & ἀδιάλογα. Nam 1. Truncatur actuum Prædeſtinationis enarratio, & ita quidem, ut ſalva etiam illa Prædeſtinationis definitione, fieri poſſit, ut nemo mortalium ſalvetur, & ſic detur electio ad vitam, ſine electis ad vitam. 2. Cothurni verſatiles adhibentur in terminis, & Semi-Pelagianiſmi in fidelium & perſeverantium nomenclatione occultatio quæritur, quippe qua eos deſignatos volunt, qui conſiderantur ut *objectivè* & *antecedenter* tales, ante ſui electionem, non verò ſenſu orthodoxo, eos qui tales ſunt *conſequenter* & *terminativè*, quo ipſo apertè *effectus* electionis pro *conditionibus* ejus *antecedaneis* præſupponuntur. 3. Κακοφωνία & καινοφωνία circa decreta divina introducitur, eaque in minutias anxiè & febriculosè conciduntur: immò actus varii à ſapientia ſimul & immutabilitate voluntatis divinæ alieniſſimi, & prædeſtinanti Deo temerè affictì, fabricantur. 4. Prædeſtinatio ab homine & viribus Liberi Arbitrii ſuſpenditur, & eo ipſo Prædeſtinatio evertitur. 5. Non tam ſalvandorum vel damnandorum diſcretio ponitur, quàm mera conditionis, ſub qua homines damnandi vel ſalvandi, præſtitutio. 6. Prædeſtinatio hominum hac ratione protelatur uſque ad eorum mortem, quum ſuſpendatur à perſeverantia finali in fide vel infidelitate. Accedunt abſurda varia alia, quæ è ſententia illa, quocunque mangonio à Patronis ſuis adornetur, conſequuntur.

XLIX. Doctrina de Prædeſtinatione ita tum κατασκευαστικῶς, tum ἀνασκευαστικῶς pertractata, notandi compendiò hujus argumenti *uſus*, ne videatur doctrina iſta premenda potiùs, quàm cum aliquorum ſcandalo, aliorum cavillis promenda, quod ſatagebant olim ij, quorum meminit *Auguſtinus* libro de Bono Perſeu. cap. XIV. & *Proſper* ac *Hilarius* in Epiſtolis ſuis ad eundem. Sunt verò *uſus* illi vel *theorici*, vel *practici*. *Theorici* ſunt διδασκαλικοί. 1. Agnitio *ſapientiæ* Dei πολυποικίλης in *Oeconomiis* utraque tum *peccati*, tum *gratiæ*. 2. Agnitio *libertatis* ejuſdem & *juris* αὐτοκρατορικοῦ, ſtatuentis ſiue de *perſonis*, ſiue de *rebus omnibus* pro arbitrio, nec obnoxii creaturæ ulli, quippe cujus decreta liberrima, viæ imperveſtigabiles, & diſpenſatio ἀνυπεύθυνος. 3. Agnitio tum *miſericordiæ* Dei, tum *juſtitiæ* illius, in peccatorum quorundam reſtitutione in gratiam, eorundemque introductione in gloriam, iſtius, in aliorum ſiue induratione, ſiue damnatione. Nec injuſtitiæ argumentum, quorundam in gratiæ diſpenſatione præteritio, tum quia illa indebita eſt & arbitraria, tum quia ea nihil creaturæ aufertur, quod ea ut *ſuum* ſibi vindicare poſſit, quippe quæ & *eſſe* & *bene eſſe* precarium prorſus habet. 4. Agnitio *potentiæ* Dei ex una parte in reſtauratione imaginis ſuæ in quibuſdam peccatoribus per gratiam, ejuſque complemento per gloriam; ex altera, in coercitione aliorum temporaria, eorundemque punitione æterna. 5. Agnitio *gloriæ*

divinæ, quæ velut centrum omnium operationum divinarum, nec enim Deus in aliquid ferri poteſt, ut in ultimum finem, niſi quod ſummè bonum, adeoque ſummè amabile ſit, quale quid extra ipſum Deum dari nequit.

L. *Vſus practici* potiſſimi ſunt παιδευτικοὶ, παραινετικοὶ, & παραμυθητικοί. 1. Proprietatum & perfectionum illarum divinarum, æquè ac manifeſtationis & exercitii earundem in Prædeſtinationis negotio æſtimatio, admiratio, celebratio. 2. Peccati odium, imbecillitatis noſtræ ſenſus, caſtigationum divinarum toleratio, pœnarum horror, bonitatis divinæ amor, ſeveritatis ejuſdem deprecatio. 3. Vera humilitas, & ſui depreſſio, ſincera gratitudo, perſeverans ſalutis noſtræ in timore & tremore operatio, electionis & vocationis noſtræ confirmatio. 4. Curioſitatis noſtræ coercitio, viarum Domini adoratio, maleferiatorum hominum, ſiue doctrina electionis gratuitæ ad laſciviam carnis, ſive doctrina reprobationis ad deſperationem animæ abutentium, & finem ac media protervè committentium, deteſtatio. 5. Conſtantia ſiue in tentationibus, ſiue in ſcandalis, & certa filiorum Dei tum de gratia præſente, tum de gloria futura fiducia, conjuncta cum vitæ hujus contemptu, & deſiderio ac certa exſpectatione melioris.

DISPV-

DISPVTATIO
DE
PRÆDESTINATIONE.

THESIS I.

DOCTRINAM de Prædeſtinatione Scriptura tradit, & cum ea, & ex ea Eccleſia, ad prædeſtinantis gloriam, & prædeſtinatorum partim inſtitutionem & conſolationem, partim convictionem & coërcitionem, ad Rom. 8. & 9. ad Eph. 1.

II. In *defectu* hîc peccant illi, 1. Qui doctrinam iſtam non promendam, ſed premendam modeſtiæ obtentu, cum fanaticis quibuſdam, cenſent. 2. Qui eam vel ad placita & plauſum ratiocinationis corruptæ exigendam, vel ad rationem forenſem prorſus inflectendam contendunt. *In exceſſu* verò peccant illi, 1. Qui volunt omnia in hoc myſterio ἐξιχνιάζειν, nec in eo quædam ἀνεξιχνίαστα agnoſcunt. 2. Qui ita hanc doctrinam tradunt, ut ex ea fatalem quandam peccandi neceſſitatem, humanæ libertati adverſantem, educât, vel Deum peccati authorem, qui ejus oſor & ultor eſt, conſtituant. *Priores*, immodeſtiæ modeſtia ſua ſacros Scriptores reos peragunt, jus Dei coarctant, & prædeſtinationis doctrinam non ex Scriptura, ſed ex ſuo ſenſu metiuntur. *Poſteriores* partim temerarii ſunt, partim blaſphemi, utrique errant *neque ſcripturas ſcientes, neque potentiam Dei*, Matth. 22. ℣. 22. Nihil verò iſtiuſmodi Eccleſiis noſtris ſine convitio impingi poteſt.

III. Ut itaque doctrinam iſtam promendam, ſic ſanctè & ſolidè proponendam cenſemus, & ex Scriptura ſtatuendum, quale ſit τὸ προορίζειν Dei, adeoque qualis ejus προορισμός. Refert verò Scriptura τὸ προορίζειν partim ad *res*, partim ad *perſonas*. Ad *res* ſiue bonas, ſic ſapientia Dei dicitur προώρισεν, 1. Cor. 2. 7. ſiue malas, & ſic actus flagitioſi Herodis & Pilati, aliorumque id genus, patrati circa, & contra Chriſtum Servatorem, dicuntur προωρισμένοι, Act. 4. 28. Ad *perſonas*, & ſic προωρισμένοι à Deo dicuntur οἱ ἐκλελεγμένοι & ἀφωρισμένοι ad ſalutem, & ejus conſequendæ media, quos Lucas vocat τεταγμένους εἰς ζωὴν αἰώνιον, Act. 13. 48. Habita ratione non internæ τῆς τεταγμένων, quod Novatores volunt, *diſpoſitionis*, ſed externæ τῆς τάξεως *ordinationis*, vel deſtinationis. Et hoc ſenſu legitur verbū προορίζειν, unde abſtractum formamus, ad Rom. 8. 29. 30. & ad Eph. 1. 4. 5. 11.

IV. Ex locorum iſtorum Scripturæ collatione patet, prædeſtinationis vocabulum, non tantùm vel ex vi vocis, vel ex authoritate Scriptorum Eccleſiaſticorum, vel ex uſu Scholarum, vel ex Phraſium aliarum *ἰσοδυναμίᾳ*, ſed etiam ex Spiritus Sancti λέξει, Actor. 4. 28. meritò extendi, non ad deſtinationem æternam duntaxat quorundam ad ſalutem, quæ *electio* vocari ſolet, verùm etiam ad deſtinationem æternam aliorum ad damnationem, quæ *reprobatio* vulgo in Scholis Theologicis vocatur. Si enim actus reproborum προωρισμένοι dicantur cur non etiam perſonæ? Verba enim quæ exſtant Act. 4. 28. ſiue ad Chriſti mediatoris, ſiue ad paſſionum ejus ordinationem aut directionem duntaxat referre, dilutum eſt, imò id ipſum infert, quod declinatum volunt Sophiſtæ.

V. Reſtrictio verò verbi iſtius ex Scriptura, qua ad Electionem & Reprobationem arctatur, non obſtat, quo minus, habita ratione latitudinis ipſius vocabuli, in Scholis Theologicis referatur etiam ad decreta duo alia, quorum executio ordine tum naturæ, tum conſiderationis noſtræ prior eſt, & quorum unum ad hominis *productionem* terminatur, alterum pertinet ad producti *gubernationem*. Is ipſe enim, qui apud ſe ab æterno conſtituit hominis peccatoris, ſiue liberationem à *malo*, partim *ethico*, partim *phyſico*, in quod ſe præcipitem daturus erat, ſiue derelictionem in eo & punitionem propter illud, pari ratione apud ſe conſtituit ab æterno, & neceſſario quidem, tum hominis ad imaginem ſui productionem per creationem, tum permiſſionem peccati ab homine producto admittendi. Siue enim iſti duo actus ad *prædeſtinationem* referantur, ſiue ad *providentiam* Dei, poſterior ſaltem, eodem res redit, & certum ſemper, cum executio temporalis ſit index decreti æterni, Deum ab æterno decreviſſe & creare hominem, & creati lapſum liberè permittere, ſapienterque ordinare, quæ deſtinatio ſemper dici poteſt reſpectu *deſtinantis*, *prædeſtinatio* verò reſpectu *perſonarum* vel *rerum* deſtinatarum.

VI. Qui itaque è Theologis Orthodoxis prædeſtinationis nomenclatione iſta decreta etiam, ob vim vocis, complectuntur, altius aſcendit, nec *hominem lapſum* prędeſtinanti objiciunt, imò qua talem ea notione objicere non poſſunt ratione iſtorum decretorum; ſine contradictione in adjecto. Qui verò ex illis, prædeſtinationis vocabulo ex Scriptura reſtricto, *electionem* duntaxat & *reprobationem* hîc intelligunt, omnes prædeſtinantis actus circa hominem ut lapſum tantùm occupari; & merito quidem, cenſent. Utraque ſententia ſuos ex Reformatæ Eccleſiæ Doctoribus Orthodoxis Patronos habuit, habetque, nec vel illi, vel *diverſa* eorum ſuper hoc argumento non *adverſa* opiniones, per ærugimem committi debent, quum ſingulæ ſuo ſenſu veræ ſint & ſanæ, & concordes in fundamento, adeoque componendæ, non opponendæ, ut quæ differunt duntaxat ἐν τῷ πῶς. *Quidam* enim ex iis ad vim & latitudinem verbi attendunt, & *generaliori* prædeſtinationis *ſignificatu* plures Dei actus circa hominem comprehendi poſſe cenſent; alii, actibus aliis *providentiæ* divinæ, à præ-

à prædeſtinatione diſtinctæ, adſcriptis, prædeſtinationis vocabulum *ſpecialiori ſignificatu* uſurpant.

VII. Utraque verò ſententia à tota *Pelagii* Schola longiſſimè abit, ſive quæ crudum præceptoris dogma ſervavit integrum, ſive quæ cum *Maſſilienſibus* & *Syracuſanis* id aliqua ſui parte mitigatum voluit. Utraque etiam omnem prædeſtinatorum diſcretionem, ejuſque fundamentum non à prædeſtinatis, ſed à prædeſtinante duntaxat arceſſit, hominesque Deo *pares* prorſus objicit, adeoque prædeſtinanti ſuam relinquit gloriam illibatam; quorum neutrum vel *Pelagiani* vel *Semipelagiani* faciunt, ut qui & *impares* prædeſtinanti homines objiciunt, & prædeſtinatorum diſcretionem non à prædeſtinante, ſed à prædeſtinatis arceſſunt, adeoque eam, quæ prædeſtinanti debetur, gloriam illi intervertunt, eam verò, quę prædeſtinatis non debetur, καύχημα, iis tranſcriptum eunt. Quibuſcunq; enim calamiſtris dogma ſuum comant, & quaſcunque gratiæ partes hîc eſſe velint, eo tandem itur, ut pro diverſa gratiæ communioris, & ex æquo deſtinatæ oblatæque ab arbitrio humano ſpecificatione, prædeſtinationis diſcrimen petatur à prædeſtinatis, non à prædeſtinante, quod controverſiæ Pelagianæ centrum eſt.

VIII. Quamvis autem ſententiam *priorem* haudquaquam acerbè flagellandam, nec ejus fautores perſtringendos cenſeamus, ſententiam tamen *poſterioream* in *Synodo Dordracena* ex Dei verbo ſanctè ſapienterque propoſitam hîc quoque retinemus, & prædeſtinationis vocabulum intra *electionis* & *reprobationis* latitudinem coërcemus, tum quia Scriptura προορίζειν ad hos duntaxat actus diſertè refert, tum quia hic ſenſus, ſiue ad prædeſtinationis declarationem, ſiue ad conſcientiarum tranquillitatem ſufficit, tum quia Sophiſtarum cavillis amoliendis opportunus eſt, tum quia non obſtat, quominus, ubi de peccati *orti* radice & *primi* œconomia agitur, aſcendatur altius, & duo actus reliqui etiam à Theologo ſuo loco expendantur.

IX. *Prædeſtinationem* itaque *ſtrictè* iſto ſignificatu ſumptam definimus, Decretum Dei æternum, immutabile, & liberrimum, de certis hominum individuis ex æquali peccati & perditionis maſſa educendis, & ad ſalutem mediaque ad eam conſequendam neceſſaria efficaciter perducendis: de aliis verò in peccatis relinquendis, & ob id damnandis, quorum illud meræ gratiæ opus eſt, iſtud ſummæ tum libertatis tum juſtitiæ, ad Rom. 8. & 9. ad Eph. 1. 2. ad Theſſ. 2. 13. & 2. ad Tim. 1. 9.

X. Hujus decreti *Cauſa efficiens* Deus eſt [illegible]. ſiue perſonarum διακρίσει conſideratus, quamvis enim actus internus ſit, talis tamen eſt, qui pro termino habet creaturam extra Deum, adeoque *eſſentialis* & *indiviſus*, & attributum perſonis omnibus commune, ſapientiæ puta, bonitatis, libertatis & juſtitiæ opus, ad Eph. 1. 4. & 11. 2. ad Theſſal. 2. 13. Joh. 13. 18. & 15. 16. 19. ad Rom. 8. 33. *Cauſa* προηγουμένη, eſt εὐδοκία Dei. *Cauſa* προκαταρκτικὴ alia dari nequit præter miſeriam hominis ex una parte, peccatum ex altera, quamvis id ipſum [illegible] aliqua ratione dicatur.

XI. *Materia in qua* prædeſtinationis, ſive *ſubjectum*, in quo à nobis pró noſtra conſiderationis imbecillitate, concipitur, eſt non intellectus duntaxat, ſed etiam, & potiſſimùm quidem, voluntas Dei, & Scholaſtici eorumque ſequaces hallucinantur, qui prædeſtinationem vel Intellectus tantùm divini ultimatè, vel Intellectus divini potius, quàm voluntatis actum eſſe contendunt, inter quos eſt Bell. lib. 2. de gratia & lib. arbit. c. 9. ut hac ratione efficaciam prædeſtinationis convellant, & eam in nudam quandam prævisionem, vel præſcientiam convertant. Scriptura verò Prædeſtinationem, ut decretum & propoſitum, idque efficax, adeoque ut actum voluntatis divinæ, deſcribit, ad Rom. 9. 11. ad Epheſ. 1. 5. 2. Timot. 1. 9. Unde etiam conjungitur cum προθέσει & cum βουλῇ τοῦ θελήματος τοῦ Θεοῦ, ad Eph. 1. 11.

XII. *Materia circa quam* ſiue *objectum* prædeſtinationis ſunt homines peccatores, *antecedenter* & *objectivè* naturæ conditione *pares*, *conſequenter* verò & *terminativè*, pro diverſa gratiæ diſpenſatione, & ejus vel collatione vel negatione *diſpares*. Nec ſanè ulla hîc diſparitas concipi poteſt, de qua non redeat quæſtio, & à qua non aſſurgendum ſit altius, & vel in Deo diſcernente hominem ab homine prædeſtinatione ſua, vel in homine ſeipſum ab alio diſcernente actu ſuo ſubſiſtendum.

XIII. *Forma* prædeſtinationis eſt deſtinatio hominum peccato obnoxiorum, & in ejus reatu conſideratorum ad ſtatum æternum, & ad media ad eum perducentia, eaque efficax, libera & immutabilis. Neceſſarium enim inter finem & media nexum hîc intercedere docet Scriptura, ad Rom. 8. 28. 29. 30. & portenta illa prædeſtinationis *incompletæ*, non *peremptoriæ*, & *revocabilis* ignorat, quæ Dei partim ſapientiæ, partim majeſtati intercedunt, & voluntate æquè ac natura immutabili aliquam παραλλαγὴν & aliquod τροπῆς ἀποσκίασμα affingunt.

XIV. *Finis* prædeſtinationis *primarius* eſt, prædeſtinantis gloria, partim ex prædeſtinatorum quorundam ſalvatione, partim ex aliorum damnatione reſultans, eaque muliformis, pro variorum attributorum divinorum, quæ in prædeſtinatione intercedunt, exercitio quum & ſuæ hîc ſapientiæ divinæ partes ſint, ſuæ gratiæ, ſuæ juſtitiæ, ſuæ libertatis, ſuæ denique potentiæ, Matth. 15. 16. ad Rom. 9. 15. 18 23. ad Eph. 1. 5. 6. *Secundarius* prædeſtinationis finis eſt, partim gratioſè indulgenda quibuſdam prædeſtinatis ſalus, partim liberè & juſte aliis irroganda pœna.

XV. *Actus* verò prædeſtinationis hic conſideratæ qui aliis *ſpecies*, *partes* aliis dicuntur, iique adæquati & diviſo *intenſivè* & *extenſivè* pares, ſunt *Electio* & *Reprobatio*. Deſtinatur enim homo peccator vel ad *gratiam*, vel ad *iram*, & utriuſque exercitium, & ſenſum æternum; vel ad *decus*, vel ad *dedecus*. *Priori modo* εὐλογημένος eſt, & ἠγαπημένος, poſteriori κατηραμένος, κατηρτισμένος εἰς ἀπώλειαν, & προγεγραμμένος εἰς κρίμα, Matth. XXV. 34. 41. ad Rom. IX. 13. 21. 22. 23. Judæ. 4. nec mediorum claſſis datur, ſed duplex tantùm generis humani diſtributio *civitas Dei* una, *Sathanæ* altera; quarum illam electi conſtituunt, iſtam reprobi; *illa prædeſtinata eſt æternum*

regnare

regnare cum Deo, iſta æternum judicium ſubire cum Diabolo, Auguſt.lib.15. de Civ. Dei,cap.1.

XVI. Ad *electionem* quod attinet, ea in hoc notione conſiderata ab ambiguitate omni libera intelligitur, non *in tota latitudine* ſua,pro quovis propoſito ſive *perſonas*, ſive *res*, vel ad officia, vel ad beneficia externa, vel ad uſus certos ſegregandi,ut Deu.7.6.& 12.18 Nec *conſequenter* ſive pro approbatione, ut Eſa.58.6. ſive pro *ſegregatione actuali*, quæ electionis hic intellectæ executio eſt; Nec *objectivè* pro ſegregatis,ut ad Rom.11.7. ſed per electionem hic *antecedenter* vel *formaliter* deſignamus æternum Dei propoſitum ſegregandi non *habitus* primò vel *actus* perſonarum in conditionem conferendæ ſalutis, ſed *perſonas* ipſas, eaſque deſtinandi tum ad gloriæ æternæ fruitionem, tum ad gratiæ efficacis ad eam ducentis participationem ſimul & conſiderationem. Quo ſignificatu adhibetur, ad Rom.9. 11. & 11.5 28. 2.Petr.1.10.

XVII. Hoc ſenſu definimus *electionem*, decretum Dei æternum & immutabile, quo ex toto genere humano certum & definitum hominum in peccati reatu ex æquo conſideratorum numerum, non tantùm à peccato ejuſque pœna liberare, verùm etiam gloriæ gratiæque ſuæ in filio dilectionis ſuæ actu in æternum participem facere ex mera ſua *εὐδοκίᾳ*, glorioſæ gratiæ ſuæ conteſtandæ, voluit,ad Rom.8.29.30.ad Eph.1.5.6.

XVIII. *Cauſa efficiens* itaque electionis Deus eſt, ſub eadem notione, qua ſupra,conſideratus,ut cujus ſolius eſt, & ab æterno malo vindicare, & æternum bonum conferre,ac de utroque apud ſe pro arbitrio ſtatuere, ut qui unus omnis bonæ donationis, adeoque omnis gloriæ gratiæque diſpenſator eſt, Jac.7.17. Cauſa *προηγουμένη*, eſt mera eligendis *εὐδοκία*, Matth.11.25.26. Luc.12.32. ad Rom.9.11 12.15.16.18.ad Eph.1.5 11. Nec hic alia concipi poteſt.

XIX. *Cauſa προκαταρκτικὴ*, electionis nec meritum Chriſti dici poteſt, nec fides illud amplectens, vel meritum fide apprehenſum; nec *ἀξίωσις* ulla in eligendis præviſa. Errant itaque hic, 1. *Remonſtrantes*. qui Chriſtum ut Mediatorem meritoriam cauſam & fundamentum electionis eſſe contendunt. 2. *Evangelici* quidam alii,qui electionem factam ſatagunt intuitu meriti Chriſti fide apprehendendi. 3. *Pelagiani* veteres & recentes, qui vel dignitatem, vel merita in eligendis hic electioni præſtructa volunt. Quorum nullum admitti poteſt: Non *primùm*, quia Scriptura non tantùm nuſquam Chriſtum, ut fundamentum electionis, proponit, ſed tantùm ut fundamentum conferendorum bonorum electione electis deſtinatorum, adeoque fundamentum duntaxat *volitorum*, non *volitionis*, vel *rerum decretarum*, non ipſius *decreti*, Act.4.11.12. 1.Cor.3.12. imò & ordinationem Mediatoris æternam, & miſſionem ejus temporalem, adeoque & meritum ex electione, ut effectum ex cauſa ducit, Joh. 3.16. ad Eph.1.3.6. Non *ſecundùm*, tum ob eaſdem cauſas, tum quia & meritum Chriſti & fides illud apprehendens, *media* ſunt electioni exequendæ ſubordinata, illud *acquiſitionis*, iſtud *applicationis*, haudquaquam verò

cauſa impulſiva ei decernendæ præſtrata. Non *tertium*, quia præterquam quod eligendi omnes eligenti ut pares objiciuntur, ſerra reciprocatur per eandem lineam, & quæſtio redit, qui ejuſmodi vel ἀξιώσεις, vel merita prævideri poſſint in peccatore, ante decretum Dei talia huic præ alio ex mera gratia conferendi. Sibi verò aliiſque ſplendidè imponunt & ludibrium debent, qui electorum vocabulum in hoc argumento *nominaliter* pro eximiis, & interna quadam ἀξίᾳ præſtantibus aliis intelligendum eſſe contendunt, quod *participialiter* tantùm, (ut barbarè nobis loqui liceat cum barbaris) intelligi debet; ex diſerta Scripturæ ἐκλογῇ, qua Mat.20.16. ἐκλεκτοὶ dicuntur οἱ ἐξειλεγμένοι. Quamvis *conſequenter* οἱ ἐκλεγόμενοι etiam בחורים ἐκλεκτοὶ, hoc eſt, eximii evadant præ aliis, ſed ex electione & ob eam, cui imputare debent, quod tales ſint ſecundùm *rem*, & magis tales aliis ſecundùm *gradum rei*.

XX. Quum itaq; prævìſio omnis ſive bonæ *diſpoſitionis*, ſive boni *habitus*, ſive boni *actus* in eligendis non niſi poſterior decreto electionis eſſe poſſit, imò *effectus* ejus, cauſa προηγουμένη vel motivum eligentem ad electionem impellens cenſeri nequit: nec quicquam quod cauſæ hujus notionem ſubire, vel ſuſtinere aliqua ratione poſſit, dari poteſt, præter miſeriam hominis. Nec enim circa non miſerum vel *actus elicitus* electionis iſtius, vel *imperatus* occupari poteſt. Quum verò *ratio* iſta *formalis* in non electis æquè ac in electis conſiderari potuerit, miſeria hominis potius cauſa προκαταρκτικὴ dici poteſt, quod quidam ἁπλῶς, quàm quod hi præ aliis συγκριτικῶς electi fuerint.

XXI. *Materia* electionis *in qua* vel *ſubjectum*, eſt non tantùm intellectus, ſed etiam, & potiſſimum quidem, voluntas eligentis, nec enim electio eſt θεωρητικὴ quædam theorica, qualem *Pelagius* & tota ejus Schola inducit, ſed *practica*, decretum nimirum efficax voluntatis ordinandi certas perſonas ad certum finem, & potenter ad illius conſecutionem per media tum à ſe *conſtituta*, tum à ſe *conferenda* perducendi. Hinc patet, non magis electionem *revocabilem* dari poſſe, quam volitionem divinam talem, nec electioni mutationem affingi, quin affingatur eligenti, qui tamen immutabilis eſt, voluntate æquè ac natura, nec à ſe volitorum *director* tantùm ſapiens, ſed & *exequutor* potens, & per ea quidem media, quæ & eligentis ſapientiæ, & electorum libertati ſint accomoda, Eph.1.5.11. ad Rom.8.28. & 9.11. & 11.29. 2Tim.1.9. Jac.1.17.

XXII. *Materia* electionis hic conſideratæ *circa quam* vel *objectum*, ſunt, quoad *ſubſtantiam* vel *ſpeciem*, homines, non Angeli, quoad *quantitatem*, aliqui, non omnes, & quidem *definitè*, certi, non individua vaga, quoad *qualitatem*, mali & miſeri, quoad *relationem*, rei, quoad ἀξίαν externam, μικροῦ maximam partè, non κατ' ἐξοχὴν ethicè, tales, h.c. ἐνάρετοι, ſed tales *politicè*, nulla *virtutum*, nec *intellectualium*, nec *moralium*, nec *dignitatis* externæ, nec *æſtimationis* eam conſequentis ὑπεροχῇ præ aliis conſpicui, quæ ab eligente in electione ſpectetur, ut eligendi vel electi non ſuæ gloriæ ſibi velificandum, ſed tantùm in eligente & mera ejus gratia ſibi gloriandum norint.

Prædicato itaque iſto & congeneribus aliis oſtenditur tantùm, *qui* & *quales* ut plurimum eligantur ab eligente, non verò *propter quid*. Imò ob id ipſum eligendi, vel electi, quoad multa talia *antecedenter* & *objectivè* aliis inferiores ſunt, quamvis *conſequenter* & *terminativè* ex electione, & propteream iis ſuperiores evadant, qui in electorum cenſum non ſunt relati, Matth. 11.25.26. Luc.12.32. ad Rom.9.11.&c. 1.Cor.1.26.27.28.29.

XXIII. *Forma* electionis vel ratione *eligentis* conſideratur, vel ratione *electorum*. Ratione *eligentis* uno actu abſolvitur, conformi ſapientiæ ſimplicitatique eligentis, deſtinatione nimirum electorum ad ſalutem per Chriſtum. & in eo illis conferendam, Joh.3.16. 2.ad Theſſ.2.13. Ratione *electorum* verò, quorum conſiderandi modus *inadæquatus* eſt & *compoſitus*, in diverſos actus diſtingui poteſt, & in ea conſiderari, 1. *Dilectio* Dei, non *conſequens*, quæ *acquieſcentia* & *complacentia* eſt, & fertur in *objectum* jam *conſtitutum*, ſed *antecedens*, quæ *ordinationis* eſt vel *communicationis*, & fertur in objectum *conſtituendum*, adeoque in ſolo eligente fundamentum habet, non in electis, nec qualitates bonas *antecedentes* in iis præſupponit, ſed ſuccedaneas tantùm ponit, Deut.4.37.& 7. 6.7.8. & hunc affectum Dei benevolum Scriptura interdum per *ἀγάπην*, *practicam* nimirum, ex Hebraiſmo, non *theoricam* Pelagianam, ad Roman.8.28. interdum per *ἐκλογὴν* exprimit, non per *χαρίσμα*, quamvis non tam vocum iſtarum ſignificatio, quàm uſus hic ſit attendendus, Matth.11.26. ad Epheſ.1.5. 2. Dilectionem iſtam comitatur *ſecretio* vel ſegregatio electorum æterna in mente Dei à non electis, ad Epheſ.1.4. 2.Theſſ.2.13. 2.Timoth.1.9. diſtincta à ſecretione aut ſegregatione temporali per vocationem efficacem, quæ prioris executio eſt. 3. Secretio & ſegregatio illa conjuncta concipitur cum propoſito electos per *viam* gratiæ electis tum *promerendæ*, tum *conferendæ*, tum *conſervandæ*, ad *terminum* gloriæ æternæ actualiter & perſeveranter perducendi, Johan.3.16. Actor.13.48.ad Roman.8.29. 2.ad Theſſ.2.13.

XXIV. *Finis* electionis *primarius* eſt, eligentis gloria, ex ſuæ tum libertatis ac potentiæ, tum miſericordiæ & gratiæ exercitio reſultans, Matth.20.15.16. ad Roman.9.15.18.23. ad Epheſ.1.5.6. qui tamen electos tantùm perficit, non eligentem. *Secundarius* finis eſt, electorum cum Deo conjunctio in *ſanctitatis fœlicitatiſque* æternæ communione conſiſtens, prior electos à peccati fœditate, poſterior eoſdem ab ejus appendicibus & pœna omni immunes præſtat, Joh.3.16. & 15.16. 2.Theſſ.2.13. In utroque verò gloria ſaluſque hominis conſiſtit, quæ priori beneficio inchoatur, poſteriori terminatur, ad Rom.9.23. 2.Theſſ.2.13. nec à finis illius aſſecutione electi magis excludi poſſunt, quàm eligens excidere fine ſuo, vel illius ſive decretum reſcindi, ſive potentia impediri.

XXV. *Effecta* electionis ſunt, partim mediorum ad finem iſtum ducentium *præparatio*, partim eorundem *communicatio*. *Præparatio* conſiderari poteſt in propoſito tum mittendi Mediatorem, tum beneficia certa per eum procurandi & in eo conferendi electis, Johan.3.16. ad Eph.4.4.

Communicatio verò ſpectatur partim in actuali Mediatoris *miſſione*, partim in actuali tum ipſius Mediatoris, tum beneficiorum ejus *applicatione*, vel *prima*, per vocationem electorum efficacem, vel *ſecunda*, partim per liberationem à *peccati reatu* per Mediatoris ſanguinem, partim ab ejus *dominio* per ejuſdem Spiritum purgationem, partim per totalem ita purgatorum ab ejus *inhærentia* liberationem, in finali & completa eorundem glorificatione, ad Rom.8.29.

XXVI. Doctrina Orthodoxa prædeſtinationis, quoad *actum* ejus *priorem*, electionem nimirum, pertractata, ſubjicienda etiam *actus poſterioris*, nimirum Reprobationis, conſideratio: talem enim dari, hic non probandum, ſed præſupponendum, quippe quæ ex electione neceſſariò reſultat, & tum in Scriptura fundatur, Mal.1.2. ad Rom.9.13.22. 1.Petr.2.8. Judæ 4. tum in Dei perfectione, cui repugnat, 1. Fieri aliquid in tempore, de quo non ſtatuerit ab æterno. 2. Eum qui de omnibus ſtatuit, minimis etiam, nihil certi ſtatuiſſe de homine. 3. Talia illi conſilia affingi, quæ vel in tempore demum capta fuerint, & à cauſis ſecundis prorſus ſuſpenſa, imò quæ cauſam primam in ſecundas, ſecundas in primam convertunt. Adde vel Deum ab æterno per Reprobationem de damnandis ſtatuiſſe, vel non; ſi *prius*, datur æterna eorundem Reprobatio; ſi *poſterius*, vel nemo in tempore damnatur, vel qui damnatur ſine prævia Dei tum voluntate, tum ſcientia damnatur, vel velle incipit Deus & ſcire, quod ante nec voluit, nec ſcivit, quorum iſtud ſapientiam Dei convellit, illud immutabilitatem, utrumque Dei gloriæ ex æquo intercedit.

XXVII. *Reprobationem* verò hic nec in *tota ſua latitudine* conſideramus pro quovis propoſito, ſive *perſonas*, ſive *res* aliquas, vel ab *officiis*, vel à *beneficiis* externis, vel à certis *uſibus* excludendi aut removendi, nec *conſequenter* pro remotione actuali & temporali, quæ reprobationis æternæ executio eſt, nec *objectivè*, *abſtracto* poſito pro *concreto*: ſed vocabulo illo hic utimur, ſive *antecedenter*, ſive *formaliter*, ad deſignandum æternum Dei propoſitum certas perſonas in diſpenſatione gratiæ prætereundi, eaſque ad juſtiſſimas pœnas deſtinandi, Malach.1.2. ad Roman.9.13.14. &c. Jud.4.

XXVIII. Hoc ſenſu definimus *Reprobationem*, decretum Dei æternum & immutabile, quo certorum hominum, in eâdem cum aliis tum culpa, tum reatu conſideratorum pro libertate ſua miſereri noluit, ſed eos in ea, in quam ſe liberè præcipitarunt, corruptione relinquere, & propter illam in æternum damnare, juſtitiæ potentiæque ſuæ teſtandæ, voluit, Matth.11.22. ad Rom.9.22. 1.Theſſ.5.9.

XXIX. *Cauſa efficiens* Reprobationis eſt Deus, *οὐσιωδῶς* ſumptus non *ὑποστατικῶς*, quum ea *opus* quidem *ad intra* ſit, æque ac electio, *eſſentiale* tamen, non *perſonale*, & terminatum non in perſonis vel ad perſonas, ſed in creaturis, & ad eas. Quia verò *duplex* in Reprobatione diſtinguitur *actus*, duplici etiam notione hic Deus in genere cauſæ efficientis conſiderari debet; partim ut *αὐτοκράτωρ*, & liberrimus bonorum ſuorum nulli

debito

debitorum non diſpenſator, æquè ac diſpenſator, indebitæ gratiæ deſtinationem negans quibus vult, Matth.11.25.26. & 20.15. ad Rom.9.11.18. & 11.33. partim ut Judex pro tribunali ſedens, reos *debita pœna* ex ordine juſtitiæ addicens, ad Rom.9.21.22. 1.Theſſ.5.9.

XXX. *Cauſa* Reprobationis *συγκριτικῶς* eſt partim *εὐδοκία* Dei, in negatione gratiæ, partim juſtitia, in aſſignatione pœnæ, quarum illa *abſolutè* conſideratur, iſta *relatè*; illa Deum *αὐτοκράτορα*, iſta judicem mundi eſſe demonſtrat: utraq; verò reprobantis majeſtatem & gloriam reprobatis impingit, eorumque audaciam compeſcit, quippe qui nec cum Deo jure expoſtulare poſſunt, quod liber, vel quod juſtus ſit, vel quod utraque iſta proprietate ſua pro arbitrio circa hæc vel illa individua uti velit.

XXXI. Cauſa Reprobationis *προκαταρκτικὴ ἁπλῶς* conſideratæ, ratione actus quem Deus exercet ut *αὐτοκράτωρ*, nulla dari poteſt. Ratione verò actus, quem Deus exercet ut *judex*, alia dari nequit præter peccatum, nec enim deſtinans ad pœnam juſtus eſt, vel adjudicatio ad pœnam æqua, ſine *σχέσει* ad culpam, ad Rom.6.23.& 9.22. ad Epheſ.5.6. Reprobationis verò conſideratæ *συγκριτικῶς* nulla dari poteſt, & qui talem, ſive in *malis* quorundam *meritis*, ſiue in *incredulitate* aut *obſtinatione* in ea quærendam cenſent, nec rem expediunt, nec conſcientiam vel ſuam, vel alienam, nec oſtendere poſſunt, quî vel paria hic faciant diſcrimen, vel quî diſparia concipiantur in paribus, vel quî *mala* illa *demerita* potius, quàm merita, & quæcunque ſub illis continentur, ſiue *incredulitas*, ſiue in incredulitate *pertinacia* in his potius cauſa reprobationis ſint, quàm in aliis; Vel enim æqualia in hominibus mala prævidentur, vel non; ſi æqualia nulla inde diſcretionis cauſa; ſi inæqualia, 1. Quî inæqualis in æquali & ex æquali maſſa corruptio prævideri poteſt? 2. Quæ iſtius inæqualitatis cauſa eſſe poteſt, præter diverſam gratiæ conceſſæ vel negatæ diſpenſationem? Sin *communioris gratiæ* diverſus *uſus* hic obtendatur, quæſtio redit de ejus principio, quum enim ab æquali principio eſſe non poſſit, & verò æqualis in eadem maſſa omnium corruptio ſit, tota diſcriminis illius ratio arceſſenda eſt à *gratia* vel *coërcentis*, vel *convertentis*, indultæ vel negatæ Oeconomia

XXXII. Qui ex hac doctrina Deum peccati authorem conſtitui contendunt, nec jus Dei attendunt, nec crimen hominis, nec *modum agendi*, quem Deus adhibet, ſanctiſſimum æquè ac ſapientiſſimum; imò creatori minus licere volunt in creaturam, quàm creaturæ in creaturam, tantùm abeſt, ut abſolutum Deo jus de ſuis pro arbitrio ſtatuendi tranſcribant. Nec dici cum ratione poteſt, illum mali cauſam eſſe, qui malum nec aufert, nec auferre vult, quod reperit, quamvis illius introductionem, nec in genere *cauſæ phyſicæ*, nec in genere *cauſæ moralis* promoveat, nec ad ejus ablationem ullo vel jure, vel lege teneatur. Immò Deus non magis peccati author eſſe poteſt, quàm ſeipſum negare, vel deficere in agendo, quod non niſi in illum cadere poteſt, cujus vel *ſapientia* errori, vel *bonitas* defectui, vel *potentia* alieno arbitrio obnoxia eſt.

XXXIII. *Materia in qua* vel *ſubjectum* Reprobationis, noſtro conſiderandi modo, eſt voluntas Dei, non intellectus tantùm, quum & libertatis & juſtitiæ actus ſit, & decretum propoſitumque. Quamvis enim non ſit decretum *efficiens*, eſt tamen decretum *efficax*, & tametſi peccatum conſideretur jam in ſubjecto, quia tamen ex illo ſequitur tum peccati non ablatio *negativa*, tum non ablati aggravatio, circa utrumque actum iſtum voluntas Dei occupatur.

XXXIV. *Materia circa quam*, ſiue *objectum* Reprobationis hic conſideratæ ſunt quoad *ſubſtantiam* vel *ſpeciem*, homines, non Angeli, quoad *quantitatem*, multi, non omnes, Matth. 7. 13. & quidem *definitè* tales, individua certa, non *indefinitè*, individua vaga, Mal. 1. 2. ad Rom. 9. 13. 17. quoad *qualitatem*, peccatores, quoad *relationem*, rei, quoad *ὑπὸ σχέσιν ethicam σοφοὶ καὶ συνετοὶ*, vel ſeculari ſapientia inſtructi, vel ſua aliorumve opinione tales, Matth. 11. 25. quoad *ὑπὸ σχέσιν, politicam, δυνατοὶ, εὐγενεῖς*, maximam partem, 1. Cor. 1. 16. Homines verò ut peccatores à Deo reprobante ſub hac notione, prout hic exponitur, conſiderari ex eo patet, quod ut non niſi peccatores in tempore vel præterit, vel punit, ſic non niſi tales præterire vel punire decrevit, prout etiam reprobationis executio non niſi circa tales utroque actu ſuo occupatur: Tametſi ut tales à reprobante conſiderari queant, decretum etiam aliud concipi debeat de peccati permiſſione non *Ethica* quidem, quæ in relaxatione legis conſiſtit, *Phyſica* tamen, quæ conſiſtit in non impeditione peccati, adeoque quæ nullam peccati cauſalitatem Deo adſcribit, ſiue *actus* Dei *antecedentes* conſiderentur circa peccati primi Oeconomiam, ſiue *concomitantes*, ſiue *ſubſequentes*. Quibus bene expenſis, patebit Deum purum eſſe, hominem reum, & totum mundum *ὑπόδικον* Deo.

XXXV. *Forma* Reprobationis conſideratur vel ratione *reprobantis*, vel ratione *reprobatorum*. Ratione *reprobantis* in uno indiviſoque actu conſiſtit, in deſtinatione nimirum peccatorum, & eo ipſo reorum, ad pœnas æternas, & omnes ejus appendices. Ratione *reprobatorum*, ut electio, ſic reprobatio, ſecundùm *inadequatum* noſtrum, & compoſitum conſiderandi modum, diſtingui poteſt. 1. In actum liberrimum *præteritionis* quoad dilectionem Dei, & effectus ejus conſequentes, deſtinationem nimirum ad gloriam & gratiam. 2. In actum judicialem deſtinationis ad damnationem. Quamvis enim nec ille ſine iſto, nec iſte ſine illo dari poſſit, *ratio* tamen *formalis* prioris magis ad actum *negativum*, poſterioris ad *poſitivum* accedit. Et ſic Scriptura per *ἀνθρωποπαθῶς* nobiſcum balbutit, & modò actum præteritionis *negativum*, Matth. 11. 26. & 20. 14. 15. modò *affirmativum* deſtinationis ad damnationem & indurationem eam antecedentem hominibus proponit, Joh. 12. 39. 40. Rom. 9. 18. 22.

XXXVI. *Finis* Reprobationis potius conſiderari debet ratione *reprobantis*, quàm ratione reprobatorum. Illius reſpectu propriè datur, iſtorum non item. Reprobantis verò in reprobatione finis alius dari nequit, præter gloriam ipſius, quæ partim ex libertatis, partim ex juſtitiæ divinæ exerci-

exercitio reſultat. Utrumque à Spiritu Sancto deſignatur; prius Prov. 16.4. ad Rom. 9.18.20.21. poſterius ad Rom. 9.22. Iſti fini accedit *ſecundarius* alter, electorum nimirum tum ad Dei bonitatem ob ſuam electionem concelebrandam ex aliorum rejectione, tum ad ſerium ſalutis ſuæ in timore & tremore perficiendæ ſtudium excitatio, ad Rom. 11.22.

XXXVII. *Effecta* vel *Conſequentia* potius Reprobationis ſunt, 1. *Mali* jam *præhabiti*, h. e. partim *corruptionis hominis inhærentis*, partim *reatus* ei *adhærentis* imputatio. 2. *Nondum habiti* inflictio. Vt enim electio ex ſe ponit ablationem mali utriuſque, iſtius per gratiam juſtificantem, illius verò per gratiam ſanctificantem, quamvis ſuis diſtinctam gradibus; ſic reprobatio ex adverſo ex ſe ponit utriuſque gratiæ negationem, adeoque & mali *ethici phyſicique* in peccatore relictionem. Accedit verò illi malo, *mali nondum habiti* inflictio, quam revocamus partim ad *mali ethici* augmentum per indurationem judiciariam, & peccatorum antecedentium per peccata ſubſequentia punitionem, ad Rom. 1.24.28. 2. Theſſal. 2.11. quam excipit durities totalis finaliſque, partim ad *mali phyſici complementum*, æternas nimirum pœnas, quibus juſto Dei judicio homo peccator mancipatur, ut qui in *ſuo æterno* nunquam peccare deſiit, is *in æterno Dei* æternas & infinitæ culpæ proportionatas pœnas luat.

XXXVIII. Ut verò iſtam de Prædeſtinatione doctrinam Dei verbo conformem, conſcientiæ tranquillandæ accomodam, & pietati in homine fovendæ opportunam cenſemus: ſic heterodoxas omnes hæreticorum, & ſectariorum variorum opiniones, quæ ab hoc fundamento recedunt, à veritate & ſententia noſtra alienas eſſe profitemur; quæ quidem ad *duas claſſes* revocari poſſint. Quidam enim prædeſtinationem prorſus *negant*, alii ſalutarem de ea doctrinam commentis ſuis *corrumpunt*. Ad *priorem claſſem* pertinent, 1. *Athei*. 2. *Epicurei*. 3. *Academici* & *Sceptici*. 4. *Iudæi*. Quamvis enim ſtatuant, Deum ex mero beneplacito ſuo, ex humano genere quoſdam elegiſſe, quos præ aliis ſpiritu prophetiæ donaret, ſtatuunt tamen in genere, Deum illius demum miſereri & illum *futuri ſeculi* participem facere, qui tredecim עקרים ſiue articulos fundamentales באמנה שלמה *fide perfecta crediderit*, & legem Moſis obſervare conatus fuerit, illum verò puniendum, qui legem Moſis deſpexerit, vel non obſervare conatus fuerit. 5. *Anabaptiſtæ*, qui ſobrietatem hic & modeſtiam prætexunt ignorantiæ affectatæ.

XXXIX. Ad poſteriorem verò claſſem referri debent. 1. Illi, qui Pelagianam hæreſin integram retinuerunt, retinentque. 2. Ii qui Pelagianorum hîc hæreſeωs traduces ſunt. Pelagianorum hæreſin integram præter Pelagianos veteres retinuere. 1. *Socinians*, qui *Pelagii* hominis ſui pleni, & gratiæ gloriæque Dei ſuperbi oſoris opiniones crudas nobis reponunt, & cum magiſtro illo ſuo Electionem à præviſione obedientiæ, Reprobationem verò à præviſione inobedientiæ ſuſpendunt, & ſpeciale de ſingulorum ſalute vel damnatione decretum à Deo conceptum negãt, immò id ipſum ne concipi quidem potuiſſe docent, ut cui infallibilis

rerum omnium futurarum præſcientia adſcribi cum ratione nequeat, ne ſcilicet quid pereat idolo liberi arbitrii, quod in omnium animis erectum volunt, & hominem ſacrilegum, & varia ſui fiducia turgidum eſſe malunt, quàm humilem & ſoli Dei gratiæ innixum. 2. *Pontificii* multi, qui ab Auguſtini doctrina hic receſsêre, & cum Scholaſticorum impuriſſimis prædeſtinationem *in genere* ſecundùm bonorum aut malorum operum præviſionem factam contendunt, vel prædeſtinationem ſaltem ad *gloriam*, quod Sophiſtarum πρῶτον ψεῦδος eſt, à meritis humanis ſuſpendunt, prædeſtinationem verò ad *gratiam*, gratuitam faciunt, quaſi verò aliud utriuſque principium eſſe poſſit, & quaſi non ex prædeſtinatione gratuita ad *gratiam* neceſſariò conſequatur prædeſtinatio gratuita ad *gloriam*.

XL. *Pelagianæ* verò hæreſews *traduces* hîc ſunt, 1. *Maſſilienſes & Syracuſani* veteres, quibus *Semipelagianorum* nomen hæſit, qui prædeſtinationem à fidei, & incredulitatis prævifione ſuſpenſam voluêre. 2. *Evangelici* quidam, qui *Lutheri* nomen ſibi ſuiſque opinionibus præſcribunt, quamvis in hoc argumento a Magiſtro ſuo longiſſimè recedant, qui Auguſtinianæ Theologiæ, æquè ac familiæ, cui nomen dederat, innutritus, hîc in alia omnia ivit. Tripliciter verò hîc potiſſimum impingunt, 1. Dum *gratiam univerſalem* eatenus urgent, quatenus & *antecedentem* Deo omnes in univerſum ſalvandi voluntatem affingunt, & tum *affectum* univerſalis miſericordiæ, tum *effectus* congeneres, partim in acquiſitione univerſali ſalutis per ſatisfactionem Mediatoris, partim in univerſali ejus oblatione per vocationem propugnant. 2. Dum prædeſtinationem ſpecialem ex fide vel incredulitate prævifa ſuſpendunt. 3. Dum certum electorum reproborumque numerum æterno immutabilique Dei decreto definitum eſſe, aliqui ſaltem ex illis, negant. 3. *Remonſtrantes*, qui eaſdem opiniones ſpargunt, ſed gravius adhuc & periculoſius hîc peccant, quum præter errores iſtos errent adhuc alios. 1. Dum & abſurda quatuor decreta, & abſurdum eorum ordinem, in prædeſtinationem invehunt, nec methodum tantùm novam, ſed nova etiam dogmata tradunt, & prædeſtinationem ex una parte *latiſſimè* extendunt, ea nomenclatione iſta complectendo, quæ ad prædeſtinationem non pertinent: ex altera *ſtrictiſſimè* reducunt ad voluntatem ſalvandi perſeveranter credentes, damnandi perſeveranter incredulos, ea excludendo, quæ ad eam pertinent. 2. Dum electionis & reprobationis ſpecies varias comminiſcuntur, & *incompleta*, *non peremptoria*, ac *revocabilia* decreta, indigna Deo immutabili omnium directore, & infallibiliter omnium præſcio, confingunt. 3. Dum fidem non Dei donum, ſed hominis opus faciunt: Quamvis enim dogma iſtud crude non proponant, imò ab eo alieni videri velint, id tamen ex *gratiæ reſiſtibilis* re & nomine barbaræ dogmate conſequitur, & poſt multas ambages tandem in homine ſubſiſtendum, donum Dei pro arbitrio ſpecificante. 4. Dum fidem non per fiduciam cum Scriptura, ſed cum *Socini* diſcipulis, per fiducialem obedien-

dientiam definiunt, eamque nobis in ſe & propriè potius ad juſtitiam imputari per acceptilationem quandam, quàm *organicè* ratione actus ſui & *correlativè* ratione *objecti* ſui contendunt. 5. Dum æternitatem & immutabilitatem prædeſtinationis convellunt, & ejus *certitudinem*, tum *objectivam*, tum *ſubjectivam* everſum eunt.

XLI. Omnes verò ſive Pelagianiſmi, ſiue Semi-Pelagianiſmi fautores id agunt, ut doctrinam de Prædeſtihatione ad intellectus carnalis, & fori humani rationes componant, & prædeſtinantem bonis præmia, malis pœnas pro tribunali aſſignantem introducant: adeoque, ſi homines iſtos audimus, nequicquam admodum Apoſtolus id egit, ut jus Deo abſolutum de omnibus pro arbitrio ſtatuendi adſcriberet, vel βάθη quædam ἀνεξιχνίαστα in hoc myſterio reperiri doceret, & hominem potentiæ ac poteſtatis Dei commemoratione compeſceret. Quod ſi enim Patriarchas iſtos Doctores admittamus, nihil in Prædeſtinationis negotio reperietur, quod non cum humanæ ratiocinationis ſimul ac conſuetudinis, & æquitatis norma apprimè conveniat. Aliter verò hic viſum Deo prædeſtinanti, aliter Spiritui Sancto, hanc de Prædeſtinatione doctrinam nobis revelanti, quæ hominem hic unicè depreſſum it, & Deum in ſummo libertatis ac poteſtatis ſuæ ſolio conſtitutum nobis ad religioſam venerationem & adorationem proponit.

DISPVTATIO
DE
PRÆDESTINATIONE,
cum annexis eis capitibus.

DE
AMPLITVDINE, & EFFICACIA
mortis Chriſti.

DE
CAVSA CONVERSIONIS
noſtræ ad Deum eiuſq; modo.

ET DE
PERSEVERANTIA SANCTORVM.

THESIS I.

IN proponenda ardua illa Prædeſtinationis materia, medius inter duo devia curſus tenendus eſt, nec vel extra Scripturam ratiociniis humanis indulgendo laſciviendum, vel doctrina in verbo Dei revelata præpoſteræ modeſtiæ obtentu ſilentio tranſmittenda, quorum illud temerarium & periculoſum, hoc impium & profanum, utrumque in ipſum Deum, ſacrumque ejus verbum, quod menſuram fidei & ſapientiæ noſtræ eſſe voluit, injurium eſt.

II. Et quia materia iſta cavillis & arguciis humanis admodum obnoxia eſt, commodiſſimum fuerit ad totum negotium expediendum rem à capite arceſſere, & duplicem hominis *ſtatum* tum *integritatis* in quo à Deo collocatus, tum *peccati* in quem ſe proprio motu præcipitem dedit paulò altiùs repetendo eruere.

III. Deum quidem in prima creatione hominem rectum, & integrum ad imaginem ſuam condidiſſe, Scriptura docet, Geneſ. 1. 26. 27. 31. 1. Cor.

1.Cor.11.7. Eph.4.24. Col.3.10. hominem verò à Creatore ſuo ſpontanea defectione deſciſcentem amiſſis donis aliquibus, corruptis aliis, primæua integritate & juſtitia originali excidiſſe, adeoque ſibi omnibuſque poſteris maledictionis & mortis æternæ reatum attraxiſſe, Gen. 8.5. & 8.20. Eccl.7.29. Rom.3.10.& 5.12. Iac.1.13. 1.Ioh.2.16. 1.Ioh.3.8.

IV. Cum itaque omnes in univerſum homines in Adamo peccatores conſtituti deſtituantur gloria Dei, naſcantur filii iræ, totuſque mundus ſit obnoxius condemnationi Dei, Rom.3.19.23. Eph.2.3. nemo Deum injuſtitiæ poſtulare potuiſſet, ſi univerſum genus humanum in peccato & maledictione relictum æternæ damnationi addixiſſet: proinde quod alios ex communi illa perditionis maſſa exemptos ad participationem vitæ æternæ deſtinauit, indebitæ ipſius gratiæ & miſericordiæ tranſcribendum, quod alios in ea relictos commeritis pœnis plectere decreuit, ad propriam hominis culpam, juſtiſſimumque Dei judicium, utrumque ad eius gloriam referendum eſt.

V. Quæ quidem hominum æqualiter perditorum diſcretio eſt ipſiſſimum illud *Prædeſtinationis* decretum, quo Deus ab æterno ſecundùm beneplacitum ſuum conſtituit ex maſſa generis humani corrupta certos homines per Chriſtum ſeruando, cæteros deſerendo, & ob eorum peccata juſtiſſimis pœnis afficiendo ſeipſum glorificare.

VI. Prædeſtinationem enim Angelorum, qua Deus alios præſeruare à lapſu & in bono ad ſalutem confirmare, alios contra lapſui permiſſos & in eo relictos damnare decreuit, vt ab inſtituto noſtro alienam hic prætermittimus: Cum vel in primis Scriptura paucis eam attingat, Matth. 25.41. Ioh.8.44. 1.Tim.5.21. 1.Pet.2.4. Iud.1.6.

VII. *Cauſa efficiens* illius decreti, eſt Deus, cuius non ſolùm eſt prouidentia ſua omnium aliarum rerum tum fines tum media præſcire ac præordinare, verum etiam ea ad creaturam rationalem applicata ſtatuere, quid de unoquoq; hominum quoad æternam illius ſalutem vel exitium fieri velit. Προηγουμένη, merum eius beneplacitum Matth.11.25.26. Epheſ. 1.9. *Materia* ſeu *objectum*, homo peccator, Joh.15.19. *Forma*, deſtinatio eius ad ſtatum æternum. *Finis*, illuſtratio gloriæ Dei in patefactione tum miſericordiæ tum juſtitiæ.

VIII. Quamvis verò ex uſu Scripturæ vox *Prædeſtinationis* communiſſimè ſumatur pro Electione ad vitam, quæ Prædeſtinatio Sanctorum vocatur, Rom.8.29.30. Eph.1.5. Scholarum tamen uſus obtinuit, ut utrumque Dei conſilium deſignet & præter Electionem etiam *Reprobationem* complectatur, quas duas Prædeſtinationis ſtrictè ſumptæ ſeu partes ſeu ſpecies diuiſione diuiſo adæquatâ conſtituimus. Neque enim ordo aliquis mediorum ſeu neutrorum datur, aut enim ſumus in amore Dei & ſic vaſa miſericordiæ præparata ad gloriam, aut in odio, & ſic vaſa iræ coagmentata ad interitum, Rom.9.22.23.

IX. Per *Electionem* intelligimus immutabile Dei decretum, quo ſecundùm liberrimum voluntatis ſuæ beneplacitum ex uniuerſo genere hu-

mano in peccatum prolapſo certam quorundam hominum in communi cum aliis miſeria jacentium multitudinem ad ſalutem in Chriſto elegit, eamque per verbum & ſpiritum efficaciter vocando vera fide donando, juſtificando, ſanctificando æternum glorificare conſtituit ad laudem glorioſæ gratiæ ſuæ, Rom.8.29.30. Eph.1.4.5.6.

X. *Cauſa efficiens Electionis* eſt Deus, tum Pater, Epheſ. 1.3.4. tum Filius, Ioh.13.18. & 15.16.19. tum Spiritus ſanctus, cum opera Dei ad extra ſint indiuiſa & tribus perſonis communia: προηγουμένη ſolum Dei beneplacitum corruptione pares diſcernens, Matth.11.26. Luc.12.32. Rom. 8.28. & 9.11.18. Eph.1.9.11. 2.Tim.1.9.

XI. *Materia circa quam ſeu objectum*, eſt certus hominum numerus, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ, Luc.10.20. non uniuerſi & ſinguli, eligere enim eſt aliquos ex omnibus legere, Deut.7.6. Ioh.15.19. vnum accipere, alterum relinquere, Matth.24.40.41. *Forma* conſiſtit in duobus actibus: 1. in ſegregatione certarum perſonarum ſingularium, & earum diſcretione à reliquis. 2. In earundem deſtinatione tum ad gloriam, tum ad gratiam, Rom.8.29.30. 1.Theſſ.5.9. 2.Theſſ.2.13. *Finis ſummus*, Dei eligentis gloria in patefactione gratię & miſericordiæ, Rom.9.23. Eph.1.6. *Subalternus*, æterna electorum glorificatio, Rom.8.30. 2.Theſſal. 2.13.14.

XII. Quibus fundamentis probè ex Scriptura jactis concidunt commenta illorum, qui vltrà Dei beneplacitum aſſurgentes cauſarum vel conditionum in obiecto eligibili pręrequiſitarum & pręuiſarum chimæras ſibi fingunt, & *Electioni* vel *univerſale quoddam meritum Christi*, vel *fidem*, vel bona *opera præuiſa*, vel *bonum liberi arbitrij vſum antecedaneum* ſubſternunt, quo ipſo Deus primum Electionis principium eſſe negatur, aliud conſtituitur fundamentum Electionis, & conſequenter ſalutis, ſalus volentis & currentis eſſe docetur, & ex voluntate hominis ſuſpenditur, adeoque vt à re contingenti & mutabili pendens, contingens & mutabilis arguitur.

XIII. Scriptura enim docet *meritum Chriſti* eſſe medium miſericordiæ Dei erga homines ſubordinatum, non verò cauſam ipſius, amor enim Dei quo mundum complexus eſt, cauſa ei fuit mittendi filium, Ioh.3.16. ſic Apoſtolus ex doctrina Prædeſtinationis ad vitam deducit traditionem filij in mortem, Rom.8.32. Eundem nexum obſeruat, Eph.1.4.5.6.7. Imò ipſe Chriſtus ut Mediator ad nos redimendos ante jacta Mundi fundamenta præordinatus dicitur, 1.Pet.1.20.

XIV. Nec vel *præviſam fidem* vel *fidei præviſionem* Scriptura vt conditionem antecedaneam Electioni præmittit, ſed contrà docet. 1. Fidem eſſe gratuitum Dei donum tum quoad initium, tum quoad incrementum, tum quoad potentiam, tum etiam quoad actum, Eph.2.8. Phil.1.29.11. *Eſſe poſteriorem* Electione ejuſque fructum & effectum.

XV. Ei rei confirmandæ locus eximius eſt, Actor.13.48. vbi cauſam Lucas aſſignat, cur prædicationem Pauli diuerſus euentus exceperit,

Credide-

Crediderunt, inquit, *quotquot fuerant ordinati ad vitam æternam*, quod ex mente Nouatorum inuertendum eſt, ſic Paulus Epheſ. 1. 4. Deum nos elegiſſe ait in Chriſto non ob ſanctitatem, ſed ad eam cujus principium fides quâ purificantur corda. Actor. 15. 9. Sic ibidem ℣. 5. Deus nos prædeſtinaſſe dicitur ad υἱοθεσίαν, ergo ad Spiritum adoptionis adeoque ad fidem per quam adoptamur, Ioh. 1. 12. Sic 2. Theſſ. 2. 13. Deus nos elegit ad ſalutem per ſanctificationem ſpiritus, & fidem habitam veritati, vt media ſalutis, effecta Electionis. Sic Tit. 1. 1. fides non eligendorum, ſed electorum dicitur.

XVI. Imò Prædeſtinatio illa eventualis ſpontè credentium & ſe ad fidem ac perſeuerantiam determinantium poſt deſtinatio revera non prædeſtinatio dicenda eſt, ideoque dum Deus dicitur elegiſſe credentes, non terminus à quo antecedenter, ſed ad quem conſequenter exprimitur.

XVII. *Operum* item *prævißonem* diſertis verbis Apoſtolus à decreto Prædeſtinationis excludit, non ex operibus ſed ex vocante, Roman. 9. 11. Eph. 2. 10. Sic opera bona non prævidit, ſed præparauit Deus vt in iis verſaremur, 2. Tim. 1. 9. vocauit nos non ex operibus noſtris, ſed ex ſuo propoſito & gratia. Nec enim propter *opera naturæ* electi ſumus, vt quæ omninò mala, & omnibus communia, nec *gratiæ* cum effectus non poſſit eſſe cauſa ſuæ cauſæ.

XVIII. Qualis denique præuideri potuit *bonus liberi arbitrij vſus* in hominibus mortuis in peccatis, filiis iræ natura, ineptis ad cogitandum ex ſe quidquam boni. Certè latro numquam libero arbitrio ſuo ad bonum vſus eſt, ſed contra ad ſcelera & latrocinia, in quibus totam vitam exegerat, abuſus fuit. Omnia itaque iſta, *meritum Chriſti fides, bona opera, bonus liberi arbitrij vſus*, utut in ſalvando requirantur, non tamen in eligendo prærequiruntur.

XIX. Vt verò hic in *cauſa* Electioni aſſignanda peccatur, ſic Nouatores *objectum beneplaciti Dei* conſtituunt *indefinitum* & *vagum*, ipſamque concidunt in fruſtra Electionem, & aliam faciunt *generalem* & *indefinitam ſecundum voluntatem antecedentem*, aliam *ſingularem* & *definitam ſecundùm voluntatem conſequentem*, aliam incompletam & *non peremptoriam*, etiam *completam* & *peremptoriam*. Quæ commenta in ſe invicem arietant, Pelagianorum & Semipelagianorum errores interpolatos revocant, Apoſtolicam illam catenam laxant, & incertum tum electorum, tum reproborum numerum conſtituunt. Contra Scriptura unius ſaltem electionis & beneplaciti immutabilis meminit. Roman. 8. 89. Epheſ. 1. & certum primogenitorum in cœlis ſcriptorum cœtum proponit. Hebr. 12. 23.

XX. Tametſi verò illud decretum *abſolutum* ſit *à priori*, quatenus à ſola Dei εὐδοκίᾳ & miſericordia, non ab ulla conditione extra eum vt cauſa pendet, *conditionatum* tamen rectè dicitur *à poſteriori*, ratione mediorum per quæ Deus illud exequi decreuit, inter quæ *Chriſtus* conſideratus ut

Mediator θεάνθρωπος, vt fundamentum & cauſa meritoria ſalutis noſtræ, primas obtinet, cujus morte & ſatisfactione à maledictione æterna exemti Deo reconciliaremur & in ſtatum gratiæ reſtitueremur, Actor.4.12. Eph.1.4. 2.Tim.1.19. 1.Pet.1.20.

XXI. Explodendum itaque commentum illud Nouatorum qui decretum illud de mittendo filio præponunt decreto electionis, adeoque Chriſtum ſine certo ac definito conſilio quenquam ſalvandi mortuum eſſe contendunt, cum Scriptura illud ex hoc ut effectum ex cauſa ſua deducat, Joh.5.16. Rom.5.8. Epheſ.1.4.7. & 5.25. 1.Joh.3.16. 1.Johan.4.9. & Chriſtus moriens nos conſiderauerit ut ſibi datos à patre, ut amicos, ut oues. Ergo ante mortem ejus jam eorum facta erat diſcretio, Joh.10. ꝟ.11. 15. & 15.13.

XXII. Imò ſi accuratè loqui velimus, decretum Electionis quorundam ad ſalutem, & decretum de mittendo Chriſto ad eos ſalvandos, non ſunt duo decreta ſed vnum de certis hominibus per Chriſtum ſalvandis. Qui enim *rem* ſalutem nimirum prædefiniuit, idem rei *modum* eadem quoque ſapientia ſimul præſtituit, 2.Theſſal.2.13,14. Quin cum ſæpè ſalus electorum finis rationem habeat, mors verò Chriſti medii locum comparatè, ſi ordo inter hæc diſponendus, in intentione finem mediorum ordinatio præcedere non poteſt.

XXIII. Quamvis verò *mors & ſatisfactio Chriſti* ſufficientiſſima in ſe fuerit ad expianda peccata totius mundi, ut λύτρον infiniti valoris, tum ob dignitatem perſonæ, tum ob excellentiam obedientiæ, & grauitatem ſupplicii, interim tamen cum Scriptura ſacra ejus & deſtinationem & fructum ad ſolos electos, quibus ex conſilio Patris tantùm deſtinatus fuit, extendimus, quæ eum *pro multis*, *pro ouibus ſuis*, *pro Eccleſia*, *pro filiis Dei*, *pro populo ſuo*, in mortem traditum conſtantiſſimè aſſerit, Matt. 1.21. & 26.28. Johan.10.15. & 11.52. Actor.20.28. Epheſ.5.23.25. Hebr. 9.28.

XXIV. Si quæ notæ vniuerſales alicubi occurrere videntur, eæ reſtringendæ ſunt ad genera ſingulorum, non ad ſingula generum, ut in ſcholis loquuntur, nec collectivè omnes & ſingulos, ſed diſtributivè plerunque tum Judæos tum gentes in novum fœdus peculiariter adſcitas deſignant. Imò ſua quoque fidelibus eſt univerſitas quæ mundus dicitur credentium & ſervandorum, Joh.3.17. & 17.21.

XXV. Neque enim vel verbum reconciliationis, vel reliqua media ad fidem & reſipiſcentiam neceſſaria omnibus obtingunt, ut non ſolùm euidentibus Scripturæ locis, Pſalm.147.19.20. Actor.14.16. & 16.6.7. & 18.10. ſed & experientia magiſtra conſtat, nec dilectio Dei, aut interceſſio Chriſti omnibus eſt communis, cum tamen duo actus officii mediatorii indiuiduo nexu cohæreant, Rom.8.34. & paſſim in Epiſtola ad Hebræos. Quid? an iis reconciliandis Chriſtum victimam deſtinatum fuiſſe dicemus? qui eo ipſo tempore, quo mortem oppetebat, jam in infernum compacti cruciatibus infernalibus ſubjacebant.

XXVI.

XXVI. Nec univerſalis illius gratiæ patronis receptus patet, dum *impetrationem* reconciliationis ad omnes in univerſum, *applicationem* autem ejuſdem ad ſolos fideles extendunt, præterquam enim quod diſtinctio iſta eo ſenſu accepta nullum in Scriptura fundamentum habet, ut quæ ſolius reconciliationis meminit, impetrationem fruſtraneam facit iis qui nunquam crediderunt, aut credituri ſunt: adeoque aliquid a Deo impetrari docet, quod non actu conferat, cujus tamen nec voluntas mutari nec decreta reſcindi poſſunt.

XXVII. Quod ſi fundamentum iſtius diſtinctionis excutiatur, planum eſt, eam veteri Semipelagianorum errori apertè patrocinari, gratiam Dei & beneficium mortis Chriſti ad omnes æquè extendendo, ejuſque fructum viribus liberi arbitrii adſcribendo, quod ſe ad gratiam communiter oblatam indifferenter applicet.

XXVIII. Promiſſio quidem Euangelii omnibus indiſcriminatim, quos Deus verbi ſui prædicatione dignatur, proponenda eſt cum conditione reſipiſcentiæ & fidei, eò quod nemo à ſpe ſalutis nominatim in Scriptura excluditur, nec arcana vel electionis vel reprobationis nobis perſpecta ſunt.

XXIX. Non ſufficit verò offerri nobis beneficium mortis Chriſti, niſi id vera fide amplectamur, atque ita in eo fiduciam noſtram coram Deo collocantes ad vitam æternam regeneremur, proinde tum *de cauſis fidem & converſionem in nobis efficientibus*, tum *de modo* nonnihil diſpiciendum eſt.

XXX. Ad *cauſas* quod attinet, in earum cenſum non venit *liberum hominis arbitrium*, nec *ut cauſa totalis*, cum ante regenerationen homo ſit *mente* cœcus, Eph.5.8. cujus intelligentia mors eſt & inimicitia adverſus Deum, neſcia ſubjici legi Dei, Rom.8.6.7. *voluntate* pravus, Ier.17.9. cujus cogitationes omnes tantummodò malæ ſunt, Gen.6.5. & 8.21. *affectibus* rebellis, Roman.7.5. Tit.3.3. venditus ſub peccatum, Roman.7.14. corpore & omnibus membris ſervus peccati, immò mortuus planè in peccatis Eph. 2.1.5. quæ mors ſpiritualis eſt totalis vitæ ſpiritualis, & virium, in quibus ea conſiſtit, priuatio.

XXXI. Itaque homo irregenitus & in puris naturalibus conſtitutus nihil de ſuo adfert præter naturalem averſionem & impotentiam, nihil ad ſui *converſionem* confert præter ſolam volendi & nolendi facultatem, ſine qua ne homo quidam eſſet. Quo flagellatur dogma illud ex Pelagii Schola hauſtum, hominem corruptum lumine naturæ bene uti poſſe ad lumen gratiæ ſibi comparandum.

XXXII. Nec ut *cauſa partialis* & ſocia gratiæ, qua adjutum ſeſe ultroneo motu ad bonum applicet, ut cui Scriptura totum hoc negotium in ſolidum vindicat, excluſa etiam κατ' αὐτίϑεσιν cooperatione & concurſu virium humanarum, Matth.16.17 2.Cor.3.5. Eph.2.8. Faceſſat proinde Semipelagianiſmus à Novatoribus interpolatus inter gratiam Dei & voluntatem hominis in converſione noſtra operas partientibus.

XXXIII. Remota cauſa falſa κατ' ἄρσιν in θέσιν ſolidam conuerſionis noſtræ laudem *Deo per Spiritum S. efficaciter in nobis operanti* cum Scriptura tribuimus. Ille omnis boni operis quod à nobis fit, author eſt, ab eo omnis noſtra ſufficientia eſt, 2.Corint.3.5. cuius gratuitum donum eſt & ſalus & fides noſtra, Epheſ.2.8. cuius in nobis eſt operari velle & perficere, Phil.2.13. cuius eſt reuelare myſteria regni cœlorum, Matth.11.25. & 16.17. & præter illuminationem intellectus etiam cor clauſum aperire, durum emollire, præputiatum circumcidere, Jer.31. & 32. Ezechiel.36.26. Actor.15.14.

XXXIV. *Forma ſeu modus* conuerſionis noſtræ non conſiſtit in vocatione ſolùm externa quæ fit per auditū verbi & reprobis etiam communis eſt, non in motu ſolùm ethico, & ſuaſionibus moralibus, propoſito intellectui objecto, quæ ſi ſolæ adhiberentur, conuerſio impoſſibilis foret, ſuaſio enim conuerſionis, eſt ſuaſio rei ſimpliciter impoſſibilis homini mortuo in peccatis. Quin etiam ſi Deus ſuaſor tantùm eſt conuerſionis, certè non eſt nec præcipua nec directa eius cauſa, cum ſuaſio non aliter fiat, quàm per modum objecti, nec qui tantùm ſuadet, id quod ſuadet, ſuadendo confert aut efficit.

XXXV. Sed potiſſimum in vocatione interna quæ fit κατὰ πρόθεσιν, Rom.8.28. qua & ſoli electi vocantur, & qui vocantur veniunt, quibus Deus dat mentem ad cognoſcendum, oculos ad videndum, aures ad audiendum, Deut.29.4. Eſtque hyperphyſica ſuauiſſima ſimul & potentiſſima Spiritus Sancti operatio, tum *illuſtratione mentis*, tum *immutatione voluntatis*, & *obſignatione cordis* conſtans, virtute ſua nec creatione nec mortuorum reſuſcitatione inferior.

XXXVI. Unde vocatur in Scriptura noua creatio, Pſal.51.12. 2.Corinth.5.17. Eph.4.24. Viuificatio, Eph.2.5. regeneratio, Joh.3.5. cordis lapidei ablatio, & carnei donatio, Ezech.36.26. tractio, Joh.6.44. cordis apertio, Act.16.14. ſupereminens magnitudo potentiæ Dei ſecundùm efficacitatem fortis roboris ejus, Eph.1.19. terminis emphaticis ad rei efficaciam exprimendam ſelectis.

XXXVII. Ex quo euidens eſt, eos in quorum cordibus Deus ineffabili hoc modo operatur, certò ac infallibiliter conuerti & actu credere, nec reſiſtentiam voluntatis humanæ, quæ ut corrupta ante regenerationem nonniſi reſiſtere poteſt, finaliter potentem Dei actionem remorari poſſe, neque enim is reſiſtere ultrà poteſt, cui velle reſiſtere ſublatum eſt. Quod niſi fieret, homo ſpecificando indifferentem operationem gratiæ, & nolendo ei reſiſtere, cum poſſet, ſeipſum diſcerneret, actum credendi ex ſe poneret, adeoque ἀδυναμίᾳ hominis in ſpiritualibus ſublatâ, ſtarent vires liberi arbitrij.

XXXVIII. Quæ tamen vis Spiritus S. ita creditur potens ut negetur violenta, neque enim naturam voluntatis euertit, non enim facit ne voluntas velit, ſed ne malè velit, nec phyſicæ neceſſitatis aut coactionis vinculis eam conſtringit, manet enim libera ad actus ſuos & elicitos & impe-

imperatós etiam determinata ad unum, quippe cuius libertas non in independentia, aut indeterminatione ad actus oppoſitos, ſed in libero & ſpontaneo motu ad rem cognitam, lumine mentis & judicij præeunte, conſiſtit.

XXXIX. Quamvis autem voluntas noſtra in primo *converſionis* initio ſe merè paſſivè habet, & Spiritus dantis ſolùm, hominis accipientis partes ſunt, in progreſſu tamen regenerationis gratiæ Deī ſubſequenti cooperatur, & à Deo acta & ipſa agit, & ad fidei caritatis ſpei aliarumque virtutum actus efficienter concurrit, flexa tamen ad id ipſum efficaciter à gratia, quæ primùm voluntatem bonam, poſt per eam operatur, quo ſolida laus omnis boni ad Deum redeat.

XL. Ex vocatione hac efficaci continuata ſerie deducit Apoſtolus *juſtificationem* in textura illa ſalutis noſtræ, Rom.8.29.30. quæ conſiſtit in remiſſione peccatorum & imputatione perfectiſſimæ Chriſti juſtitiæ, vera fide apprehenſæ. Ideoque ne *actus fidei τὸ credere* quà talis juſtificat, nec ipſa fides, quà *opus*, quà *qualitas*, quà *conditio* ex omnibus poſſibilibus electa & à Deo gratioſè pro perfecta obedientia acceptata, ſed *inſtrumentaliter* ſolùm ratione *actus* & *correlativè* ratione *objecti*.

XLI. Nec verò ſufficeret nos à Deo prædeſtinari, vocari, juſtificari, niſi reportaremus mercedem fidei noſtræ, ſalutem animarum, quam Apoſtolus per *glorificationem* deſignat. Quæ quia nemini obtingere poteſt, niſi in fide & reſipiſcentia ad finem uſque invictus perſtiterit, *perſeverantiam finalem* reliquis Dei donis accedere eſt neceſſe. Fidelis enim eſt Deus qui non ſolùm bonum ſuum in nobis opus inchoat, verùm etiam id perficit ad diem uſque Jeſu Chriſti, 1.Cor.1.8.9. Phil.1.6. ſine cuius perpetuo influxu ut nulla rerum creatarum in *eſſe* ſuo *naturali* ſubſiſtere, ſic nullus regenitorum in *eſſe ſupernaturali* gratiæ perſiſtere poſſet.

XLII. *Fundamentum* itaque *perſeverantiæ* non conſiſtit in viribus noſtris aut lubrica hominis, ſed in conſtanti Dei voluntate, & immutabili Electionis decreto, ex quo & primum ſalutis noſtræ principium exurgit, & in illud ultimò reſolvitur, Rom.8.29.30. & 11.7. Statuminatur item gratuita Dei promiſſione, Jer.32.39.40. Pſal.125.1. in Nouo Teſtamento per Chriſtum confirmata, Joh.4.14. & 5.24. & 6.35.37.39.44.56.57. & 10.28. efficaci Chriſti conſeruatione, Ioh.17.12. 2.Tim. 1.12. ut qui non ſolùm eſt ἀρχηγὸς, ſed etiam τελειωτὴς fidei noſtræ, Hebr.6.20. 1.Petr.1.5. perpetua denique Spiritus S. cohabitatione, per quem obſignati ſumus in diem redemptionis, Eph.1.13.14. & 4.30.

XLIII. Quamvis vero ſanctiſſimi quique, dum carnem hanc peccatricem circumferunt, quotidianis infirmitatibus obnoxii ſint, & ſæpe etiam in grauia peccata prolapſi Spiritum S. contriſtent, & ſenſum gratiæ ad tempus amittant, manum tamen Deus ſuſtentat ne collidantur, Pſal. 37.24. nec unquam adeò ſuffocatur ſemen illud incorruptibiſe per quod regeniti ſunt, 1.Petr.1.23. 1.Ioh.3.9. ut in totalem ἀποστασίαν delapſi finali impœnitentia peccatis ſuis immoriantur.

XLIV. Neq; enim Perſeuerantiam metimur, ex continuatis & nullo lapſu interruptis *actibus* fidei & ſanctitatis, ſed potius ex *habituum* iſtorum conſtanti & perpetua nobis immanentia, per quos quamdiu Chriſto inſiti manemus, extra viam quidem regni ad tempus aberrare, eò tamen excidere penitus non poſſumus.

XLV. Ad ſolidam verò noſtri conſolationem intereſt, ut de ea in cordibus quoque noſtris certiorati & perſuaſi ſimus, non à *priori* arcana & profunditates Dei curioſè ſcrutando, quis enim cognovit mentem Domini? Rom.11.34. aut revelationibus vel enthuſiaſmis indulgendo: ſed à *poſteriori* ab effectis ad cauſas aſſurgendo, & tum ex teſtimonio Spiritus Sancti teſtantis vnà cum ſpiritu noſtro nos eſſe filios Dei, Rom. 8.16. tum ex infallibilibus Electionis fructibus ratiocinando, quales ſunt, vera in Chriſtum fides, filialis Dei timor, dolor ſecundùm Deum de peccatis, eſuries ac ſitis juſtitiæ.

XLVI. Quæ dona vt ſua tum incrementa, tum decrementa habent, ſic & certitudinem perſeuerantiæ vel languidiorem vel vividiorem reddunt, nunquam tamen fidei noſtræ omnem πληροφορίαν, ὑπόστασιν, παῤῥησίαν, πεποίθησιν auferunt. Proinde eliminata illa academica Pontificiorum ἐποχὴν quæ vera eſt deſperationis officina & conſcientiarum equuleus confidenter cum Apoſtolo pronunciare poſſumus, nullam rem creatam nos poſſe ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu, Rom.8.39.

XLVII. Quæ vnica noſtri conſolatio nec ſecuritatem ex ſe parit, vt rhetoricantur Novatores, nec neglectum pietatis & verbi diuini hominibus ingenerat, ſed ſtimulus potius eſt ad ſerium gratitudinis & bonorum operum ſtudium, per viam enim ſanctitatis nobis decurrendum ad vitam, & vt Deo placuit opus gratiæ per prædicationem Euangelij in nobis inchoare, ſic per eiuſdem meditationem, hortationes, promiſsiones, minas, illud continuat & perficit, Eph.2.10. 1.Theſſ.4.7. 1.Joh.3.3. Finis enim infallibilitas non tollit, ſed ſtabilit uſum mediorum. Imò Apoſtolus ſecuritatis carnalis conſequentiam expreſsè inficiatur, Rom.6.1.2.

XLVIII. Priori Prædeſtinationis parte, quæ eſt Electio ex methodo Apoſtolica cum mediis ſeu effectis ſuis pertractata, ad alteram deſcendimus, *Reprobationem* nimirum quæ ex natura relatorum neceſſariò ex Electione fluit, non enim eſſent aliqui electi niſi cæteris præteritis, & rejectis. In cujus explicatione veſtigia Scripturæ arctè premenda, nec vel fibula laxanda curioſitati noſtræ, vel in jus Dei abſolutum nobis inſurgendum, ne ſcrutando majeſtatem opprimamur à gloria.

XLIX. Illam definimus, decretum Dei, quo ex liberrimo beneplacito ſuo ſtatuit quorundam ex genere humano lapſo & damnationi obnoxio non miſereri, nec eos ſalvifica fide aut gratia conuerſionis donare, ſed relictis ſuis ipſorum viis juſtiſſimo judicio ad commeritas ob peccatum pœnas deſtinare ad declarationem tum potentiæ tum juſtitiæ ſuæ. Vocatur cæteroquin in Scriptura abjectio, deſcriptio ad damnationem, conſtitutio ad iram, Prov.16.4. Rom.9.11. Rom.11.1. 1.Theſſ.5.9. Iud.v.4.

L. *Duo*

L. *Duo* itaque *actus* in *reprobatione* diſtinguendi, qui & *formam* eius conſtituunt; *Negativus*, ſeu *privativus* propoſitum non miſerendi ſeu prætereundi in præparatione tum gratiæ tum gloriæ, quod eſt, *non inſcriptio in librum vitæ*, Apoc. 17. 8. Matth. 13. 11. Joh. 17. 6. & *affirmativus ſeu poſitivus*, propoſitum damnandi ſeu ordinandi ad exitium.

LI. In altero, jus Dei *αὐτοκρατορικὸν*, in altero verò juſtiſſimum ejus iudicium elucet. Illud, quia miſeretur, cujus vult, nulli obſtrictus, relinquit quem vult mera ſua & liberrima voluntate. Hoc, quia ex lege peccata tum originalia tum actualia adverſus legem aut Euangelium admiſſa plectit in reprobis, neque ſola infidelitas vel contemptus gratiæ veniunt in rationes, ſed omnia etiam alia peccata.

LII. *Effecta* aliis, nobis *conſequentia* potius *Reprobationis* ſunt relictio, ſeu deſertio in peccatis, retentio reatus, excœcatio ſeu induratio & denique damnatio, Pſ. 147. 19. Act. 14. 16. Rom. 1. 24. & 9. 18. Matth. 25. 41. quæ nullo modo Deum peccati authorem, ſed judicem conſtituunt; conſiderantur enim tum ut gratiæ indebitæ priuationes, tum ut juſtæ peccatorum antecedentium pœnæ, Luc. 2. 34. 2. Theſſ. 2. 10. 11. 12. 1. Pet. 2. 7. 8.

LIII. Vt itaque ex decreto Electionis Deum agnoſcimus Patrem, ſic ex juſtiſſimo reprobationis judicio Deum & Dominum & judicem veneramur, quò inde ſolida miſericordiæ, & gratiæ, hinc vera judicij & potentiæ laus ad eum redeat. Qui hîc Deum ad calculum vocare, & libertimo ejus beneplacito metas figere volet, Apoſtolicas illas increpationes ad ſe pertinere exiſtimet. O homo tu qui es qui ex adverſo reſponſas Deo? num dicet figmentum fictori cur me talem feciſti? annon habet poteſtatem figulus in lutum ut ex eadem maſſa faciat aliud quidem vas ad decus, aliud verò ad dedecus? Rom. 9. 20. 21.

LIV. Quin potius captivam ducentes omnem cogitationem ſub multiformem illam ſapientiam Dei, & in admirationem judiciorum ejus rapti cum Apoſtolo concludamus; O profundas diuitias, tum ſapientiæ, tum cognitionis Dei! quàm inſcrutabilia ſunt ejus judicia & viæ ejus imperveſtigabiles! Rom. 11. 32. Melior enim eſt fidelis ignorantia, quàm temeraria ſcientia, quia dum cum Deo loqui deſinimus, dediſcimus bene loqui. Ipſi cum Filio & Spiritu S. vero trinuno Deo, ſit laus & gloria in ſeculorum æternitates.

conſtanter exploſum. 4. Sed *quæſtio* eſt: An *ſalutaris* Dei *gratia* univerſalis ſit, ſiue: An Deo tribui debeat propoſitum univerſale miſerendi totius generis humani in peccatum prolapſi, omnibus & ſingulis hominibus Chriſtum Mediatorem deſtinandi, eos omnes per eum redimendi, & ad ſalutarem beneficiorum eius communionem vocandi, adeoque omnes in vniverſum homines per Chriſtum Salvatorem fide apprehendendum ſalvandi?

IV. *Affirmativam* hîc Vniverſalis gratiæ Defenſores, quamvis diſpari *fine* & *modo* tuentur. Nos *Negativam*. Omnia verò quæ ad argumenti hujus ἐξήγησιν & ἀπόδειξιν pertinent, complecti, nec inſtituti noſtri eſt, nec pagellarum, intra quarum anguſtias arctamur. Compendio itaque ad κατασκευὴν ſententiæ noſtræ aphoriſmos ſequentes notamus, ἀνασκευὴν ſiue *Argumentorum*, ſiue *Exceptionum*, ſiue *Diſtinctionum* plerarumque quæ ἐξ ἁμάξης hîc congeruntur, alibi faciente Deo excuſſuri.

V. Sententiæ verò noſtræ ſumma eſt: Nec *voluntatem* omnium & ſingulorum hominum *miſerendi* ad ſalutem Deo adſcribi poſſe: Nec *voluntatem* omnes & ſingulos per Chriſtum *redimendi*. Nec *voluntatem* omnes & ſingulos ad ſalutem per Chriſtum *vocandi*; adeoque Gratiam Vniverſalem nec ſtatui debere, nec defendi poſſe.

VI. 1. *Voluntatem* vniverſalem *miſerendi* ad ſalutem omnium & ſingulorum hominum deſtructum imus. 1. *Authoritativè*. 2. *Ratiocinativè*. *Authoritativè*, 1. Quia Scriptura *propoſitum* miſerendi *particulare* proponit, non vniverſale, & docet, Deum aliquorum miſereri, aliorum non, alios amaſſe, odiſſe alios, alios ordinaſſe ad vitam æternam, alios conſtituiſſe ad iram, præſcripſiſſe ad damnationem, alios feciſſe vaſa iræ, alios vaſa miſericordiæ, Act.13.48. Rom.9.11.12.13.18.21.22.23. 1.Theſſ.5.9. Jud.℣.4. 2. Quia Scriptura primam *promiſſionem miſericordiæ*, omnium aliarum radicem, *particularem* facit, non univerſalem, Gen.3.15. illis quippe deſtinatam duntaxat, qui ſemen mulieris ſunt contradiſtinctum ſemini ſerpentis, *pro* quibus, *in* quibus, & *à* quibus iſtud, poſt caput ſuum & illius virtute vel contritum eſt, vel conterendum. 3. Quia Scriptura *promiſſionis* iſtius *complementum particulare* facit, cujus documentum Deus & in Adami, & in Noachi, & in Abrahami familia exſtare voluit, & deinceps in tota gratiæ œconomia, ſiue ſtrictiori Veteris, ſiue latiori Noui Teſtamenti, quæ ampliſsima quidem fuit, *univerſalis* non item.

VII. *Ratiocinativè* idem probatur. 1. Quia voluntas univerſalis miſerendi nec cum *ſapientia* Dei, nec cum ejus *bonitate* conciliari poteſt. Omnium enim in peccatis mortuorum miſereri velle ad ſalutem, & multis tamen ex iis vel *nulla* media, vel *inſufficientia* ſaltem ad liberationem ex miſeria largiri, nec ſummè ſapientis eſt, nec ſummè boni: eſt enim id velle, quod Deus volens nouit nec futurum unquam, nec fieri poſſe. Diſtinctionem *impotentiæ naturalis* & *moralis*, quam quidem hîc obtendunt, nullius ad hoc argumentum expediendum commatis eſſe cenſemus, quæſtio enim eſt, an omnibus & ſingulis *impotentia* iſta *morali* laboranti-

bus Deus ſalutem velit, quum impotentia iſta præcipuum hominis malum ſit. Dicere itaque, unicuique Deum ſalutem velle, modò non impotentia morali obicem ponat gratiæ, eſt Deum cœco velle viſum, mortuo vitam, modò nec ille cœcus ſit, nec iſte mortuus.

VIII. 2. Quia vel *abſolutè* vult Deus omnium miſereri, vel *conditionatè*: ſi *abſolutè*, omnes miſericordiam conſequentur: ſi *conditionatè*, vel conditionem ad ſalutem neceſſariam in omnibus vult *efficere*, vel *exigere* tantùm: ſi *exigere* tantùm, talium ſalutem non vult, exigendo ab iis actum, quem novit non magis eos præſtare poſſe, quàm æthiopem nigrorem, pardum maculas exuere, & Lazarum ſurgere ex ſepulchro. Sin in iis *efficere* velit actum iſtum, vel illum denuò *abſolutè* efficere vult, vel *conditionatè*: ſi *abſolutè*, efficietur in omnibus, & ſic omnes actu miſericordiam conſequentur; ſi *conditionatè*, ſerra reciprocatur per eandem lineam, & quæſtio redit de hujus conditionis conditione, quæ tandem coincidet cum re per conditionem volita, & eò ibitur, Deum velle hominem convertere, ſi ſe convertat, & ſi præſtet id, quod nec præſtabit unquam, nec præſtare poteſt, & quod Deus novit ab æterno illum nec præſtiturum, nec præſtare poſſe, quippe quod pendet à *tractu* ſuo, quem omnibus indulgere non conſtituit, ſine quo tamen non tantùm nemo ad Patrem venit, ſed nec *venire poteſt*, Joh. 6.44. Quo ipſo etiam revincitur inanis iſta diſtinctio inter *ſufficientiam* vel *efficaciam* gratiæ *in ſe* conſideratam, ſiue *formalem*, & *eventualem* vel conſideratam ratione eventus.

IX. 3. Quia vel Gentilium extra Dei fœdus ſiue in cunis exſtinctorum in prima infantia, ſiue etiam ad ætatem aliquam ſuperſtitum Deus ad ſalutem miſereri voluit, vel non: ſi *poſterius*, concidit univerſalitas iſtius miſericordiæ: ſi *prius*, & innumeris inter tales ne verborum quidem de Chriſto vel de Euangelio unquam innotuit, ſequetur dari viam ad ſalutem extra Chriſtum, & Dei fœdus.

X. 4. Quia miſericordia univerſalis evertit decretum electionis & reprobationis, quippe quod æternum, nec voluntatis duntaxat *conſequentis* cujuſdam eſt, ſuſpenſæ ſiue à conditione, ſiue à præviſione conditionis: quum conditionis præſtatio ſit ab ipſo *decreto effectiuo*, omiſsio à decreto *permiſsivo*, & *directivo*: ſic præviſio conditionis innititur ipſi decreto, nec enim alia dari poteſt ratio in æternitate, cur poſsibilia tranſeant in conditionem futurorum, & *futuritionem* habeant magis quàm, non habeant. Immò niſi innitatur decreto præviſio, decretum inane erit & ſupervacuum, fruſtrà enim id decernet Deus, quod prævidit jam futurum, adeoque quod neceſſarium *neceſsitate infallibilitatis*, in *ſenſu compoſito*.

XI. II. *Voluntatem* omnes & ſingulos per Chriſtum *redimendi* haudquaquam etiam *univerſalem* in Deo concipi debere, probatum imus pari ratione. 1. *Authoritativè*. 2. *Ratiocinativè*. *Authoritivè*: 1. Quia *deſtinatio* Redemptoris particularis fuit, Joh. 3.16. & 10. ℣. 26. 29. 2. Quia *promiſsio* Redemptoris particularis fuit, Geneſ. 3.15. 3. Quia *miſsio & exhibitio*

illius

illius in plenitudine temporum particularis fuit, Matth.15.24. 3. Quia *redemptio* ipſa à Chriſto præſtita particularis fuit, Matth.1.21. Luc.1.68.69. & 2.10. Ioh.10. ℣.11.15. & 11.51.52. Eph.5.25. Tit.2.14. 4. Quia *revelatio* Redemptoris & redemptionis particularis fuit tum ante, tum poſt adventum Chriſti in carnem.

XII. *Ratiocinativè* idem caput probamus. 1. Si voluntas redimendi per Chriſtum omnes & ſingulos peccatores in Deo univerſalis fuit, vel talis fuit quoad *impetrationem*, ſive *acquiſitionem* ſalutis, & quoad ejus *applicationem* ſimul: vel quoad *impetrationem* ſive *acquiſitionem* tantùm: At *non prius*, ut ἐξαδύνατον & notum, *nec poſterius*, tum quia impetrationis vel acquiſitionis finis eſt applicatio, tum quia nihil apud Deum impetratur vel acquiritur, quod non actu conferatur, tum quia vel eadem ſphæra & latitudo *objectiva* eſt *impetrationis* & *applicationis*, vel non: ſi prius omnibus quibus impetratur, etiam applicatur: ſi poſterius, fruſtrà impetratur, quod ſcit & ille qui impetrat, & ille apud quem impetrat, nec applicatum iri, nec applicari poſſe, & cujus applicandi facultatem innumeris largiri noluit is, qui ſolus eam largiri poteſt.

XIII. Si voluntas redimendi per Chriſtum omnes & ſingulos peccatores in Deo univerſalis fuit, vel *abſoluta* fuit, vel *conditionata*: ſi *abſoluta*, omnes omnino redempti fuêre, adeoque in ſtatum gratiæ reſtituti: ſi *conditionata*, vel conditionem redemptionem ſibi applicandi redemptis omnibus Chriſtus impetravit, vel non: ſi *prius*, omnes conditionem præſtabunt, adeoque fructum redemptionis conſequentur: Si *poſterius*, fruſtrà redemptionem illam impetravit, ſub conditione non præſtabili ab homine mortuo in peccatis. *Excipere*, impetraſſe quidem Chriſtum conditionem, modò non rejiciatur, eſt excipere, Chriſtum impetraſſe cœco viſum, modò aperiat oculos, mortuo vitam modò reſurgat, non rejicere enim conditionem eſt illam præſtare, adeoque denuò res volita, & conditio ſub qua volita coincident. Adde, vel Chriſtum pro omnibus omninò omnium & ſingulorum peccatorum peccatis expiandis mortuum eſſe, vel non, ſi *poſterius*, cadit univerſalitas redemptionis; ſi *prius*, pro rejectione etiam redemptionis, & pro infidelitate, malitia, & aliis id genus peccatis expiandis mortuus eſt, quæ intercedunt, quo minus homo ſibi applicet gratiam Redemptionis, adeoque ea non obſtabunt, quominus ea applicetur.

XIV. 3. Si voluntas redimendi omnes & ſingulos peccatores per Chriſtum fuit univerſalis, vel *finem* tantùm, hoc eſt, ſalutem Chriſtus impetravit omnibus & ſingulis, vel *finem & media* ſimul, hoc eſt, conditiones neceſſarias, per quas ad ſalutem pervenitur. Si *prius*, fruſtra ſalutem innumeris impetravit, quippe à quibus media nec inveſtigari poſſunt, nec præſtari, non magis quàm à cœco radii Solis videri, à paralytico piſcina attingi, à mortuo vox audiri. Si *poſterius*, id factum vel *abſolutè*, vel *conditionatè*: ſi *abſolutè*, omnes & ſinguli ſalutem conſequentur: ſi *conditionatè*, itur denuò in circulum, & fruſtranea ac illuſoria ſtatuitur iſta impetratio.

Vel enim conditio iſta præſtabilis eſt ab homine, vel non : ſi *prius*, homo non eſt mortuus in peccatis, & fides non erit donum Dei, ſive quoad habitum, ſive quoad actum ſaltem, contra diſerta Scripturæ effata, Eph. II. 8. Phil. I. 29. Si *poſterius*, fruſtrà denuò & nequicquam planè ſub conditione non præſtabili conditiones illas impetravit, illorum omnium reſpectu, quibus iſtam haudquaquam vult conferre.

XV. 4. Si voluntas omnes & ſingulos per Chriſtum redimendi in Deo univerſalis fuit, vel eam omnibus & ſingulis patefecit Deus, vel non : ſi *prius*, detur iſtius patefactionis ratio reſpectu innumerorum, quibus nunquam ne verbum quidem de Chriſto Servatore innotuit. Si *poſterius*, vel fruſtranea eſt planè iſta voluntas, vel extra Chriſtum & ſine ejus cognitone perveniri poteſt ad ſalutem, quod ἀντίχαζον & ἀδιάλογον.

XVI. 5. Si voluntas omnes & ſingulos per Chriſtum redimendi in Deo univerſalis fuit, vel Deus voluit jam actu damnatos, tunc cum Chriſtus mortem oppeteret, redimere, vel non : ſi *poſterius*, cadit univerſalitas redemptionis : ſi *prius*, dabitur ex inferno redemptio, vel *redimibilitas*, ſaltem, & id factum vel *abſolutè*, vel *conditionatè*, utrumque verò ἄτοπον, ἀντίχαφον etiam & ἀδιάλογον. Nec *Excipi* poteſt, non magis abſurdum eſſe, pro jam actu damnatis redimendis Chriſtum mortuum eſſe, quàm pro jam actu ſalvatis; tales enim antequam damnarentur, potuiſſe præſervari à damnatione propter redemptionem Chriſti, ut agni occiſi à jactis mundi fundamentis, modò fiduciam in eo collocaſſent. Proclive enim eſt regerere. 1. Vel talium peccata omnia expiata fuiſſe morte Chriſti in mente Dei, vel non : ſi *poſterius*, cadere denuò univerſalitatem illam meriti Chriſti : ſi *prius*, id factum vel *abſolutè*, vel *conditionatè*. Si *abſolutè*, ſequitur tales nec debuiſſe nec potuiſſe damnari : ſi *conditionatè*, præterquam quod conditio iſta innumeris ignota fuit, ſequitur denuò, vel pro conditionis non præſtatione, & peccato iſto non præſtationis fidei & pœnitentiæ expiando Chriſtum mortuum vel non. Prius denuò tollit damnationem talium, poſterius univerſalitatem redemptionis. 2. Tunc cum Chriſtus actu mortem oppetiit, vel noverat tales conditionem neceſſariam præſtitiſſe, ſine qua æquè prodeſt redimi ac non redimi, vel non : ſi non noverat, cadit omniſcientia Filii Dei : ſi noverat, fruſtrà pro talium peccatis expiandis mori voluiſſet, quos noverat non tantùm mortem ſuam ſpreviſſe, ſed & flammis infernalibus jam actu uſtulari, nec mortis ſuæ beneficium in æternum ſibi applicare poſſe. 3. Exemplum à ſalvatis ἀπροσδιόνυσον; alia enim longè ratio ſalvatorum actu, & peccatur *Elencho parium*. Quod enim illi ſalvati ante redemptionem actualem, hoc imputandum redemptioni à Chriſto præſtandæ, quæ habebatur in mente Dei ut iam præſtita, pro iis & illorum tum bono, tum loco, pròut *cauſæ morales* operari poſſunt, antequam ſint, quamvis *naturales* non item. Ut itaque homo obæratus pædori carceris & vinculis eximitur, ob vadimonium intercedens, & ſolutionem pro ſe præſtandam, qui conditionem illi annexam amplexatur, & præſtat,

& pro

& pro tali poſtmodum ſolutio actu præſtatur, non verò pro illo, qui non tantùm in carcere verum etiam in pertinacia ſua computruit, nec vel vadem admittere voluit, vel conditionem ſolutioni præſtandæ annexam: Similis ſalvatorum & damnatorum actu conditio reſpectu redemptionis Chriſti. Hinc pro illis ſolvere potuit, & ſolvit actu Chriſtus pretium redemptionis, pro iſtis verò ſolutionem præſtare nec voluit, nec potuit.

XVII. 3. *Voluntatem* omnes & ſingulos ad ſalutem *vocandi* haudquaquam etiam univerſalem in Deo concipi debere, probatum imus eâdem Methodo. 1. *Authoritativè.* 2. *Ratiocinativè.* *Authoritativè,* 1. Quia Scriptura teſtatur, Deum in Veteri Teſtamento indicaſſe verba ſua Jacobo, ſtatuta ſua & jura Iſraeli, non feciſſe ita ulli genti, ideoque eas jura iſta non noviſſe, Pſalm.147.19.20. Nec ibi *σύγκρισις* vel *ἀντίθεσις modi & modi*, ſed *rei* & *rei*. 2. Quia Chriſtus teſtatur, Matth.11.25. Deum occultaſſe myſteria ſua à ſapientibus & intelligentibus, & ea retexiſſe infantibus. 3. Quia idem teſtatur, Matth.22.14. *multos* duntaxat vocatos eſſe, non omnes. 4. Quia Paulus docet Actor.14.16. Deum præteritis ætatibus ſiviſſe omnes gentes ſuis ipſarum viis incedere, quamvis non paſſus fuerit ſe expertem teſtimonii, ducentis nimirum ad Deum creatorem, non ad Deum redemptorem, & repræſentantis *τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ*, non *σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ*, adeoque ſufficientis duntaxat ad *convictionem*, non verò ad *converſionem.* 5. Quia in viam gentium abire, & in urbes Samaritanorum ingredi diu prohibitum Apoſtolis, Matth.10.5. & quum Paulus & Timotheus contenderent Bithyniam verſus, non ſivit eos ire Spiritus Jeſu, Act.16.7.

XVIII. *Ratiocinativè* etiam vocationis particularitas probari poteſt. 1. Quia nec in Veteri Teſtamento, nec in Novo vocatio unquam univerſalis fuit: Non in Veteri, ut patet ex œconomia vel diſpenſatione notitiæ & fœderis divini. Nec in Novo, multæ enim myriades hominum, quibus ne verbum quidem de Redemptore ſive in *theſi*, ſive in *hypotheſi* innotuit. *Quomodo verò invocabunt eum, in quem non crediderint? quomodo verò credent ei de quo non audiverint? quomodo autem audient abſque prædicante? Quomodo autem prædicabunt niſi miſſi fuerint?* Ad Rom.10.14.15. 2. Quia non *verbalis* tantùm vocatio omnibus haudquaquam deſtinatur, ſed ne *realis* quidem, ſive per *lucem ſubjectivam*, ſive per *lumen objectivum*, ut patet ex infantibus innumeris extra Dei fœdus exſtinctis in cunis inter Gentiles, Iudæos, Mahumetanos. *Exceptio*, tales in majoribus ſuis vocatos eſſe, à ratione multùm, à ludibrio parum abeſt, quum & experientia teſtetur, tam majorum vocationem admittentium poſteros ſæpe non vocari, quàm rejicientium vocari, & quæſtio redeat, cur Deus hos infantes præ aliis voluerit ex his parentibus immorigeris naſci, quos noverat vocationem excuſſuros, & quibus gratiam vocationem non excutiendi haudquaquam largiri conſtituit, quàm ex parentibus morigeris. qui ex gratia ſua vocationem haudquaquam erant excuſſuri. Adde, in fœdere gratiæ, ex

hypotheſi ipſorum Adverſariorum, filium non portare iniquitatem Patris. Infantium etiam nec electionem eſſe, nec reprobationem, *Arminii* ſchola docet, Spiritus Sancti ſchola non item. 3. Quia data etiam univerſalitate vocationis externæ, ſive *realis*, ſive *verbalis* etiam, per ultroneam συγχώρησιν, ne ſic quidem ſufficientis gratiæ univerſalitas concludi poteſt, quum *vocatio externa* inutilis ſit ad ſalutem, ſine *interna*, *ſuadens* ſine *perſuadente*, *jubens* ſine *trahente*, *oblativa* gratia ſine *collativa*, quum ſine flexanima & vorticordia vi, ſine *tractu Patris* nemo *poſſit venire* ad Chriſtum, Johan. 6. 44. quem tamen tractum nec indulget Deus omnibus in tempore, nec indulgere ab æterno decrevit, ſive *abſolutè*, ſive *conditionatè*.

XIX. Argumentationum tum *inartificialium* à teſtimonio, tum *artificialium* à ratione, ut & *exceptionum* aliarum, quæ à Patronis Gratiæ Univerſalis adferri ſolent, confutationem reſervamus ἐν ζητήσει publicæ. Nec iſti cauſæ patrocinari poſſe cenſemus diſtinctiones voluntatis *antecedentis* & *conſequentis*, gratiæ *ſufficientis in ſe & formaliter*, & gratiæ *eventualiter* talis, *impetrationis* & *applicationis* beneficiorum Chriſti, *ſufficientiæ* etiam & *efficaciæ* redemptionis, & quæ ſunt alia id genus, quæ ſpecioſè quidem huic ſententiæ obtendi ſolent, ſolidè non item. Et quamvis ad infimæ caveæ plauſum facile ambiant univerſalis gratiæ aſſertores, & ex ambone hoc argumentum multis phaleris ſplendidè adornari poſſit, tamen ubi penitius excutitur, argutiæ omnes vaneſcunt, & aſcendendum tandem ad Deum diſcriminantem æterno decreto ſuo hominem ab homine, quò in aliquibus gratiæ ſuæ, in aliis juſtitiæ ſuæ, in utriſque ſuæ gloriæ παν-[illegible] exſtet documentum.

DISPV-

DISPVTATIO
DE
LIBERO ARBITRIO.

THESIS I.

LIBERI Arbitrij nomen, humanum eſt; res nomine deſignata, ambigua; applicatio ad hominem peccatorem, tum periculoſa, tum ſuperba; Theoria, miſta & ardua.

II. Liberum Arbitrium laxè ſumptum conſideratur in natura intelligente, ſive infinita, ſive finita, illi ſoli convenit τὸ αὐτεξούσιον, τὸ ἐξουσιαστὶ & αὐτοθέλημον, *libertas* nimirum *independentiæ*, eaque omnimoda; iſti non item, interim tamen illi in homine conſideratæ tribuit Scriptura ἐξουσίαν θελήματος, 1.Cor.VII.36. τὸ ἑκούσιον, Philem. ℣.14. Hebr.x.26. προαίρεσιν, II.Cor. IX.7. τὸ αὐθαίρετον, II.Cor.VIII.3. Quibus opponitur τὸ ἀκούσιον, & τὸ ἀναγκαστὸν ſumptum ſtrictè pro βιαίῳ, 1.Petr.v.2. Apud Hebræos reperitur τὸ נדב, quod LXX. vertunt per προθυμεῖν, ἑκουσιάζειν. Sic נדיב concretum illis eſt πρόθυμος, נדבה προαίρεσις, τὸ ἑκούσιον & ἑκούσιασμα. Huc referri poſſunt nomina חפץ רצון & alia id genus.

III. Per Liberum arbitrium verò in homine conſideratum hîc non intelligimus τὸ ἰσόρροπον, vel τὸ ἀμφιρρεπὲς ſive ἀδιαφορίαν promiſcuam ad utrumque oppoſitorum, ſed facultatem miſtam objecta; quæ ſub deliberationem & electionem cadunt partim dijudicandi, partim dijudicata ſive eligendi ſub ratione boni, ſive rejiciendi ſub ratione mali. Quorum illud *arbitrari* propriè eſt, iſtud in ea, quæ ſub arbitrium cecidêre, liberè ferri, interdum *libertate contrarietatis* ſive *ſpecificationis*, & *libertate contradictionis* ſive *exercitii* ſimul, interdum alterutra tantùm.

IV. Hæc facultas in homine non excludit *neceſſitatem dependentiæ*; quæ creaturæ connata, & ab ea inſeparabilis, nec *neceſſitatem* ſive *immutabilitatis* reſpectu decreti divini, ſive *infallibilitatis* reſpectu præſcientiæ divinæ; ſed tantùm excludit *neceſſitatem* tum *naturæ*, tum *coactionis*; quarum illa determinationem dicit ad objectum & actum à *principio intrinſeco*, carentem interdum omni tum προαίρεσιν, tum ſpontaneitate ſimul, ut in inanimatis, interdum προαίρεσιν tantùm, ut in brutis: iſta determinationem dicit à *principio extrinſeco* non ſolùm cum diſplicentia, ſed & cum contranitentia agentis, quæ cum volitione ſtare non poteſt.

V. Ut vero hominis *ſtatus* diverſus in Scholis Theologicis, & diverſa

ſunt arbitrii humani *objecta*: ſic facultas illa & ad ſtatus & ad objecta illa relata diverſimodè conſiderari debet, tum in ſe, tum in ſuo actu, & aliter ſe habet in ſtatu *inſtituto*, aliter in *deſtituto*, aliter in *reſtituto*, aliter in *præſtituto*, aliter in ſingulis etiam ſtatibus circa *objecta* quæ vel *naturalia*, vel *civilia*, vel *ſpiritualia*.

VI. In ſtatu *inſtituto* eminuit Liberum Arbitrium, & in illo rectum de naturalibus, civilibus, ſpiritualibus judicium, & ſana ad boni veri electionem inclinatio, non ſolùm cum *libertate* à *neceßitate* tum *naturæ* tum *coactionis*, ſed & cum immunitate & à prava diſpoſitione, & ab omni malo, tum *Ethico*, tum *Phyſico*. Et hæc eſt bonitas & rectitudo, in qua Deus primum hominem creaſſe legitur Gen.i. Eccleſ.vii. & ζώπυρα quædam imaginis divinæ illi in creatione impreſſæ, Eph.iv.24. Col.iii.10.

VII. Tametſi verò homo integer in bonum ferebatur actu, quia tamen pro libera creatoris diſpenſatione & creaturæ natura, liberum ejus arbitrium mutabile erat, & ad utrumque oppoſitorum flexibile, poterat objecta mali ſpecie decipi, & bonum apparens pro vero amplecti, cujus demonſtratio certa datur ab eventu, mutabilitatis indice.

VIII. In ſtatu *deſtituto* Liberum Arbitrium etiam deſtitutum reperitur partim recto de rebus judicio, quod in ſpiritualibus cæcum, in aliis luſcum eſt, partim inclinatione omni ad bonum ſpirituale, adeoque determinatum ad malum tantùm, non numero quidem vel gradu, ſed tamen genere tale. Hinc Scriptura hominem corruptum deſcribit ut mente cæcum, voluntate malum, affectibus rebellem, imò mortuum in peccatis, cum impotentia omnimoda ad bonum ſpirituale, eaque immutabili per naturam, Geneſ.vi.3, Matth.vii.18. xii.33. Ioh.xiv.17. Roman.viii.8. 1.Cor.ii.14. Eph.ii.1.

IX. Etſi verò homo in hoc quoque ſtatu liber ſit à *neceßitate* tum *naturæ*, tum *coactionis*, liber tamen non eſt à ſervitute peccati & mortis, quæ lethalis arundo non tantùm lateri illius hæret, ſed & imis præcordiis.

X. Proinde ante converſionem non ſolùm impotentia ad bonum ſpirituale, quamvis ἐπιτήδειος, in eo reperitur, ſed & averſio ab eo, & habitus formaliter repugnans habitui introducendo, Matth.xxiii. 37. Act. vii.51. Nec quicquam homo ad ſui converſionem confert, præter ſolam volendi & nolendi facultatem, ſine qua nec homo nec convertibilis foret. In primo tamen converſionis momento *ſubjecti* tantùm *recipientis* rationem habet, & ſe habet merè παθητικῶς, converſus verò ἐνεργητικῶς etiam ſe habere incipit, ſed per gratiam receptam & pro menſura ejus. Hinc Regeneratio in Scriptura vocatur παλιγγενεσία, Ioh.iii.5. creatio, excitatio ex mortuis, &c. Joh.v.25. Eph.ii.10. Col.ii.12.13. Tit.iii.5.

XI. Nec operatio illa gratiæ, quam efficacem ſtatuimus non tantùm in ſe, ſed & ratione effectus, à voluntate pro arbitrio ſpecificatur, & eventualis tantùm eſt & irrita reddi poteſt per reſiſtentiam completam voluntatis, imò certò & infallibiliter effectum ſuum producit, tollit enim non tantùm reſiſtendi facultatem, ſed & reſiſtendi voluntatem.

XII.

XII. Operatio illa in libertatem arbitrii humani non arietat, nec voluntatem cogit, nec hominem truncum & ſtipitem facit, nec efficit, ut τὸ credere ſit Dei non hominis, nec enim tollit vel προαίρεσιν, vel ſpontaneitatem, vel modum agendi convenientem naturæ rationali.

XIII. Utut verò homini corrupto vires omnes ad bonum ſpirituale S. Scriptura neget, docet tamen aliquas adhuc ſtricturas luminis & judicii, notiones communes de divinitate & potentia Dei, de vero & falſo, honeſto & turpi, libertatem quoque aliquam ſed imminutam in eo reperiri circa bonum, ſive morale, ſive politicum, vel civile, qualia ſunt officia civilia, locomotivæ cohibitio, diſciplina externa, prudentia gubernandi actiones externas, & alia id genus. Interim quia principia corrupta ſunt, principiata non poſſunt non eſſe talia, & multimodis deficere ſive in *actu*, ſive in *modo* actus, & *conditionibus eſſentialibus* boni actus.

XIV. In ſtatu *reſtituto*, prout miſta in homine regenito principia reperiuntur, ſic miſti etiam actus, & ille operatur quandoque ſecundùm motum naturæ corruptæ, quandoque ſecundùm motum naturæ reſtitutæ. Hinc lucta frequens veteris & novi hominis, carnis & ſpiritus, naturæ & gratiæ. Matth. XXVI. 41. Gal. V. 12. Col. III. 9.

XV. Vnde in hoc ſtatu datur in homine regenito inclinatio miſta modò ad bonum, modò ad malum, etſi partialis & temporaria conjùncta quippe cum victoria finali ſpiritus, & habituum bonorum firma immanentia, quorum actus interrupti reperiuntur. Hinc oritur certitudo *objecti* vel *perſeverantiæ* fidelis, & ſuo modo certitudo *ſubjecti*, ſive *perſeverantiæ*, pendens à decreto eligentis, à morte & interceſſione redimentis, à cuſtodiâ ſanctificantis, & obſignatione ejus interna, Luc. XXII. 32. Johan. XVII. 11. 1. Cor. II. 14. 1. Joh. III. 9. V. 4. Eph. I. 14. IV. 30.

XVI. In ſtatu verò *præſtituto* ſanctificatione perfecta tum *intenſivè*, tum *extenſivè* perfectum datur in homine ἀπλανωδὲς judicium, perfecta boni electio, & boni tantùm, eaque immutabilis per gratiam & gloriam collatam. In hoc ſtatu ultimo homo non tantùm ut in primo poterit non peccare, ſed non poterit peccare, adeoque ut optimè *Auguſtinus* in Enchiridio *multò liberius erit* Liberum Arbitrium *quia omninò non poterit ſervire peccato.*

XVII. Deteſtamur verò in hoc argumento, I. *Pelagianorum* & *Semipelagianorum* vel *Synergiſtarum* ſive veterum, ſive recentiorum commenta, quorum illi Liberum Arbitrium in homine peccatore illæſum, iſti imminutum tantùm in ordine ad bonum ſpirituale contendunt, utriq; illi vires excitandas tantùm & confirmandas, & præparationes antecedaneas ex viribus illis elicitas adſcribunt. II. *Stoicorum* & *Manichæorum* portenta de fatali omnium rerum neceſſitate. III. Blaſphemiam *Eccleſiis Reformatis* per calumniam impactam, ab illis Deum peccati auhorem conſtitui.

DISPVTATIO
DE
PERSEVERANTIA Sanctorum.

THESIS I.

DOCTRINÆ de *Perſeverantia Sanctorum Theoria* certa eſt, *praxis* ſalutaris, utraque Conſcientiæ in vera pietate confirmandæ accommoda.

II. Diſquiſitionem hujus argumenti ad duo capita revocamus, quorum prius notatione *terminorum* quæſtionis abſolvitur, *poſterius* notatione *rei* per terminos deſignatæ.

III. In notatione *Terminorum* conſiderandum, I. *Subjectum*, de quo hîc aliquid effertur. II. *Prædicatum*, quod de eo effertur. *Subjectum*, ſunt Sancti. *Prædicatum*, eorum *Perſeverantia*.

IV. *Subjectum* iſtud proponitur in ſcholis Theologicis nomine *laxiore* plura deſignante, unde ejus tum *latitudo* obſervanda, tum *notio* definienda, qua in hoc argumento à nobis uſurpatur.

V. Latitudinem nominis iſtius ſive *concreti*, ſive *abſtracti* quod attinet, interdum illis tribuitur, qui ὄντως & *verè* Sancti ſunt, interdum illis qui tales tantùm ſunt φαινομένως & *opinativè*.

VI. *Priori modo* tribuitur attributum iſtud interdum *Creatori*, interdum *Creaturis*, quamvis diverſo ſignificatu, iiſque vel *Angelis*, quorum natura ſpiritualis tantùm, vel *hominibus*, quorum natura ſpiritualis partim, partim corporea.

VII. *Creatori* tribuitur *primariò & abſolutè* & ἐξόχως omninò. Et ſic אלהים dicuntur קדושים Ioſ.xxiv. 16. & Deus ter-ſanctus renunciatur, Eſa.9.3. quippe cujus ſanctitas eſſentialis & infinita, quæ de eo & *concretivè* prædicatur & *abſtractivè*. utpote qui non accidente aliquo ſuperaddito, ſed ſe ipſo & eſſentia ſua ſanctus eſt.

VIII. *Creaturis* verò nomenclatio ſanctitatis tribuitur *ſecundariò* & *limitatè*. Sic *boni Angeli* dicuntur ſancti, Matth.xxv. 31. Luc.ix. 26. tum ob ſanctitatem ſibi concreatam, tum ob confirmationem ſui in ſanctitate, contradiſtinctè illis, qui ſanctitate ſibi concreata excidêre, nec ſervavêre originem ſuam, Jud.v.6.

IX.

IX. Sic homines etiam dicuntur ſancti, tum *viatores*, tum *comprehenſores*. *Viatores*, I. Qui tales creati fuêre in *ſtatu naturæ*, conditi quippe ad imaginem & ſimilitudinem Dei cum ſapientia in mente, rectitudine in voluntate & *ἀπαθείᾳ* affectuum, Gen.1.26.27. II. Qui recreantur tales in *ſtatu gratiæ* per imaginis illius inſtaurationem inchoatam in terris, Col.3. 10. *Comprehenſores* etiam ſancti dicuntur, qui plenè redduntur tales in *ſtatu gloriæ*, per imaginis illius reſtaurationem completam, & immutabilem quidem, vnde & *τετελειωμένοι* vocantur, Heb.12.23. 1.Theſſal.3.13. Apocal.5.8.

X. *Poſteriori modo* Sanctorum nomenclatio tribuitur interdum iis qui ſunt in *via*, interdum iis qui creduntur eſſe in *meta*. Ex illis qui ſunt in *via* multi habentur pro ſanctis, ſiue ex Canone *opinationis propriæ*, ſiue ex Canone *opinationis alienæ*, qui vel *nomine tenus* tantùm ſancti ſunt, ob profeſſionem fidei, & externam ac apparentem cooptationem in fœdus, vel *re tenus* tales eſſe videntur ob *dona* quædam *communia*, & *initialia*, qualia ſunt fides *obiectiua* & *dogmatica*, *quam* ſe credere profitentur, & fides *ſubjectiua* ſiue *hiſtorica* tantùm, ſiue *temporaria* etiam, *quâ* in eam feruntur. Tales ſunt *πρόσκαιροι* qui dici poſſunt *φωτισθέντες γευσάμενοι τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπουρανίου, μέτοχοι πνεύματος ἁγίου*, &c. in quibus velut inchoamenta quædam & rudimenta regenerationis, lumen aliquod, aſſenſus & guſtus quidam aliqua affectuum & morum emendatio, & fuga ad tempus inquinamentorum mundi, Matth.13.20.21. Hebr.6.4.5. & 10.29. II.Petr.II.20. Multis etiam, qui creduntur eſſe *in meta*, quandoque nomen Sanctorum affingitur, quales non pauci cœlo per *ἀποθέωσιν* Romanam tranſcripti pro ſanctis coluntur, quorum tamen nec animus ſanctus fuit in terris, nec doctrina, nec vita, adeoque quorum & ſanctitas falsò credita, & beatitudo temerè aſſerta.

XI. *Latitudine* vocis *ſubjectum* deſignante obſervata, ea notione hic ſanctorum nomen vſurpamus, quâ *definitè* ſumitur pro ſanctis in *ſtatu gratiæ* conſtitutis; in quibus inchoata imaginis Dei in mente ſimul & voluntate per veram regenerationem inſtauratio, adeoque qui tales dicuntur non habita ratione *ſanctitatis legalis*, reſpondentis *τοῦ ἀκριβοδικαίου* Legis, ſecundùm conditionem fœderi legali annexam, ſed qui tales habita ratione *ſanctitatis Euangelicæ*, reſpondentis *τῇ ἐπιεικείᾳ*, in Euangelio manifeſtatæ, ſecundùm conditionem fœderi Euangelico annexam. Hac notione Sanctorum nomen uſurpatur Rom.8.27. 1.Cor.6.2. Epheſ.1.4. & 3.8. & 4.12. Col.1.12.

XII. Vt verò nomen *ſubjectum* quæſtionis deſignans ambiguum eſt: ſic & nomen deſignans *prædicatum* *ὁμώνυμον* eſt. Perſeuerantiæ enim vocabulum ratione *originationis* ſuæ *latum* eſt, & denotat *in genere* obfirmationem quamvis animi, velut cum quadam *ſeueritate* in propoſito ſiue bono, ſiue malo perſtantis. *Varro* tamen lib.4. de lingua lat. *perſeuerantiam* diſtinguit à *pertinacia*, & iſtam in eo collocat, *in quo non debet pertendi*, illam, *in quo oporteat manere*. In *Gloſſ*. Perſeuerantia in *genere* eſt

ἐπιμονὴ & ὑπομονή. Sic *Scholaſtici* perſeuerantiæ nomine vtuntur interdum *habitualiter*, pro virtute, interdum *actualiter*, pro actu vel exercitio virtutis; tametſi ἐμμενετικῶς *habitus perſeuerantiæ* voce commodè exprimatur, *actus* voce *perſeuerationis*, prout & Græci ita diſtinguunt καρτερίας & καρτερήματος, vt illa habitum deſignet, iſta actum.

XIII. *Strictè* & in *ſpecie* perſeuerantiæ vox in ſcholis theologicis in hoc argumento *habitualiter* potius ſumitur, quàm *actualiter*, pro habituum fidei & ſanctitatis in Dei filiis immanentia, non pro actuum nunquam interruptorum productione. Sic Scriptura Sacra ὑπομονῆς nomine non patientiam tantùm deſignat, ſed & perſeuerantiam, Rom. 2.7. Rom. 15.4. 5. 1. Theſſ. 1.3. Hebr. 10.36. & 12.1. Apoc. 2.2. *Syrus* vertit ὑπομονὴ nomine בסוברנותא pro quo per μακροθυμία quandoque בסיברנו occurrit, ut Col. 1.11. nomine formato à verbo סיבר in *Pahel* ex forma quadrata, quod & confidere ſignificat, & patienter ferre, & perſeuerare in confidentia & patientia, Matth. 10.22. & 24.13. Marc. 13.13. ſic verbum חסן eodem ſenſu adhibetur à *Syro*, Hebr. 3.14. & reſpondet τῷ κατέχειν nimirum μέχρι τοῦ τέλους vel ὑπομείναι εἰς τέλος. Sic Spiritus Sanctus ad perſeuerantiam deſignandam utitur etiam verbo ςῆναι, Epheſ. VI.11. 1. Theſſal. III.8. quod *Syrus* reddit per קום. Sic אתקים in *Ithpahel* reſpondet τῷ ςηκῶαι. Sic perſeuerare exprimitur per διαμένειν, Luc. XXII.28. & à *Syro* per כתר in *Pahel*. Hebræis etiam non fides tantùm ſed & conſtantia ac perſeuerantia in ea eadem voce אמונה deſignatur, quia vera fides eadem conſtans eſt, & ubi conſtans non eſt, vera non fuiſſe revincitur. Sic Hebræi perſeuerantem exprimunt per נאמן & perſeuerare per verba generalia יצב עמד קום quæ redduntur à LXX. per προσκαρτερεῖν διαμένειν, καταμένειν, ὑπομένειν, & alia id genus.

XIV. λόγον ὀνοματώδη excipit λόγος οὐσιώδης, notationem *terminorum* notatio *rei* per terminos deſignatæ, & ſic definimus Perſeuerantiam Sanctorum donum ſalutare Dei, quo electi Dei Filii, & tum ſanguine Chriſti abluti, tum ſpiritu eius renouati in ſtatu adoptionis conſeruantur, & in fidei & ſanctitatis habitu certò perſtant, & ſe in eo conſeruandos ac perſtituros confidunt ad finem uſque ad laudem glorioſæ gratiæ Dei, & ſalutem ſuam.

XV. Hinc patet *duo* potiſſimum de *Perſeverantia Sanctorum* definiri, I. Certitudinem *perſeverantiæ* ſiue *objecti*. II. Certitudinem *perſeverantis*, ſiue *ſubjecti*. Et ſanè Scriptura vtrumque docet & *rem*, & *ſenſum* rei, & certitudinem vtriuſque, quorum prius eſt principium poſterioris, poſterius ὑπόστασις prioris, vtrumque Dei donum, conſolationis Chriſtianæ baſis, & filiorum Dei peculium.

XVI. Perſeverantiam *donum Dei* vocamus, I. *Originaliter*, & *antecedenter*, ratione influxus gratiæ filiorum Dei animos firmantis, tum in fiducia certa de Dei erga ſe in Chriſto amore, tum in reciproco amore Dei. 2. *Formaliter*, ratione habituum fidei & ſanctitatis, & firmitatis illius, tum in fiducia de Dei amore, tum in amore Dei reciproco. 3. *Conſequenter*, ratione

ratione ipſorum actuum perſeverationis ab habitibus illis tum *elicitorum*, tum *imperatorum*, qui & ipſi mera Dei dona ſunt, quamvis enim *ſubjectum quod* actus illos edit ſit homo, *principium* tamen *quo* illos edit, eſt mens & voluntas renouata ex mera Dei gratia, & *reduplicatiuè* quidem, quà tales ſunt. Et ſanè cum perſeuerantia in fide & fides perſeuerans in re concurrant, idem omninò doni ſui tum author eſt, tum conſeruator, & qui fidem largitur non habenti, largitur etiam fidei ſtabilitatem jam habenti. Ipſe eſt qui confirmat ſuos ad finem uſque inculpatos, 1.Corinth.1.8. qui timorem ſuum dat in corda eorum, ut non recedant à ſe, Ier. XXXII.40. qui ἐπιτελεῖ bonum opus in iis, in quibus id cœpit, Phil. 1.6. qui ϛηρίζει & φυλάττει ſuos, II. Theſſ. III.3. qui & ἀρχηγὸς fidei eſt & τελειωτὴς, Heb. XII. 2. Imò qui dat ipſum πιϛεύειν, Phil.1.29.& efficit velle ſimul ac perficere, Philip.II.13.

XVII. Explodenda itaque cenſemus commenta vetera *Pelagianorum* & *Semipelagianorum* circa hoc argumentum, quorum illi initium huius boni, iſti continuatiónem illius viribus humanis adſcribunt, & fœtum hunc inter Deum & idolum arbitrij humani partiuntur. Ad hanc claſſem referimus recocta & interpolata iſta Nouatorum Dogmata, quibus pertendunt, perſeverantiam non Dei donum eſſe, ſed conditionem noui fœderis, à Deo imperatam, non collatam, vel collatam ſolùm, quoad vires perſeuerandi, haudquaquam verò quoad perſeuerationem ipſam, imò qui docent, perſeuerantiam eſſe conditionem ab homine ante *peremptoriam* ſui *electionem* præſtandam.

XVIII. Perſeuerantiam ſanè Noui Fœderis conditionem eſſe fatemur, & officium hominis in id fœdus admiſſi, ſed addimus, eſſe conditionem non imperatam ſolùm, ſed & collatam. Imò quia Novi Fœderis conditio eſt, non imperata ſolùm cenſeri debet, ſed & collata credi, ex natura Noui Fœderis, eo ipſo contradiſtincti veteri, quippe cuius conditiones non imperantur tantùm, ſed & promittuntur & conferuntur, Ier.32.39.40. Hebr.8.9.10.11.12. 1.Cor.1.8. 1.Petr.1.5.

XIX. Ita ergo perſeuerantia *officium* hominis eſt, vt ſimul *beneficium* Dei. Et ſanè *mandatum perſeverantiæ* ex vi Noui Fœderis non *legale* eſt, ſed *Euangelicum*, adeoque cum vi ſpiritus conjunctum, & conueniens perſeuerantiæ in Dei Filiis efficiendæ organum eſt. Et nequicquam obtenditur, Deum conditionem illam dare velle, modò homines gratiæ ſufficienti non deſint, præterquam enim quod promiſſio illa non eſt de *fine*, ſed de *medio* ad finem, adeoque *abſoluta*, non *conditionata*, confunditur conditio cum beneficio conditioni annexo, *gratiæ* enim ſufficienti non deeſſe, eſt perſeuerare. Sic verò idem erit conditio ſui ipſius, & Deus dabit homini perſeuerare, modò perſeueret.

XX. In eo etiam grauiſſimè peccatur, quod gratia illa & viribus ad perſeuerandum à Deo collatis, voluntati humanæ mera ἀδιαφορίᾳ relinquitur, vel perſeuerandi, vel non. Unde actus perſeuerationis non debebitur gratiæ, quæ eius cauſa communis tantùm eſt, quia commu-

nia non faciunt diſcrimen, ſed voluntati humanæ gratiam oblatam *ſpecificanti* & determinanti. Quæ omnia in Dei Majeſtatem incurrunt, hominem inflant, gratiam inanem reddunt, voluntatem *ἀδέσποτον* conſtituunt, & actus ſui dominam, quæcunque gratiæ operatio intercedat, ita ut ſi ſe ad bonum applicet, ei non adhæſio tantùm ad bonum debeatur, ſed & cauſa adhæſionis præcipua.

XXI. Nos verò cum Scriptura Sacra in alia omnia imus, & merum Dei donum cenſemus tum fidem ipſam, tum incrementa & ſtabilitatem fidei. Eo ipſo verò, quia donum eſt, gratuitum eſt, & gratiæ Dei in ſolidum deputandum. Addimus verò, eſſe donum *ſalutare*, tum quia ad ſalutem *ordinatur*, tum quia ad eam *terminatur*, idque *ἐξαιρετικῶς* & contradiſtinctè donis variis aliis, quæ ad ſalutem nec *ordinantur*, nec *terminantur*.

XXII. *Subjectum adæquatum* perſeuerantiæ conſtituimus electos Dei Filios, ablutos ſanguine, & renouatos ſpiritu Christi: perſeuerantia enim in fide, æquè ac fides filiorum Dei tantùm eſt, & ex electione eorum fluit, utpote à qua vocatio efficax, juſtificatio, & glorificatio, tum *incboata* per ſanctificationem in terris, tum *completa* per introductionem eorum in æterna gaudia in cœlis, quæ beneficia intermedia & ex primo fluunt, & ita cum ultimo connexa ſunt, ut nulla vi, nullis machinis luxari poſſit diuina illa compages, quam in Sorite ſuo nectit Apoſtolus ad Roman. 8.29.30. Electi ſoli aſſequuntur, nimirum tum fidem, tum ſalutem, Roman. 11.11. Et illi ſoli etiam ſeparari nequeunt à charitate Dei, Rom. 8.35.37.38.39.

XXIII. Tametſi verò Perſeuerantiæ donum electorum proprium ſit, ſecundùm *conuenientiam*, & ab electione fluat, in electis tamen actu non reperitur ſecundùm *inhærentiam & exercitium*, donec illi vocatione efficace Chriſto inſiti, & tum ſanguine eius abluti, tum ſpiritu eius renouati fuerint. Et ſanè ut perſeuerantia in fide fidem præſupponit, ſic fides non reperitur niſi in illis, qui Chriſto actu inſiti tum ab eo vt *vade* juſtificationis beneficium habent, tum ab eodem ut *capite* influxum ſanctificationis hauriunt, per communionem & irradiationem eiuſdem, qui in Chriſto eſt, Spiritus. Vnde electi & fideles ac perſeuerantes iidem quidem ſunt *terminatiuè*, & *conſequenter*, ſed non *objectiuè & antecedenter*, quaſi vel Deo eligenti objiciantur tales, vel ſimul & ſemper & electi ſint & fideles vel perſeuerantes, oues enim nondum vocatæ Johannis cap. x. verſ. 16. ab electione tales dicuntur, quamvis nondum nec ad Chriſti communionem actualem pertractæ, nec participes influxus ſpiritus Chriſti, adeoque nec fidei, nec perſeuerantiæ in ea. Adde, electionis actum æternum eſſe *à parte ante*, ut loquuntur Scholæ, fructum verò & ſenſum eius in tempore demum exhiberi, & æternum tantùm eſſe *à parte poſt*.

XXIV. Meritò etiam perſeuerantiam metiendam cenſemus ex firmitate ſtatus adoptionis, & immanentia habituum fidei & ſanctitatis.

Nec

Nec enim dubium, actus iſtorum habituum & abrumpi poſſe, & ſæpe actu abrumpi, ſiue omittendo, ſiue committendo, quod & ratione conſtat à *priori*, & exemplis ſimul ac experientia à *poſteriori*. Cùm enim renati in hoc corpore mortis ex parte tantùm cognoſcant, ex parte diligant, & in membris ſuis adhuc habeant peccatum in ſe habitans, legem rebellantem legi mentis, hinc ſæpe, quod nolunt malum, faciunt, & captiui redduntur legi peccati, 1.Cor.XII.12. Roman.VII.19.23. Qualis itaque ratio *principiorum*, talis etiam eſt *principiatorum*, & non ſolùm ſpiritus concupiſcit adverſus carnem, ſed & caro adverſus ſpiritum, & volenti facere bonum, adjacet malum, Gal. v.17. Rom.VII.21. Et ſanè triſtes ſanctorum caſus ſatis docent, non tantùm eos ſæpe ex *principio renouato* agere, ſed etiam quandoque ex *principio corrupto*.

XXV. Quamvis verò peccata tollant gratiam ratione *demeriti*, non tamen ſemper tollunt ratione *efficientiæ*, vt fatentur Scholaſtici. Vnde actus fidei & ſanctitatis interrumpi poſſunt, habitibus iſtis ſalvis, interrumpuntur etiam actu, iis non extinctis, quia ſtatus adoptionis immotus eſt, nec ſemel filiis Dei accenſi ab hoc dignitatis ſibi & datæ & partæ gradu deturbari poſſunt. Qui enim filii illi etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, Rom.VIII.17. Adoptio ſanè humana exhæredatione quandoque terminatur, diuina verò haudquaquam, quia illa ignorantiæ obnoxia, errori, pœnitentiæ, mutationi, iſta haudquaquam. Nec dona adoptionis, quæ ἀμεταμέλητα, vel à donatore auferuntur, vel à donatario extinguuntur, cum donator conſtantem beneficii ſalutaris durationem partem beneficii eſſe velit, & voluntas non abjiciendi donum inter præcipua dona ſit, quæ accepit donatarius.

XXVI. Nequicquam itaque hîc rhetoricantur ij, qui Semipelagianorum hæreſin nouo hodie paxillo ſuſpendunt, dum nobis impingunt voluntatis humanæ inconſtantiam, carnis imbecillitatem, tentationum tum admotarum impetum, tum admiſſarum reatum, & qui ſunt alij id genus arietes, quibus in ſalutarem hanc de *Perſeuerantiæ Sanctorum* doctrinam incurrunt. Nec enim inde arceſſimus *perſeuerantiæ* certitudinem, minùs à meritis humanis, vel propriis, vel alienis, ſed à *principiis* aliis partim *externis*, partim *internis*, quæ immota ſunt & inconcuſſa.

XXVII. *Externa* ſunt, I. *Eligentis Decretum* quod ϛερεὸν, II.Tim.II.19. & *manens*, Rom.IX.11. & ἀμετάθετον, Heb.VI.17. & efficax tum ratione *finis*, tum ratione *mediorum* indiuiduo nexu cum fine conjunctorum, Roman.VI.29.30. Nec ſanè actus Dei immanens vel reſcindi poteſt, vel mutari, nec à Creatore, quippe qui ſibi ſemper conſtat, & apud quem nec tranſmutatio, nec conuerſionis obumbratio, Iacob.I.17. nec à creatura, quippe cui nihil nec poteſtatis, nec potentiæ in Creatorem, nec in actus Creatoris. Adde nec in melius mutari poſſe actum Dei, quippe qui ſemper optimus, nec in deterius, quin Deus deſinat eſſe quod eſt. II. *Redimentis meritum* & *efficacia* qui nec euanidum beneficium

ſuis acquiſiuit per ἱλασμὸν in terris, nec id mutabiliter applicat per ἐμφανισμὸν in cœlis, Ioh. v i. 35. 37. 39. Rom. v i i i. 33. III. *Cuſtodientis potentia*, qui & ſuos cuſtodit, & qui ſuſtentat manum eorum, Pſalm. xxxvii. 24. nec patitur oues ſuas rapi è manu ſua, & facit ne pereant in æternum, Ioh. x. 28. 29. adeoque tentationes vel auertit, vel euertit, vel in bonum conuertit, nec ſuos ſinit tentari ſupra id quod poſſunt, imò præſtat cum tentatione etiam exitum, vt poſſint ſufferre, 1. Cor. x. 13. Vnde filii Dei pluſquam victores ſunt, Rom. v i i i. 37. quia in iis potentior eſt, quàm qui in mundo eſt, 1. Ioh. iv. 4.

XXVIII. A *principiis* illis *externis* fluunt *principia* Perſeuerantiæ *interna*. 1. *Vnio fidelium* cum Chriſto, quæ & *intenſivè* ſummi vigoris eſt, & *extenſivè* perpetuæ durationis. Summi vigoris, quia qui Chriſto agglutinatur, vnus fit cum eo ſpiritus, 1. Corint. v i. 17. & ab eo non influxum tantùm *gratia regenerantis* habet, ſed & influxum *gratiæ corroborantis* & *conſervantis*, Phil. 1. 6. *Perpetuæ* etiam *durationis* eſt illa vnio, quia quoad omnes temporum differentias proſpectum iis, qui ei per veram fidem ſunt inſiti, quoad tempus *præteritum*, dicuntur jam tranſiuiſſe à morte ad vitam, quoad *præſens*, dicuntur habere vitam æternam, quoad *futurum*, dicuntur non venturi in condemnationem, nec ejiciendi forâs, Ioh. v. 24. x. 28. 29.

XXIX. Ex hac vnione fidelium cum Chriſto fluit. 11. *Vita ſpiritualis*, quæ non animalis vitæ inſtar interitui obnoxia, vel exſtinctioni, quia principium & coagulum eius immotum eſt, & vocatur ſemen manens, 1. Ioh. 111. 9. Vnctio manens, 1. Ioh. 11. 27. ſemen immortale, 1. Pet. 1. 23. fons aquæ ſalientis in vitam æternam, Ioh. iv. 14. Vt verò vita animalis deliquia ſua patitur, nec idem ſemper eius tenor & vigor: ſed in ea marcor quandoque, ſtupor, ἀναισθησία, lethargus, morbi acuti, quibus vitæ commeatus & anhelitus omnis velut intercludi videtur, haudquaquam tamen planè intercluditur: Sic & vita ſpiritualis in grauibus ſanctorum lapſibus ſua deliquia habet, languet quandoque, & præfocari videtur, haudquaquam tamen planè ſuffocatur, vel exſtinguitur, ſed per actus ſubſequentes pœnitentiæ & fidei inſtauratur, quotieſcunque eluctatur peccator, & ab ipſo caſu, velut collecto ſpiritu, grauiore mali odio, & ardentiore boni amore inflammatur.

XXX. Et ſanè ex vita ſpirituali conſequitur deſiderium eius vel prouehendæ, vel inſtaurandæ, & frequens mediorum illorum vſus & amor, quibus Deus ſe perſeverantiam in filiis ſuis operaturum pollicetur. Nec ex certitudine perſeuerantiæ obrepit filiis Dei alia *ſecuritas* præterquam *ſpiritualis*, quæ pars libertatis & felicitatis Chriſtianæ eſt, & alia planè à *ſecuritate carnali*, iſta enim cum mediorum contemptu, illa cum eorundem vſu, iſta cum mali amore, illa cum ejuſdem odio conjuncta eſt. Qui itaque habet hanc ſpem, purificat ſe, ſicut & ille purus eſt, 1. Ioh. 111. 3. Et qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, 1. Johan. 111. 9. & conſervat ſe ipſum à malo, 1. Joh. v. 18. imò vincit malum, 1. Joh. v. 4.

XXXI. Tametſi itaque Filii Dei in peccata infirmitatis ſæpe, in peccata

cata etiam contra conſcientiam quandoque prolabantur, lapſus illi tamen nec *totales* ſunt, nec *finales*, ſed ut eos *antecedit* auerſio à peccato, *comitatur* lucta, *ſequitur* dolor ob triſtitiâ affectum ſpiritum; ſic dolorem illum, Deo vel ſupponente manum in lapſu, vel erigente poſt lapſum, excipiunt lachrymæ, preces, deteſtatio commiſſi vel omiſſi, & ſerium reconciliationis cum Deo, quoad ſenſum conſcientiæ inſtaurandæ, deſiderium. Exempla eius rei clara rei in Dauide & Petro. Quamvis enim in renatis etiam ex natura ſua peccatum poſt ſe trahat reatum, eius tamen *exercitium* ſuſpendit gratia, & quod eſt inſeparabile à peccato ſecundùm legem, illud ſeparabile fit ſecundùm Evangelium. Vnde non in Dei filiis nihil condemnabile eſſe dicitur Roman. VIII. 1. Sed nulla *condemnatio*. Et ut leproſorum olim vitiligo & pſora haudquaquam illis *ius* ſuum interuertit in domos ſuas, ſed *vſum* tantùm ad tempus intercepit: ſic & lepra illa ſpiritualis non *iure ſuo*, quod tamen ex mera Dei gratia habent, Filios Dei intercludit, ſed præſenti tantùm juris illius *exercitio*, fructu, & ſenſu. Adde, decretum Dei non refigi actibus humanis, & id ipſum obſtare, tum ne fideles peccent ביד רמה *manu elata*, toto impetu, & excuſſo omni Dei timore, nec in peccato exſpirent, tum ne legis maledictio in illos ſtringatur, quippe qui tranſcripti è familia primi Adami in familiam ſecundi, adeoque etiam in beneficiorum eius ſocietatem allecti.

XXXII. Hinc filij Dei tum ob immutabilitatem amoris Dei erga ſe, tum ob certitudinem perſeuerantiæ ſuæ conferuntur cum ejuſmodi rebus, quæ vel *inſtituto* & *conſuetudine humana* firmiſſimæ ſunt, vel ita *naturâ* ſunt comparatæ, vt ſedem vel ſtatum ſuum non mutent. Sic communionem ſui cum Eccleſia comparat Deus vinculo arctiſſimo amoris & conjunctionis quod intercedit inter ſponſum & ſponſam, Hoſ. II. 19. 20. Sic quia ſerui mora in domo herili precaria eſt, filii verò in iure naturali fundata, impii ſeruis & mancipiis conferuntur, Filii Dei filiis perpetuò manentibus in ædibus paternis, Ioh. VIII. 35. Quamvis longè arctius adſtrictum ſit vinculum ſpirituale, quod Deus intercedere voluit in hoc argumento, vinculo carnali intercedente inter ſponſum & ſponſam, parentes & filios, quippe quod crimen humanum, & culpa vel utriuſque vel alterutrius partis ſæpè diſſolvit. Illud verò perpetuum eſt & *ἀδιάλυτον*. Sic quid naturâ ſolidius ædificio exſtructo ſuper Petra? Quid firmius monte Zionis qui non mouetur? Vtroque verò hoc Symbolo deſignatur filiorum Dei perſeuerantia, Matth. VII. 24. 25. & Pſalmo CXXV. 1. Addi poſſunt ſimilia *arboris plantatæ* ad riuos aquarum, cujus folium non decidit Pſalmo 1. 3. *terræ bonæ* bonum fructum proferentis, Matth. XIII. 23. *palmitum purgatorum*, ut plus fructus ferant, Ioh. XV. 2. Quæ ſimilia tamen longè inferiora illo quod *τὸ τυπικὸν*, nec vexanda ſecundùm *materiale*, ſed ex collatione Scripturarum explicanda & applicanda.

XXXIII. Ex his patet, nec *inconſtantiam voluntatis* humanæ obſtare perſeuerantiæ filiorum Dei, quippe quæ firmatur & ſolidatur per gratiam & *renouantem*, & *corroborantem*, & *reſtaurantem*: Nec *carnis imbecillitatem*,

quippe quæ ſubigitur à victore ſpiritu, fides enim fidelium victoria eſt. Nec *tentationes* ſiue *admotas* ſiue *admiſſas*, ut quæ vel avertuntur, vel euertuntur, vel conuertuntur in bonum fidelium, qui tentantur. Certum itaque, electos Dei filios haudquaquam excidere vel amore Dei, vel ejus fine, qui ſalus animarum, ob cauſas perſeuerantiæ immotas & inconcuſſas, ex quibus certum de ipſa perſeuerantia iudicium faciendum.

XXXIV. Imò Scriptura non tantùm non excidere filios Dei amore Dei, & habitibus fidei ac ſanctitatis docet, ſed & ne excidere quidem poſſe, Matth.xxiv.24, Ioh.x.29. 1.Ioh.iii.19. Rom.viii.35. Et fruſtra hic paratragædiant hoſtes ſalutaris de perſeuerantia doctrinæ, nec enim *impoſſibilitas* illa *abſoluta* ſtatuitur, ſed *hypothetica*, fundata non in firmitate humana, ſed in gratia diuina, nec libertati hominis adverſatur, ſed cum ea conſpirat. Nec ſic ſancti redduntur impeccabiles, nec ob id peccata illorum cenſentur non peccata, nec laxatur fibula carni, nec evertuntur media prouehendæ perſeuerantiæ in fide & ſanctitate, nec ſtatuitur perſeuerantiæ dono eos excidere non poſſe, qui propudioſâ & flagitioſâ vita ætatem tranſmittunt, & ſceleribus ſuis immoriuntur. Hæc enim mera ſunt cauilla, & ψυχρὰ φοβερά, ad odium veritati conflandum comparata. Quî enim ſtatuamus impeccabiles illos, quorum perſeuerantiam haudquaquam ex actuum non interruptorum fidei, & ſanctitatis productione metimur, imò quos ſæpe interrumpi fatemur? Quî eorum peccata cenſeamus, non peccata, quæ fatemur, ratione ſuæ fœditatis, *demeritoriè* tollere gratiam, etſi eam non tollant *effectivè*, ratione ſuperioris obſtaculi: quæ docemus offendere Deum, contriſtare ſpiritum, & reatu graui obſtringere conſcientiam, etſi is per gratiam remittatur. Qui fibula laxetur carni eiuſmodi doctrina, quæ non *habituale* ſolùm ſanctitatis propoſitum exigit, ſed & ſtudium *actuale*, & operationem ſalutis in timore & tremore? Quî media euertantur prouehendæ perſeuerantiæ in fide & ſanctitate ejuſmodi doctrina, quæ perſeuerantiam per illa ipſa media & eorum vſum effici in Dei filiis docet? Haudquaquam itaque flagitioſæ vitæ ex hac doctrina occaſio, quum iſta *incompoſſibilia* ſint, flagitiis indulgere & delectari, & tamen habere gratiam perſeuerantiæ effectricem. Immò qui habet hanc ſpem, purificat ſe ipſum, & pro certo ſibi perſuadet, ſine ſanctitate neminem viſurum Deum, & nonniſi per ſanctitatis orbitam decurri poſſe ad metam gloriæ.

XXXV. Vt verò bonum ſine notitia & ſenſu boni haudquaquam nobis bonum integrum eſt, ſic Scriptura Sancta ad ſolidam εὐθυμίαν pacem & tranquillitatem fidelium non *certitudinem* tantùm *perſeverantiæ* docet, ſed & *certitudinem perſeverantis*, quâ confidunt fideles in Domino, quod & in fiducia de Dei erga ſe in Chriſto amore, & in reciproco amore eiuſdem perſtituti ſint ad finem, & pluſquam victores futuri, adeò, ut nulla re creata ſeparari poſſint à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro, Rom.viii.37.38.

XXXVI. Et ſanè perſuaſio iſta fidei naturam conſequitur. Vt enim

vera

vera fides eadem conſtans eſt, ſic *actus* eius non tantùm *directus* eſt, quo fertur in objecta extra ſe conſtituta, ſed & *reflexus*, quo fertur in ſuam apprehenſionem: γινώσκομεν, ὅτι ἐγνώκαμεν αὐτόν, 1.Johann.II.3. Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium in ſe ipſo, 1.Johan.v.10. Accepimus ſpiritum qui eſt ex Deo, ut ſciamus quæ Deus nobis eſt gratificatus, 1I.Corinth.II.12. Novi cui crediderim, II.Timoth.I.12. perſuaſum habeo hoc ipſum, fore, ut qui incepit opus bonum, perficiat, Philip.I.6. Hinc fidei & fidelibus tribuitur πληροφορία, πεποίθησις, παῤῥησία, ὑπόστασις, nec *aſſenſitiva* tantùm τῶν ἐλπιζομένων in intellectu, ſed & *fiducialis* in corde, qua confidunt ſe virtute Dei cuſtodiendos ad ſalutem, imò per quam non ſolùm pacem habent, & ſtant, ſed & gloriantur ſub ſpe gloriæ Dei, Roman.v.2. Et ſanè iſta duo in fide ſe excipiunt, unum eſt οὐσιώδης, & velut *forma fidei*, fiducialis nimirum apprehenſio Chriſti, alterum ἐπουσιώδης, acquieſcentia animi in eo: Quorum illud fidei *conſtitutivum* eſt, iſtud *conſecutivum*. Quæ acquieſcentia & notitiam præſupponit, & perſuaſionem non de bono evanido, ſed de bono conſtante, nec de præſente tantùm, ſed & de futuro, & gaudium ſolidum parit, quia credentes exultant gaudio ineffabili ac glorioſo, 1.Petr.I.8. & ſciunt, ſi terreſtris hujus domus noſtræ tabernaculum diſſolutum fuerit, ædificium ſe cum Deo habituros, domicilium videlicet non manu factum, ſed æternum in cœlis; II.Cor.v.1.

XXXVII. Et hæc certitudo fidelium eſt *ſignaculum Spiritus* & *arrhabo*. Sic Scriptura docet, fideles, poſtquam credidêre, obſignatos eſſe ſpiritu promiſſionis ſancto, qui ſit arrhabo hæreditatis noſtræ, dum in libertatem vindicemur, Epheſ.I.13.14. Eadem phraſi utitur Apoſtolus, II.Corinth.I.21.22. Deum qui nos unxit, nos etiam confirmare in Chriſtum, & obſignare, & dediſſe arrhabonem ſpiritus in cordibus noſtris. Idem repetit 2.Corinth.v.5. Et ſanè, ut, ſecundùm *Etymologos* Græcos ὁ ἀῤῥαβὼν inter homines eſt, ὁ ἐπὶ ταῖς ὠναῖς παρὰ τῶν ὠνουμένων διδόμενον προκαταβολὴ ὑπὲρ ἀσφαλείας, ἀφ᾽ οὗ γὰρ δοθῇ ὁ ἀῤῥαβὼν, οὐ μετακινεῖται εἰς ἄλλον: Sic arrhabo ille ſpiritus, ut bene notat *Oecumenius*, πιστοῦται τὸ ὅλον, τὴν υἱοθεσίαν, καὶ τὰ μυρία ἀγαθὰ, cùm ſit arrhabo τῆς ἐπουρανίου κληρονομίας.

XXXVIII. Nec tamen exiſtimandum, certitudinem iſtam perſeverantium vel in *actum* ſemper exire, vel exire eodem *gradu*. Non in *actum* ſemper exit. I. In homine in gravi *tentatione* conſtituto, & luctante cum portis inferorum. II. In eodem demerſo in grave aliquod *peccatum*: imò tum ſuccedit formido actualis contrarii, & videtur nubes, immò abyſſus velut interjecta inter Deum & hominem, ſentit ille ſagittas Domini in ſe, venenum ebibit ſpiritus ipſius, & terrores Domini velut acie inſtructa oppugnant eum, Job.VI.2. Sic Pſaltes inquit, Pſalm. XXXI.2.3. Dixi in exceſſu mentis meæ, projectus ſum à facie oculorum tuorum. Ut enim in morbo gravi ſæpe influxus vitalis haudquaquam ſentitur ab ægro, ſic & in tentatione vel peccato gravi irradiatio illa

ſpiritus teſtantis nos eſſe filios Dei, haudquaquam ſui ſenſum præbet. Hinc frequentes fidelium terrores & querelæ: immò ſine actuali ſanctificationis ſtudio dari nequit ulla actualis de gratia & gloria perſuaſio. Sic nullam quidem condemnationem iis eſſe qui in Chriſto ſunt, docet Apoſtolus Rom. VIII. 1, ſed & addit, qui non ſecundùm carnem ambulant.

XXXIX. Quamvis verò ad tempus in Dei filiis ſopiatur ſenſus gratiæ Dei præſentis, & fiducia futuræ, ſive in malis culpæ, ſive in malis pœnæ, eluctatur tamen certò tandem ex illa abyſſo anima fidelis, ex Dei & eligentis, & redimentis, & cuſtodientis, & erigentis gratia, & reddit illi Deus gaudium ſalutis ſuæ. Sic ſpiritus voluntarius confirmat Dei filios, eoſque audire facit gaudium & lætitiam, ita ut exultent oſſa ante contrita, Pſ. LI. 10. 14.

XL. Quamvis etiam certitudo vel perſuaſio illa exeat in *actum*, haudquaquam tamen cenſendum, eam ſemper in actum exire *eodem* vel *gradu*, vel *tenore*, ſed modò major eſt, modò minor, vividior modò, modò languidior, κατὰ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ Χριστοῦ, pro minore vel minore menſura ſanctificationis, cujus incremento creſcit, decremento decreſcit, inſtauratione inſtauratur.

XLI. Hinc patet, quàm à ratione omni aliena ſit Sophiſtarum protervia, qui perſuaſionem illam de gratia Dei tum præſente, tum futura, ſecuritatis matrem vocant, & obſtetricem licentiæ. Immò quicunque vel ſecuritati vela laxat, vel licentiæ, in eo fiducia gratiæ locum nec habet, nec habere poteſt, nec habere debet, ſed ſenſus iræ & maledictionis. Quò verò firmior eſt iſta perſuaſio in anima fideli de gratia Dei, eò ardentius illa fertur in Dei gloriam & ſanctificationem ſuam. Nec ullum vel ad veram pietatem telum potentius, vel incentivum majus, quàm ſenſus vividus amoris Dei, & eorum quæ nobis gratificatus eſt, qui ita potenter rapit & inflammat animum, ut totus ardeat re ipro Dei amore, à quo tantùm beneficium habet, & habet gratis, & habet præ aliis in communi perditionis maſſa relictis.

XLII. Et eo ipſo hujus doctrinæ hoſtes teſtatum faciunt, quàm parum ſentiant vim ſpiritus, immò quàm parum norint naturam ejus, dum *ſpiritum teſtantem* & *obſignantem* ſeparant à *ſpiritu ſanctificante*, & ea inter ſe committunt, quæ ſe invicem excipiunt, & conſpirant amico fœdere. Nobis certum, eos qui habent hanc ſpem, purificare ſe ipſos, operari ſalutem ſuam in timore & tremore, ambulare ſecundùm ſpiritum, non ſecundùm carnem, vigilare, orare, pugnare, eſſe fideles uſque ad mortem, tenere id quod habent, ne ullus accipiat coronam ſuam. Et graviter impingunt illi qui *promiſſa* & *præcepta*, *beneficia* Dei, & *officia* noſtra, *finem* & *uſum mediorum* collidunt, componenda enim iſta omnia, non opponenda.

XLIII. Gratis etiam argutantur Doctores multi umbratici. I. Dum *ſpecialem revelationem* dari negant ad certitudinem iſtam perſeverantis

animo

animo ingenerandam, quaſi operatio ſpiritus teſtantis unà cum ſpiritu noſtro nos eſſe filios Dei, & futuros ejus hæredes, non ſit in vniuſcujuſque fidelis animo *ſpecialis*, imò *individualis* revelatio. Præter iſtam verò revelationem Propheticum hîc lumen exigere, vel enthuſiaſmos vrgere, eſt hominum, vt molliſſimè dicamus, vim ſpiritus & naturam veræ fidei ignorantium. Et ſanè *nomen novum* nemo novit, niſi qui id accipit, Apocal.II.17. II. Dum perſuaſionem illam paucorum quorundam, præ aliis *æternitatis candidatorum*, & ſuprà communem fidelium ſortem euectorum, priuilegium eſſe ſatagunt, quum ea communis fidelium corona ſit, & character communis, quippe cuius fundamenta & principia communia ſibi cum fidelibus aliis eſſe teſtatur Apoſtolus Roman.VIII.31.32.33.34. III. Dum ſupponunt, nos *à priori* perſuaſionem illam arceſſere, vel arceſſendam docere, quam *à poſteriori* duntaxat nobis innoteſcere profitemur. IV. Dum pro perſuaſione & fiducia hîc nobis ſubſtituunt ἐποχὴν Academicam, & *incertæ opinationis* aut *ſpei coniecturalis* actum, quo ipſo & in Dei verbum incurrunt, & in veritatem ſimul ac bonitatem Dei peccant, & fidei naturam evertunt, dum animas fidelium perpetuo quodam trepidationis motu ſuſpenſas, nunc horſum, nunc illorſum circa præcipuum conſolationis & gaudii ſui centrum impelli cenſent. Nec verò gratis ἐποχὴ iſta à Pontificiis propugnatur, immò magnum inde Clero Romano compendium, certa enim peccatori in vita & morte conſolatione propoſita ſubvertitur abacus à collybiſtis Romanenſibus in templo Dei erectus, eâdem conſolatione everſa erigitur, & hinc itur à conſcientia tremula & vacillante ad ἐθελοθρησκείας, ad cultus ſpontaneos, & indulgentiarum mercatum. Immò hinc ſpolia opima, & pergula aperta, dum in extremo agone trepidantes animæ vectigales fiunt inſtitoribus extrudentibus pictas ſuffragiorum & meritorum merces, & vana ex Miſſatico ſacrificio refrigeria, imaginariis Purgatorii flammis mitigandis, vel redimendis deſtinata. V. Dum, non diſtinguendo inter dona *initialia* & *fundamentalia*, *communia* & *ſpecialia*, fidem πρόσκαιρον & juſtificantem, fidem *quæ creditur*, & fidem *quâ creditur*, *herbam tectorum*, & eos qui *radicem* habent, *Apoſtaſiam Sanctorum* cum *manifeſtatione hypocritarum* confundunt, immò *oppoſitum* ſtatuunt in *appoſito* & turpi ſe contradictionis *in adjecto* implicatione involvunt.

XLIV. Præcipua verò pernicioſæ iſtius doctrinæ, quæ & in *certitudinem perſeverantiæ*, & in *certitudinem perſeverantis* arietat, cauſa eſt, quod homo animalis, nec dum ſpiritu Dei ſubactus, & vana ſui fiducia inflatus, gratiæ divinæ naturam, vim, efficaciam, quouſque agat, & quouſque ſui ſenſum imprimat, haudquaquam compertum habet, & liberi arbitrii, gratia communi & *reſiſtibili* pro arbitrio utentis, idolum erectum, & voluntati ſuæ operationum omnium dominium, & & boni ſpiritualis cauſalitatem præcipuam vindicatam & transſcriptam cupit. Nos verò Scripturam Sacram ſequuti, & perennem ac

ſalutarem in Filiis Dei gratiæ vim agnoſcimus, & cum ea ejus ſenſum conjunctum ſtatuimus: Et ut in hæmiſphærio inferiori *naturæ*, vim & creatricem & conſervatricem omnium Deo ſoli tranſſcribimus, ſic & in hæmiſphærio ſuperiori *gratiæ* eidem boni ſpiritualis initium, progreſſum, conſervationem, & conſummationem in ſolidum vindicamus, nec vel amorem ejus mutari, vel decretum refigi, vel dona ſalutaria Dei filiis ſemel conceſſa ullis machinis vel interverti, vel everti poſſe cenſemus. Eximia ſunt hic *Auguſtini* verba lib.2. cap.7. De bono perſeverantiæ. *Poſt caſum hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum: neque niſi ad gratiam ſuam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam poſuit in illo, quo ſortem conſecuti ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum ejus, qui univerſa operatur. Per hoc, ſicut operatur, ut accedamus, ſic operatur, ne diſcedamus.*

DIS-

DISPVTATIO
DE
PERSEVERANTIA Sanctorum.

THESIS I.

VT creationi rerum annectunt Philoſophi æquè ac Theologi earundem conſervationem *in eſſe inferiori naturæ*: ſic recreationi hominis peccatoris annectanda ejuſdem *in eſſe ſuperiori gratiæ* conſervatio, à qua oritur, quæ vulgò in ſcholis vocatur *ſanctorum perſeverantia.*

II. Hujus argumenti Theoriam ſuccinctè inſtituturi. 1. Terminorum vim excutiemus. 2. Statum quæſtionis indagabimus. 3. Fundamenta præcipua veræ ſententiæ & connetionis attributi cum ſubjecto ſubjiciemus.

III. Ad terminorum vim quod attinet, conſiderandum tum *ſubjectum* quæſtionis, tum ejus *prædicatum*. *Subjectum* ſunt *ſancti*, prædicatum quod de illis hîc enuntiatur; eſt eorundem *perſeverantia.*

IV. Per *ſanctos* hîc non intelligimus. 1. Antonomaſticè & κυρίως tales, *ſanctitate naturali* & *eſſentiali*; eaque in ſumma κατ' ἐξοχὴν, quales S. Trinitatis perſonæ. Sic אלהים dicuntur קדושים, Joſ. 24. 19. Deus ſanctus, ſanctus, ſanctus, Eſa. 6. 3. 2. Non ſanctos *ſanctitate concreata*, quales Angeli, & primi parentes. 3. Non ſanctos *ſanctitate legali* κατὰ τὴν ἀκρίβειαν Legis conſiderata, quia tales nuſquam reperiuntur. *Omnes enim deflexerunt, ſimul inutiles facti ſunt*, Rom. 3. 12. 4. Non ſanctos *ſanctitate opinativa*, ſive ex *canone* præſumptionis propriæ, ſive ex *canone* charitatis alienæ. 5. Non ſanctos *ſanctitate gloriæ*, ſive *inchoata* ratione animarum duntaxat, ſive *completa* ratione animarum ſimul & corporeum, ſive ὄντως tales, qui in Domino revera mortui, ſive tales δοξαστικῶς, qui pro dictatura Pontificia velut beatorum primipili in cœlitum album gratis aelati fuêre.

V. Sed ſancti nobis hîc ſunt ſancti *ſanctitate gratiæ*, abluti per Chriſti ſanguinem, & ſanctificati per ejus Spiritum, qui Chriſto Servatori per veram fidem inſiti, & quibus fundamentalia adoptionis, juſtificationis & ſanctificationis dona non deſtinata tantùm, ſed & collata. Hi ſunt

quos Scriptura vocat propriè & ἁγίους fideles, ex Deo genitos, Johan. 1.13. ex Deo natos, 1. Johan. 3.9. in quibus ſemen Dei manet, & qui virtute Dei cuſtodiuntur per fidem ad ſalutem, 1. Petr. 1.5.

VI. *Prædicatum* quod attinet, per perſeverantiam hic non intelligimus *indefinitè* firmitatem quamvis in quacunque re vel propoſito, ſed *definitè* firmitatem in amore Dei & *activè* & *paſſivè* conſiderato, adeoque in fide & ſanctitate, non per modum qualitatis alicujus naturalis, vel virtutis Ethicæ: ſed per modum doni ſeu beneficii, quod *ſupernaturale* ratione principii, objecti, termini, *eximium* ratione pretii, *perpetuum* ratione durationis, continuam videlicet habituum fidei & ſanctitatis in ſanctificato immanentiam, non verò actuum non interruptorum fidei & ſanctitatis ex habitibus illis emanationem.

VII. Terminis quæſtionis ita evolutis, evidens eſt, quando controverti ſolet de *perſeverantia ſanctorum*, non quæri. 1. An æquivocè *ſancti* poſſint deficere, vel deficiant actu, ſive tales videantur ex propria præſumptione, ſive ex opinione aliena, ob dona communia lumen, aſſenſum, profeſſionem veritatis, & gaudium aliquod evanidum ex veritate conceptum, ſed quæſtionem eſſe de verè & univocè ſanctis. 2. Sic non quæritur, An verè ſancti poſſint quædam dona amittere, impingere, cadere, quandoque etiam in peccata prolabi gravia, aliena à Dei amore, fide, ſanctitate, ob alterum carnis & veteris hominis principium, quod in ſtatu viatorum in ſinu ſemper habent: ſed an labantur, & poſſint labi lapſu totali & finali, ita ut fundamentalibus adoptionis, juſtificationis & ſanctificationis donis excidant, & ex filiis fiant hoſtes, & ex electis reprobi, ex ovibus hædi, ex membris Chriſti mancipia Sathanæ, adeoque an ex libro vitæ expuncti in damnandorum cenſum redigantur? 3. Nec quæritur, An ejuſmodi firmitas oriatur ab homine, ejus merito, virtute, conſtantia? Hactenus enim in homine regenito etiam, pro merito demeritum, pro virtute imbecillitatem, pro conſtantia inconſtantiam ſummam reperiri ultrò profitemur, nec per eum ſtare, vel per Sathanam, vel per tentationes illi objectas, quominus & fidem excutiat ac ſanctitatem, & à felicitate excidat. 4. Nec quæritur de abſoluta & ſimplici poſſibilitate, vel impoſſibilitate, ſed de poſſibilitate vel impoſſibilitate hypothetica, ob firmitatem decreti divini, & conſtantiam promiſſionum divinarum, & efficaciam influxus gratiæ regenerantis, corroborantis, ſuſtinentis, erigentis, inſtaurantis, cuſtodientis, & per viam gratiæ ad metam gloriæ infallibiliter ducentis.

VIII. His ita conſtitutis in anteceſſum, præcipua aliquot fundamenta ſalutaris de perſeverantia ſanctorum doctrinæ ex Dei verbo ſubjiciemus, ex quibus liquebit attributum perſeverantiæ merito connecti & connectendum eſſe cum ſuo ſubjecto, à nobis ſuprà deſignato. Ut enim certitudo & continuatio effectus, cujus natura in fieri & in fluxu quodam [illegible], à certitudine & continuatione cauſæ ſufficientis demonſt[illegible] p[illegible], ſic & certitudo & continuatio perſeverantiæ à fundamentorum

torum & principiorum ſuorum certitudine & firmitate pendet.

IX. Fundamenta & principia hujus perſeuerantiæ Sanctorum conſiderari poſſunt, tum *interna*, tum *externa*. *Externa* præcipua ſunt, 1. Immutabilitas decreti diuini. 2. Efficacia meriti & interceſſionis Chriſti. 3. Cuſtodia Dei. 4. Promiſſiones annexæ fœderi gratiæ. *Interna*, tum natura vitæ ſpiritualis, & firmitas unionis fidelium cum Chriſto, tum gratiæ corroborantis efficax ἐπιχορηγία.

X. Æternum electionis decretum vocatur στερεὸν à Spiritu ſancto, 2.Tim.2.19. ἀκίνητον, Rom.9.11. prout τῇ βουλῇ Dei adſcribit Apoſtolus τὸ ἀμετάθετον, Hebr.6.17. Vnde qui ſemel libro vitæ reuera inſcriptus ex eo expungi nequit, Matth.24.24. Rom.11.7.29.& quod ſcriptum, ſcriptum, utpote ab illo, παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, Jac.1.17. quippe cujus nec voluntas mutari poteſt, nec potentia impediri, Malac.1.16. Joh.10.29. adeoque nec decretum reſcindi, nec eius executio, vel ſuſpendi, vel inhiberi.

XI. Hinc Apoſtolus, Roman.8.29.30. præſcitos & prædeſtinatos à prædeſtinatione ad glorificationem per vocationis, & juſtificationis media illatione immota ducit. Nec aureæ hujus catenæ annulus laxari poteſt, quin tota ſalutis noſtræ compages æquè ac ratiocinatio Apoſtoli luxetur. Et jejunum planè Nouatorum interpretamentum à *Socino* hauſtum, quo ibi non de prædeſtinatione ad ſalutem & mediis ad illam ducentibus, ſed de prædeſtinatione tantùm fidelium ad crucem & afflictiones, per quas ad gloriam contingenter eatur, agi contendunt. Notum enim ex locis parallelis, quid deſignet Paulus per κλητοὶ κατὰ πρόθεσιν, Roman.9.11. Eph.1.1. 1.Pet.1.2. Adde nec præcipuam συμμόρφωσιν fidelium cum Chriſto conſiſtere in participatione crucis, nec ſolam, nec omnes ad crucem vocatos juſtificari ſiue coram Deo, ſiue coram hominibus, minùs glorificari.

XII. Æternæ verò & immutabili Dei electioni ſubordinatur meritum & interceſſio Chriſti, quorum illo Chriſtus electis ſuis non acquiſiuit bonum euanidum, & quod ab illis auferri poſſit, ſed ſtabile & perpetuum, iſta id ipſum iis quibus id acquiſiuit & applicat & conſeruat conſtanter, Joh.17.15. Rom.8.34.35. Nec fidelis ſine abſolutione à reatu peccatorum ſuorum ſemel impetrata excidere poteſt, ſiue illius applicatione, quin & crux Chriſti euacuetur, & interceſſio ejus fiat inanis. Nec enim illi audiendi, qui meritum Chriſti damnandis æquè ac ſaluandis commune faciunt, & partim in ejus vigorem, partim in piorum conſolationem grauiſſimè peccant.

XIII. Nec exiguum etiam perſeuerantiæ fidelium in fide & ſanctitate firmamentum peti poteſt à cuſtodia illa, qua Deum velut vallare ſuos in Scriptura legitur, dum & tentationes, & noxia amolitur, & ſupponit manum ne fideles collidantur, & non ſinit illos tentari ſupra vires, ſed dat cum tentatione exitum, ut poſſit non ferri tantùm ſed & vinci, Pſal.37.24. 1.Cor.10.13. Sic & qui Chriſto dati, à Chriſto cuſtodiri dicuntur;

Johan.17.12 nec rapi poſſe è manu ejus, Joh.10.22.nec perire, Johan.6.39. ut qui fidei noſtræ non tantùm *ἀρχηγὸς* nuncupatur, ſed & *τελειωτὴς* Heb. 12.2.

XIV. Addamus promiſſiones annexas fœderi gratiæ, Jerem.32.38. 39 40. Deum inditurum reverentiam animo ſuorum, ut non recedant à ſe, Eſa.54.10. Hoſ.2.18. Pſal.125.1. Matth.16.18. Johan.14.16. Promiſſiones has incertas reddere, eſt fidem Dei inanem reddere, eas à conditione ab homine præſtanda ſuſpendere, eſt rem promiſſam cum conditione, & promiſſiones de mediis cum promiſſionibus de fine imperitè confundere.

XV. Accedit ad principia perſeverantiæ externa, *internum* duplex, unum natura *vitæ ſpiritualis*, quæ vocatur *radix inſita* in fidele, Matth.13.21. contradiſtincta principiis evanidis, fons aquæ ſalientis in vitam æternam, Joh.4.14. *ſemen manens*, Joh.3.9. *ſemen immortale*, 1.Pet.1.23. Ex hoc ſemine nati ſunt inſtar arboris quæ non marceſcit, Pſal.1.3. inſtar domus exſtructæ ſuper petra, quæ non cadit, Matth.7.24.25. inſtar ſeminis quod cadit in terram bonam, quod retinetur & fructum conſtanter profert, Luc.8.15.

XVI. Et ſanè unio fidelium cum Chriſto, à qua vita illa & ejus efficacia, nec temporaria eſt, nec evanida, ſed æternæ tum durationis tum vigoris, nec heterogenea membra & putrida, vel interitura aliquando capiti illi uniri poſſunt, quod eſt fons vitæ. Hinc Chriſto per veram fidem inſiti & in *præterito* dicuntur jam tranſiiſſe à morte ad vitam & in *præſenti* vitam æternam habere, & in *futuro* in condemnationem non eſſe venturi, & foras non ejiciendi; ſed ſuſcitandi in ultimo die ad vitam æternam, Joh.5.25. 6.35.37.39.44. 10.28.29.

XVII. Et qui unum cum Chriſto ſunt, ſunt unus cum eo Spiritus, *ὁ κολλώμενος τῷ κυρίῳ ἓν πνεῦμά ἐστι*, 1.Corinth.6.17. Hoc charactere & ſigillo obſignantur ad diem uſque Chriſti. Hinc fidelibus gratia non regenerans tantùm ſed & corroborans, non initialis tantùm ſed & perſeverans, 1.Corinth.1.8. 2.Theſſal.3.3. Hebr.1.5. 1.Petr.1.10. quæ facit, ne nati ex Deo dent operam peccato, 1.Johan.3.9. ut vincant mundum, 1.Johan.5.4. ut ſe conſervent, ne attingantur ab improbo, v.18. ut in eos mors ſecunda non habeat poteſtatem, Apocalyp.20. 6. Ab hoc Spiritu, & ab hac gratia ſtudium ſanctificationis, & uſus mediorum, quibus Deus vitam ſpiritualem & provehere vult & conſervare.

XVIII. Ex his & aliis id genus fundamentis exurgit certitudo *perſeverantiæ* ſanctorum quam ſcholæ vocant *certitudinem objecti*, ſive rei. Hæc pro natura principiorum ſuorum non poteſt non immota eſſe & inconcuſſa, nec enim jus filiorum ad regnum tolli poteſt niſi ſublato eo in quo fundatur, nec ſanctorum perſeverantia everti, qui & Dei decretum, & Servatoris beneficia, & cuſtodia Spiritus, & promiſſiones fœderis gratiæ, & natura vitæ ſpiritualis, evertantur. Adde, Spiritus illos vertiginoſos

qui

qui *Hymenæos deſertores* urgent, & *Apoſtaſiam ſanctorum* cum contradictione in adjecto ingeminant, eo ipſo ſatis teſtari, ſe nec unionis cum Chriſto firmitatem, nec vitæ ſpiritualis naturam, nec gratiæ corroborantis vim compertam habere, quæ omnia non theoricæ ſed practicæ & experimentalis ſunt cognitionis.

XIX. A certitudine verò *objecti* naſcitur certitudo *ſubjecti*, à certitudine perſeuerantiæ certitudo perſeuerantis, à certitudine rei certitudo perſonæ, ſive ſenſus rei in ſubjecto. Nec enim fides tantùm actu *directo* fertur in objectum extra ſe conſtitutum, ſed & *reflexo* in ſuam apprehenſionem, 1. Joh. 2. 3. Hinc perſeuerantia ſanctorum non in ſe ſolùm certa, ſed & ut talis à fidelibus apprehendi poteſt, quæ potentia in actum exit cum ſtudio ſanctificationis, & pro diverſis illius gradibus ac incrementis.

XX. Vt verò in donis ſpiritualibus, quæ *viatoribus* dantur in via ac ſinceritas ſpectanda, non perfectio, ſic & πληροφορία illa, & πεποίθησις, παῤῥησία fidelium de ſui perſeuerantia ſincera eſt, non perfecta, interrupta non continua, ſæpe languet, ſæpe penitus obruta & tantùm non præfocata videtur, pro decremento ſanctificationis & ἐπιτάσει luctæ & tentationum. Emergit tamen tandem, & eluctatur potente, & motum trepidationis in filiis Dei ortum, ut & dubitationum æſtum componit, eoſque de Dei erga ſe miſericordia, Chriſti amore, depoſiti ſui cuſtodia, & vitæ æternæ conſequendæ ſpe certos eſſe jubet.

XXI. Nec ad hoc peculiari reuelatione externa opus, ad elidendum incertæ opinationis & ſpei coniecturalis actum, quem Sophiſtæ ſupponunt pro fiducia. Nec enim Paulus fundamentis nititur ſibi peculiaribus, ſed communibus cum aliis, Rom. 8. Adde, revelationem internam fidei ſpecialem eſſe, eiuſque actum ad effectum illum producendum ſufficere, quippe quæ ſine fiducia, ſine pace, ſine gaudio, ſine teſtimonio Spiritus, ſine ſcientia eorum quæ Deus nobis gratificatus, extra luctam tentationum, nec concipi poteſt, nec debet, ad Romanos 5. 1. 2. 1. Johan. 2. 3. 10. Roman. 8. 16.

XXII. Explodimus proinde dogmata omnia heterodoxa *Pontificiorum* & *Nouatorum*, ſiue *certitudinem perſeuerantiæ*, ſiue *certitudinem perſeuerantum* labefactantia, qualia, 1. Perſeuerantiam fidelium non eſſe effectum electionis, ſed conditionem antecedaneam prærequiſitam ad electionem. 2. Eſſe conditionem imperatam tantùm, non datam. 3. Eſſe particularem, incertam, contingentem, adeoque ex electo reprobum, ex filio hoſtem, ex ſalvando damnandum fieri poſſe. 4. Πληροφορίαν fidei & certitudinem ſalutis eſſe vel faſtum vel temeritatem vanam. 5. Salutarem de perſeuerantia doctrinam vel pietati noxiam eſſe, vel carnalem ſecuritatem parere, vel fibulam laxare carni, hoc enim eſt turpi oppoſitorum elencho, media cum fine, finem cum mediis ut adverſa committere. Concludimus potius, Orthodoxam de perſeuerantia Sanct. doctrinam & verum veræ pietatis incẽtivum, & ſolidæ cõſolationis baſin eſſe, doctrinam verò de apoſtaſia ſanctorum, & ἐποχῆ perpetua fidelium, veſtibulũ inferni.

XXIII. Non mirum verò, à Pontificiis ſiue *perſeverantiæ* ſiue *perſeuerantum* certitudinem conuelli, qui ſuam & ſuorum ſalutem non ſolido & immotò, ſed arenoſo, imò ſtramentitio meritorum propriorum & alienorum fundamento ſuperſtructum ex parte ſaltem eunt, quique ficulneis ſuffragiorum, Miſſarum, & indulgentiarum præſidiis ad vitam ſibi nitendum arbitrantur.

XXIV. Quî etiam ſine ἐποχῇ & vacillatione ac anxietate perpetua eſſe poſſit fides implicita, confuſa, generalis, communis homini cum dæmone, quæ & charitate & omni bonorum operum ſodalitio priuari poteſt? qualem homines illi ſibi fabricant. Viderint iidem, qui ἐποχὴν ſuam cum operum ſupererogatoriorum ſtolida perſuaſione conciliare queant? quî cum fiducia ſiue erga propria merita, ſiue erga aliena? quî cum bullarum & indulgentiarum quæſtura? cujus nundinationis abacus facilè euertetur, ubi compertum fuerit, ex mercium illarum comparatione nihil conſcientiis reliquum eſſe præter anxietatem, trepidationem, & τὸ οἰμώζειν. Solida contra Chriſtianorum in vita & morte conconſolatio eſt, *ſe virtute Dei cuſtodiri per fidem ad ſalutem*, 1.Pet.1.5. Hinc Dei glorificatio, fidelium εὐθυμία & praxis veræ pietatis.

DISPVTATIO I.

DE

PERSONA CHRISTI.

Thesis I.

DVo in Sacra Theologia conſiderantur velut *hæmiſphæria*, unum *inferius*, quod *natura* vocatur, ad quod pertinet diſquiſitio operum, quæ Deus operatione communi producit in ambitu *univerſi*: Alterum *ſuperius*, quod *gratia* vocatur, ad quod pertinet diſquiſitio operum, quæ Deus operatione ſingulari producit in ambitu *Eccleſiæ*. Actum hactenus de operibus *prioris generis* · agendum jam de operibus *poſterioris*.

II. Poſſunt verò opera iſta ſpectari vel *antecedenter*, vel *conſequenter*, vel *in decreto*, vel *in executione decreti*. Prior theoria excuſſa fuit in loco de Prædeſtinatione, poſterior excutienda erit in ſequentibus. Opera verò iſta ſpectata in executione decreti conſiderari debent, 1. In *cauſa* per quam & *acquiſita* ſunt Eccleſiæ & *applicata*. 2. In *modo* tum *acquiſitionis*, tum *applicationis*. *Cauſa* iſta denuò dupliciter conſideranda eſt, vel *ſubjectivè*, ratione *perſonæ*, vel *attributivè* ratione *officij* perſonæ iſti demandati, & ab ea tum ſuſcepti tum adminiſtrati. De *perſona* nobis, ex Methodi noſtræ inſtituto, in præſentiarum diſtinctè & ſigillatim agendum.

III. Perſona iſta eſt Chriſtus Redemptor, conſideratus non quà θεὸς ἄσαρκος, ſic enim ſpectatur in loco de S. Trinitate, ſed qua θεὸς ἔνσαρκος, vel φανερωθεὶς ἐν σαρκὶ, *manifeſtatus in carne*, 1.Tim.3.16. prout hîc ſpectari debet. Theoriam de Perſona iſta revocamus, 1. Ad *conſtitutionem ſubjecti*. 2. Ad *conſequentia* iſtius conſtitutionis.

IV. *Conſtitutio ſubjecti* in *genere* conſiſtit in *incarnatione* eiuſdem, in *ſpecie*. 1. In *formatione naturæ* aſſumendæ. 2. In ejuſdem formatæ *aſſumptione*.

V. *Incarnatio* itaque Chriſti Redemptoris eſt myſterium admirandum & ſoli Eccleſiæ notum, de humanæ Chriſti naturæ formatione ex ſubſtantia Virginis Mariæ, ejuſque unione cum diuina ejus natura in eadem perſona, Ioh.1.14. 1.Tim.3.16.

VI. *Partes* incarnationis iſtius conſiderandæ *in ſpecie*, inter quas *prima* eſt *formatio naturæ humanæ* Chriſti, quam expendemus hac diſputatione, 1. Secundùm *cauſas* ſuas. 2. Secundùm ſuas *proprietates*.

VII. *Cauſæ* hujus formationis ſunt vel *externæ* vel *internæ*. *Externa* eſt

tum *efficiens* tum *finalis*. *Efficiens* eſt, vel *communi operatione* interveniens, & eſt tota S. Trinitas,à qua ut opera omnia *ad extra* ſunt, quanvis ſalvo & *modo agendi* & *termino actionis*, ſic & hoc opus eſt Ioh.1.3. 1.Cor.8.6.Gal.4.4. vel interveniens *operatione ſingulari*, & eſt tertia S. Trinitatis perſona, Spiritus nimirum S. cujus obumbratione, ſimilitudine ducta ab animalium quorundam excluſione, formata dicitur, Luc.1.35. Matth.1.18.20. Nec tamen ob id Spiritus S. Patris generantis relationem induit in ordine ad Chriſtum, ut Filium genitum, tum quia illum nec *ex ſubſtantia* ſua, nec *in ea* genuit, tum quia *terminus productus* non eſt ſimilis ſecundùm ſubſtantiam *producentis*, quæ duplex generationis fundantis relationem ejuſmodi conditio eſt. Ut itaque Chriſtus velut ἀμήτωρ ratione naturæ diuinæ, ſic velut ἀπάτωρ ratione humanæ repræſentatur, Hebr. 7. 3. non tantùm *excluſivè* ad homines Ioh.1.13. ſed etiam ad Spiritum Dei.

VIII. *Cauſa finalis* iſtius formationis, eſt vel *immediatè*, conſtitutio perſonæ θεανθρώπου, vel *mediatè*, officii perſonæ conſtitutæ impoſiti executio. Utrumque enim exigebat & Creatoris *ante peccatum* declaratio, Gen.2.17. & *poſt peccatum* denuntiatio, Gen.3.15. & 18.20. & creaturæ peccantis conſolatio, Heb.2.2. & 4.15.

IX. *Cauſa interna* formationis ſunt, 1. *Materialis*. 2. *Formalis*. *Materialis* eſt ſubſtantia matris Chriſti Redemptoris, & ſolius quidem, quæ *genere*, Iſraelitis eſſe debuit, Rom.9.4.5. *tribu*, Iudæa, Gen.49.℣.10. *familia*, Dauidici ſanguinis tradux, 2.Sam.7.12. Lev.30.9. *ſtatu*, virgo, Eſai.7.14. Hinc *antonomaſticè* & ſingulari ratione Meſſias *prædicitur* futurus ſemen mulieris, Gen.3.℣.15. & *dicitur* factus ex muliere, Gal.4.℣.4. Quod non tantùm factum *propter dignitatem* perſonæ, ut extraordinarii muneris adminiſtratio obiretur à perſona extraordinaria, ſed etiam *propter ſanctitatem* ejuſdem originalem æquè ac actualem. Neutra verò Chriſto conſtare potuiſſet, ſi ordinario generationis modo ex carne genitus fuiſſet, Ioh. 3.6.

X. *Cauſa formalis* hujus formationis naturæ humanæ Chriſti ſpectari poteſt, 1. In *derivatione materiæ* ad Chriſti generationem deſtinatæ, in locum ordinarium conceptionis. 2. In ejuſdem *materiæ* deriuatæ ἀφορισμοῦ, & *effigiatione* corporis organici. 3. In *animatione* eiuſdem per animam ex nihilo creatam, eidemque unitam. In quo argumento ut *res* patet, ſic *modus* latet, an id factum ſit per *actionem inſtantaneam* vel *ſimultaneam*, an verò per *ſucceſſivam*. Quanvis autem illam & dignitas formantis, & formati ὑπεροχὴ exigere videantur, probabilior tamen iſta nobis videtur, tum ob geſtationem ſucceſſivam Chriſti *in utero* B. Virginis, Luc. 2. ℣.6. tum ob προκοπὴν & incrementum ſucceſſivum eiuſdem *extra uterum*, Luc. 2.52. tum ob declarationem ὁμοιότητος quam habet nobiſcum, & habere debuit κατὰ πάντα, Heb.2.7. excepto peccato, Heb.4.15.

XI. *Proprietates* naturæ humanæ formatæ ſpectari poſſunt, 1. In *perfectione* eius *phyſica*. 2. In *perfectione* eiuſdem *ethica*. *Perfectio phyſica* naturæ humanæ Chriſti eſt, quæ reſultat tum ex *partium eſſentialium* tum ex

partium

partium integralium eius plena conformatione. Cui non intercedit propriæ ὑποστάσεως carentia, quippe quæ *modi* carentia eſt, non *rei*, & neceſſariò concipienda eſt in ὑφισταμένῳ illo extraordinario. Quum enim illud unum ſit, 1.Timot.2.5. nonniſi unam ὑπόστασιν habere poteſt, & quum ſit ὑφιστάμενον διαφερόντως, utique natura inferior non debuit ſuſtentare ſed ſuſtentari, nec ſuperior potuit ſuſtentari, ſed ſuſtentare tantùm. Debuit itaque natura inferior ἀνυπόστατον eſſe *in ſe*, & ſimul ἐνυπόστατος in perſona τοῦ λόγου. Hinc μορφὴν δούλου deſcribitur nobis ut accepta, ut aſſumpta, Phil. 2. ℣.7. Heb.2.℣.16. ὑφιστάμενον ſubſiſtens ἐν μορφῇ τοῦ θεοῦ contra ut aſſumens, ut accipens. Quam itaque ſuppoſitalitatem non habet *à ſe*, eam habet *ab alio* & *in alio*. Quo ipſo perfectioni eius nihil decedit, ſed accedit potius, *gratia* nimirum *eminentia* quam vocant Scholæ Theologicæ, quâ natura iſta humana Chriſti excedit omnem, etiam Angelicam naturam.

XII. *Perfectio ethica* naturæ humanæ Chriſti eſt, quæ reſultat ex plena ejus ſanctificatione tum ab *inhærentia* peccati, tum ab ejuſdem *adhærentia* vel *imputatione*. Ab *inhærentia* peccati præſeruata fuit, partim per intemperiei, & infirmitatis omnis diſpoſitoriæ ad peccatum, in materia formationi ejuſdem deſtinata & ſecreta latentis, purgationem, partim per animæ plenâ Dei imagine inſtructæ infuſionem. Hinc nec *inchoatiuè* in ipſo peccatum reperiri potuit, nec *completiuè* tum ob lumen accenſum in intellectu Chriſti, tum ob ſanctitatem collatam ejus voluntati ſimul ac affectibus, tum ob intemperiei in maſſa ſanguinis latentis & ſuo tempore ex ſe æſtuaturæ ſecretionem. Nec enim infirmitates vel peculiares *indiuiduis*, ſiue B. Virginis, ſiue Majorum illius in illum traductæ fuêre, ſed infirmitates tantùm *propriæ ſpeciei* & inſeparabiles ab ea, tales tamen quæ non ἀδιάβλητοι eſſent, ſed ἀδιάβλητοι, ſiue ex parte *principiorum*, ſiue ex parte *principiatorum*, ſiue ex parte *modi* & emanationis vel productionis iſtorum ex illis. Hinc Chriſtus & *ſanctus* ille *Dei* vocatur, Marci cap.1. verſ.24. ὁ ἅγιος, & τὸ ἀπνευματικόν, & *ſanctum* quod ex Maria Virgine naſci debuit, Luc.cap.1.℣.25. & non affectus Chriſtum turbaſſe leguntur, ſed ipſe *ſe ipſum*, ut plenum in affectus ſuos habens imperium, Ioh. 11.33. nec *id ratione motus* tantùm *ſpontanei*, verùm etiam *rationalis* & *ordinati*.

XIII. Ab *adhærentia* etiam peccati purgata fuit natura humana Chriſti, ſiue ab *imputatione* ejuſdem, tum quia in Adamo non fuit virtute *primæ benedictionis*, Geneſ.1.℣.28. ſed tantùm virtute *ſecundariæ promiſſionis*, Gen. 3.15. tum quia ex Adamo non fuit ut *ex principio activo* generationis, ſed ut *ex paſſivo* tantùm, tum quia non *generatione naturali* vel ordinaria ab eodem deſcendit, ſed *ſupernaturali* & extraordinaria prorſus, tum quia *perſona* ipſius fuit θεανθρωπικὴ & ὑφιστάμενον diuinum, non humanum, adeoque incapax imputationis *mali moralis*, ut ſibi proprii. Hinc utut Adæ filius, Luc.3.1. Adæ tamen opponitur, Rom.5.12.&c. 1.Cor.15.45. &c.

XIV. Damnamus, 1. *Atheos* & profanos, magnum iſtud pietatis

myſterium vel protervè ridentes vel petulanter cauillis variis vellicantes, & *rationi* potius hærentes quàm *revelationi*. 2. *Paganos* illud ignorantes, adeoque extra ſpem vitæ verſantes. 3. *Iudæos* idem myſterium proſcindentes, & Meſſiam nudum hominem & ordinaria generationis lege prognatum fingentes, vel ex vno Meſsiâ duos ſiue potius ex gemino ejus ſtatu duas fabricantes perſonas. 4. *Ebionitas*, *Cerinthianos*, *Samoſatenianos* ac *Photinianos* veteres, & traducem eorum *Socinianos* ac *Anti-trinitarios* omnes recentes, argutationibus & ratiociniis humanis iſti myſterio incarnationis intercedentes, nec diſtinguentes *res naturæ*, & *res fidei*, *ſphæram rationis* & *revelationis*, *ſcrutanda* & *adoranda*. 5. *Marcionitas* & *Docetas* veteres, imaginarium & phantaſticum Chriſto corpus tribuentes, adeoque imaginariam & phantaſticam mediationem, quam nonniſi imaginaria ſalus excipere poteſt. 6. *Anabaptiſtas* omnes ex eorum genere, qui originem naturæ humanæ Chriſti veram ex ſubſtantia B. Virginis negant & falſam illi affingunt, ſiue *ex verbo*, ſiue ex *materia* quadam *cœleſti* alia. Quo dogmate & fundamentum ſalutis tollitur & noſtræ conſolationis, & vel imputatio peccatorum noſtrorum in ordine ad Chriſtum, vel imputatio juſtitiæ ejus in ordine ad nos evertitur. 7. *Apollinariſtas*, veram Chriſto animam negantes & falſam illi tribuentes, diuinitatem Chriſto pro anima affingendo. 8. *Monophyſitas* ex unitate perſonæ Chriſti in concreto vera, falſam naturæ unitatem in abſtracto inferentes. 9. *Ἀφθαρτο-δοκήτας*, corpus Chriſto omnis paſſionis expers vindicantes. 10. *Pontificios* Franciſcanos & Ieſuitas ad immaculatam Chriſti conceptionem immaculatam B. Virginis conceptionem exigentes, & priuilegium illi proprium communicantes nudæ creaturæ, nec cogitantes illius conceptionem immaculatam eſſe non potuiſſe, cuius actiones omnes immaculatæ non fuêre, Luc. 1.43.44. Ioh. 11.3.4. 11. Eoſdem ut & alios *indirectè* humanæ Chriſti naturæ proprietates euertentes, & Chriſto corpus vel *πολύποτον*, vel *πολυχεύμενον*, adeoque non corpus affingentes. Et hæc de *formatione* humanæ naturæ Chriſti. De eiuſdem formatæ *aſſumptione*, & *unione* cum λόγῳ agetur Diſputatione ſequente, faciente Deo.

DISPVTATIO II.

DE

PERSONA CHRISTI.

Thesis I.

Actum fuit retrò Diſputatione ſuperiore de una incarnationis Chriſti parte, de *formatione* nimirum naturæ *aſſumendæ*, agendum jam de ejuſdem *formatæ aſſumptione*. Quæ diſtinctio non ideò à nobis adhibetur, quaſi cenſeamus naturam formatam unquam ſubſtitiſſe extra λόγον, & ſine λόγῳ, aliâs enim perſonam aſſumpſiſſet Chriſtus, non naturam, nec Beata virgo Θεοτόκος vocari potuiſſet, ſed eo duntaxat fine, ut qui actus in ſe diſtincti ſunt, diſtinctè pro noſtro intelligendi modulo concipiantur.

II. *Aſſumptionis* naturæ iſtius *formatæ* expendi debent. I. *Deſcriptio*. II. *Cauſæ*. III. *Effecta*.

III. *Deſcriptio* eſt, aſſumptionem iſtam eſſe actum œconomicum Filij Dei, quo naturam humanam ex virgine Maria ſingulari Spiritus Sancti operatione formatam cum proprietatibus ſuis naturalibus, excepto peccato, in unitatem ſuæ perſonæ, ſine ulla naturarum vel conuerſione vel confuſione, in perpetuum aſſumpſit, ut ſecundùm utramque naturam munus Mediationis inter Deum & homines perficeret.

IV. *Cauſæ* iſtius aſſumptionis ſpectari poſſunt, vel *externæ* vel *internæ*: Illa *efficiens* & *finalis*: iſta *materialis* & *formalis*.

V. *Cauſa efficiens* iſtius aſſumptionis quoad *unitionem* naturæ aſſumptæ cum perſona aſſumente *communiter* ſunt omnes S. Trinitatis perſonæ conjunctim, quum illa *opus* ſit *ad extra*, adeoque commune eſſe debeat tribus perſonis, ſalvo & *modo agendi* & *termino*. Hinc Pater dicitur aptaſſe corpus Filio, Pſ.40.7. & Hebr.10.5. & Spiritus Sanctus Luc.1.35. Cauſa verò efficiens iſtius aſſumptionis quoad *unionem* naturæ aſſumptæ *ſingulariter* eſt filius Dei, in cuius quippe perſona ſola terminum accepit iſta unio, ut qui ſolus accepit formam ſervi, Phil.11.7. particeps eſt factus carnis & ſanguinis, & aſſumpſit ſemen Abrahæ, Heb.11.16. dum naturam humanam in ſe ἀνυπόστατον ἐνυπόστατον reddidit in ſua perſona. Hinc incarnatio in Scholis adſcribitur omnibus S. Trinitatis perſonis *inchoativè*, *terminativè* verò ſoli perſonæ ſecundæ S. Trinitatis.

VI. *Cauſa finalis* iſtius aſſumptionis κατ᾽ ἄρσιν, non fuit complementum perſonæ τοῦ λόγου, filij Dei quà talis *reduplicativè*, ut qui perfectiſſimum fuit ὑφεστάμενον ab æterno, ſed κατὰ θέσιν, complementum perſonæ filii Dei quà θεανθρώπου vel Mediatoris *ſpecificativè*. Nec id factum ad *perfectionis* alicuius *acquiſitionem* reſpectu Filij Dei, ſed ad *perfectionis communicationem* reſpectu noſtri, ut unio duarum naturarum in eadem perſona, communionem nobis pararet & gratiæ Dei hac in vita & gloriæ in futura, Epheſ. 11.14. Johan. 1.3. &c.

VII. *Cauſa materialis* aſſumptionis ſpectari poteſt tum reſpectu *ſubjecti aſſumentis*, tum reſpectu *naturæ aſſumptæ*. Illud non eſt natura divina, ſed perſona τοῦ λόγου. Etſi enim idem *cauſæ efficientis* notionem ſuſtinet, quà ſibi uniuit naturam humanam, ſic ſuſtinet etiam κατ᾽ ἄλλο notionem *materiæ in qua*, vel *ſubjecti*, *quamvis* utrumque ἀπεριλόγιστος, in quo facta eſt iſta unio. Nec enim ea eſt *primò* & *immediatè* naturarum, ſed perſonæ diuinæ aſſumentis cum natura humana aſſumpta, quam *mediatè*, quoad *momenta naturæ*, excipit unio naturarum inter ſe. Hinc Apoſtolus docet, illum qui erat ὑπάρχων ἐν μορφῇ τοῦ Θεοῦ aſſumpſiſſe μορφὴν δούλου, Phil. 11.6.2.

VIII. *Cauſa formalis* vel *forma* iſtius aſſumptionis κατ᾽ ἄρσιν, non fuit conjunctio κατὰ παράστασιν *ſecundùm aßiſtentiam* aliquam externam, nec conjunctio κατὰ χάριν *ſecundùm gratiam*, qualis eſt in ſanctis unitis Chriſto, nec conjunctio καθ᾽ ἁρμονίαν vel συμβουλίαν *ſecundùm conſenſum* vel *conformitatem voluntatis*, qualis eſt in Angelis & beatis, quorum voluntas conformis ſemper eſt voluntati diuinæ, nec per σύγχυσιν, vel *confuſionem* naturarum in perſona ad conſtitutionem alicuius tertij, nec per τροπὴν vel *converſionem* naturæ in naturam, nec per διαίρεσιν vel *diviſionem* naturarum in totidem perſonas, nec per οἰκονομίαν χωριστὴν κατὰ καιρὸν, per *œconomiam temporariam* ſeparationis capacem. Nec conjunctio iſta *tranſitivè* conſiſtit vel in transfuſione hypoſtaſeos diuinæ in carnem Chriſti, vel in effectione alius numero hypoſtaſeos in carne. Nec conſiſtit in *communicatione idiomatum* diuinorum aliorum cum natura aſſumpta *in abſtracto* quippe quæ eorum nec ſubjectum ὑπάρξεως eſſe poteſt vel *inhærentiæ*, nec κατηγορίας vel *prædicationis*.

IX. *Forma* verò iſtius conjunctionis κατὰ θέσιν conſiſtit in aſſumptione naturæ ἀνυποστάτου, propria perſonalitate carentis, in unitatem ὑποστάσεως filii Dei, ut eſſet in ea ἐνυπόστατος, & perſona illa aſſumens eſſet velut commune ſuppoſitum utriuſque naturæ. Vnde *unio* illa vocatur *perſonalis* tum ratione *formæ*, tum ratione *termini*, ut quæ & in perſona filij Dei fit, & ad eandem terminatur, Philipp. 2.7. Johann. 1.14. Hebr. 2.16. Quod myſterium adorari debet, ſugillari protervis argutationibus non debet.

X. *Effecta* iſtius aſſumptionis vel ſpectantur ratione *perſonæ aſſumentis*, vel ratione *naturæ aſſumptæ*.

XI. Ratione *perſonæ aſſumentis*, aſſumptionis iſtius *effecta* ſunt vel *prima*, vel *orta*. *Prioris ordinis* ſunt, I. Convenientia, vel *communio realis idiomatum*, vel proprietatum naturæ utriuſque in perſona. II. *Communio realis*

unius

arius ejuſdemque *officii*. Orta ſunt, quæ *conſequentia* potius quàm *effecta*. 1. *Communio honoris* vel cultus debiti perſonæ, tum *abſolutè*, ratione ἀξίας vel dignitatis propriæ, tum *relatè*, ratione *dignitatis muneris* & adminiſtrationis ejuſdem. 11. Convenientia vel *communio verbalis nominum*, vel attributio communis ſive proprietatum, ſive officii.

XII. Ad convenientiam vel *communionem realem idiomatum* vel proprietatum, quod attinet, conſiſtit illa in eo, quod utriuſque naturæ divinæ & humanæ proprietates verè & realiter conveniunt non naturis *in abſtracto*, ut proprietates naturæ divinæ communicentur humanæ, vel proprietates humanæ naturæ communicentur divinæ, ſed *in concreto*, quod utræque communes ſint toti ſuppoſito vel perſonæ θεανδρικῇ.

XIII. Communicationem *in abſtracto* nec natura idiomatum divinorum, nec naturæ humanæ finitas, nec ejuſdem infirmitas ferre poteſt, nec eam naturarum unio in perſona exigit. Immò ut excludit κοινωνίαν τῆς μεταδόσεως & κοινωνίαν κατ' ἀντιπεριχώρησιν *transitivam*, & κοινωνίαν τῆς σύγχυσεως *intranſitivam*, ſic excludit etiam κοινωνίαν, quæ vocatur à quibuſdam τῆς συνδυάσεως vel ἕνωσιν, relatam ad naturas in *abſtracto*, non tantùm conſideratam πρώτως vel κατὰ ταὐτὸ vel κατ' αὐτὸ, ſed etiam conſideratam δευτέρως, κατ' ἄλληλα κατ' ἄλλο. Nec ullæ diſtinctinctiones dari poſſunt, quæ talem Idiomatum communicationem ſalvent, quin vel proprietates naturæ divinæ deſinant eſſe tales, & incommunicabile fiat communicabile, vel natura humana exæquetur divinæ, vel proprietates naturæ humanæ ſint tribuendæ vice verſa naturæ divinæ, propter eam, quæ inter utramque intercedit ἕνωσιν, quippe quæ utrinque vera eſt & realis.

XIV. Communicationem verò Idiomatum *in concreto* exigit vera iſta & realis utriuſque naturæ in eadem perſona unio, unde propria, vel verè vel *analogice* ſic dictarum partium non poſſunt non communia eſſe toti ſuppoſito, quamvis ſibi invicem non magis ſint communia, quàm proprietates animæ & corporis. Hinc quamvis id quod partis eſt, totius eſſe dicatur, haudquaquam tamen dicitur eſſe partis alterius. Illam etiam phraſis Scripturæ docet, iſtam non item. Illa de perſona *in concreto* enunciat quæ ſunt utriuſque, haudquaquam verò de natura una quod eſt naturæ alterius.

XV. *Communio realis* ejuſdem *officii* eſt, quod Chriſtus ſecundùm utramque naturam Mediator eſt inter Deum & homines, 1. Timoth. 11. 5. quamvis ἄμφω καὶ ἄμφω. Vnde ἀποτελέσματα officii ſunt θεανδρικά, quæ perſona operatur ſecundùm utramque naturam, una natura agente cum communione alterius, *ſalvis* tamen & ſingularum naturarum *proprietatibus*, ac *modo* & *ordine* agendi. Vtut itaq; ὁ ἐνεργῶν unus ſit vel *principium quod* agit unum, perſona nimirum θεανδρικὴ vel θεὸς ἐνανθρωπήσας, vel θεάνθρωπος, & unum ἀποτέλεσμα vel ἐργον, ſive *opus* productum, duplex tamen eſt principium ἐνεργητικὸν vel *principium quo* agit, duplex etiam ἐνέργεια, vel *operatio*.

XVI. *Communio honoris* vel cultus debiti perſonæ eſt, quod toti perſonæ ex utraque natura conſtanti honor debetur & cultus nulli creaturæ

competens, ut quæ perſona ὁμοτιμον diuinum eſt, & verè objectum cultus religioſi, Heb.1.6. Nec cultus ille terminatur *ad naturam*, minus ad naturam humanam *in abſtracto*, ſed *ad perſonam in concreto* & diſtinguendum *ſuppoſitum* quod colitur; *cauſa* propter quam colitur, & id *ſine quo non* colitur.

XVII. *Communio verbalis* nominum eſt, attributio communis vel proprietatum naturis ſingulis competentium, vel ἀποτελεσμάτων officii in ordine ad perſonam modò ab hac modò ab alia natura denominatam. Vocari ſolet à Patribus Græcis ἀντίδοσις, τρόπος ἀντιδόσεως, & ſimpliciter ἀντίδοσις, à Latinis ſcriptoribus, *communicatio Idiomatum*, ab utriſque *Synecdoche* eaque conſiderata vel *in ſubjecto* vel *in prædicato*. Hinc diſtingui poteſt in *propriam* & *impropriam*.

XVIII. *Propria* attributio itidem *duplex* eſt: *una*, quæ concernit attributionem proprietatum naturis ſingulis competentium: *Altera* quæ concernit attributionem ἀποτελεσμάτων officii Chriſti. *Illa* eſt, quando vel de Chriſto à diuina natura denominato enuntiantur proprietates diuinæ, ut 1.Ioh.5.20. vel de Chriſto denominato à natura humana enuntiantur proprietates humanæ, ut Iohan.3.13. *Iſta* eſt, quando de Chriſto nomine communi utramque naturam deſignante denominato enuntiantur ἀποτελέσματα officii illi ſecundùm utramque naturam convenientia, ut Eph. 1.20. 1.Ioh.2.1.

XIX. *Improprij* attributionis modi varii dantur. 1. Quando de perſona denominata ab una natura enuntiantur propria alterius naturæ ad demonſtrandam perſonæ unitatem vel identitatem, ut 1.Cor.2.8.Gal.4.1. Vbi ſubintelligenda reſtrictio implicita, expreſſa locis aliis, ut Rom.1.3. & 9.5. 2.Cor.13.4. 1.Pet.3.18. 2. Quando de perſona denominata ab utraque natura enuntiantur proprietates alterius naturæ, ut Matt.16.16. Rom.8.33. 3. Quando de perſona denominata ab una natura enuntiatur ἀποτέλεσμα utriuſque naturæ, ut Rom.5.19. Act.20.28. Hûc referri poteſt impropria prædicatio ἀποτελέσματος ab utraque natura procedentis de ſanguine Chriſti, 1.Ioh.1.17. quæ intelligenda *interpretativè* de ſuppoſito ſanguinem fundente.

XX. Ratione *naturæ aſſumptæ* aſſumptionis iſtius *effectum* in *genere* eſt gratia iſti naturæ collata, *in ſpecie* gratia vel *adhærens* quæ dicitur *eminentia*, vel *inhærens*; quæ ſpectatur in *donis habitualibus* Chriſto conceſſis:

XXI. *Gratia inhærens* vel *eminentia* eſt, exaltatio naturæ humanæ, & conſequens exaltationem iſtam dignitas illi peculiaris, orta ex aſſumptione eius in ὑπόστασιν Filii Dei, & conſequente eius unione cum natura diuina in eadem perſona, cum qua dignitate nulla ὑπεροχὴ vel angelica etiam conferri, nec illi ἐξίσωσις ulla, vel aſſumptio in gratiam æquiparari poteſt.

XXII. *Gratia inhærens* ſpectatur in *donis habitualibus* vel in *habitibus perfectivis* collatis naturæ humanæ Chriſti per aſſumptionem illam, & ejus virtute, & *ſubjectivè* in ea hærentibus. Quorum aliqui perficiunt *principium directivum*, ut ſapientia & ſcientia, alii *imperativum*, ut ſanctitas, alii *executivum*, ut potentia.

XXIII. Diſtinguendæ verò perfectiones illæ. 1. *A proprietatibus* naturæ divinæ, quippe quæ & incommunicabiles ſunt, & quarum capax natura humana eſſe non poteſt. 11. Ab *habitibus* vel *concreatis* Angelorum bonorum, vel *infuſis* hominum, ſuper quos eminent, 1. *Perfectione & partium & graduum*, Eſa.11.1.2. Iohan.3.34.35. Hebr.1.9. cui non intercedit αὔξησις illa gradualis de qua ſermo Luc.11.40.52. 2. *Immunitate* ab omni *infirmitate culpabili*.

XXIV. Damnamus. 1. *Atheos & profanos*, myſterii iſtius quod in aſſumptione & unione naturæ humanæ cum perſona τοῦ λόγου conſiſtit, irriſores. 2. *Iudæos*, duarum in Meſſia, adeoque in Servatore noſtro, naturarum unionem, & perſonam ejus θεανθρωπικὴν negantes. 3. *Arianos*, fingentes λόγον ante ſecula factum & loco animæ corpori infuſum. 4. *Samoſatenianos* & *Photinianos* priſcos & recentes ψιλὸν etiam ἄνθρωπον, ſed θεοφόρον, ex Meſſia facientes, & unionem perſonalem naturarum in Chriſto procaciter inſectantes. 5. *Marcionitas* veteres & *Docetas* hodiernos naturam aſſumptam transformantes in ſpectrum, & aſſumptionem ejus veram negantes. 6. *Sabellianos*, diſtinctionem perſonarum tollentes, & pro ea diverſos patefactionis modos ſubſtituentes; immò pro incarnatione nudam patefactionem Dei introducentes. 7. *Apollinariſtas*, naturam divinam pro anima Chriſto unitam comminiſcentes. 8. *Neſtorianos*, unionem perſonalem transformantes in unionem perſonarum, & ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν mutantes in ἕνωσιν κατὰ παράστασιν, κατὰ σχέσιν vel κατ' ἀξίαν vel καθ' [illegible]. 9. *Eutychianos* & *Monophyſitas*, ex unione perſonali facta [illegible] fabricantes jam olim ἕνωσιν κατὰ φυρμὸν καὶ σύγχυσιν ἢ σύγκρασιν, καὶ ἀνάκρασιν, ut loquitur *Damaſcenus* Orth.fid.l.111.cap.3. & ſtatuentes Chriſtum. *ex duabus* quidem naturis eſſe, ſed non *in duabus* ſubſiſtere, utramque verò coiiſſe in naturam tertiam. Quam hæreſin meritò Patres Concilii Chalcedonenſis exploſêre, & ſtatuêre unionem iſtam factam ἀτρέπτως καὶ ἀναλλοιώτως. 11. *Monotheletas*, Eutychianæ hereſeos interpolatores, qui negabant quidem confuſionem vel commiſtionem duarum in Chriſto naturarum verbis, reipſa tamen eandem hæreſin recoquebant, docendo, duarum naturarum voluntates & facultates operandi coiiſſe in unam, adeoque reipſa poſtliminiò reducendo Eutychetis dogmata. Et optimè iis oppoſitum à *Damaſceno* ὧν ἡ θέλησις καὶ ἡ ἐνέργεια ἡ αὐτὴ, τούτων δὲ ἡ οὐσία αὐτή. 12. Eos qui unionis vel *formam* vel *effectum* aut *conſequens* in communicatione proprietatum divinarum in ordine ad naturam humanam conſtituunt, adeoque conſequenter eam τεθεῶσθαι reipſa cenſent, & talem communicationem in ſubjectis συνδυασμένοις neceſſariò dari volunt ob eorum συνδύασιν. Qui etiam *verbalem* tantùm *Idiomatum communicationem* à nobis doceri, & Neſtorianiſmum interpolari ſine ulla cauſa ſatagunt. 13. Illos, qui vel argutationibus humanis hoc myſterium ex Sola Scriptura definiendum & adorandum vellicant, vel exempla conjunctionis ſingularis & extraordinariæ in natura quærunt.

DISPVTATIO
DE
OFFICIO CHRISTI
& duplici eius Statu.

THESIS I.

DISPVTATIONEM de *Perſona* Mediatoris excipit Diſputatio de ejuſdem *Officio* & *Statu* gemino.

II. Eſt verò *officium* Chriſti, Mediatio inter Deum & homines peccatores Deo reconciliandos Chriſto commiſſa, & ab eodem voluntariè ſuſcepta, ac perfectè, ſecundùm utramque naturam ſuam, ad Dei gloriam & Eccleſiæ ſuæ ſalutem adminiſtrata, Joh.5.36.37.& 10.18.& 19.30.Hebr.10.5.7.Phil.2.7.8.Heb.9.14.

III. *Cauſa efficiens*, 1. *Inſtitutionis* iſtius muneris, 2. *Approbationis*, 3. *Deſtinationis* Chriſti ad illud, ſunt tres perſonæ S.Trinitatis. Quod miſſione Patris, Joh.5.36.37. Voluntaria Chriſti præſentatione, Hebr.10.7.& unctione Spiritus S. Luc.4.18. expreſſum. *Executionis* verò *Cauſa efficiens*, eſt ſecunda perſona, tum incarnanda, tum incarnata, Hebr.13.8. Eſa.61.1.& 63.3. Actor.20.28. 1.Tim.2.5. in qua ſola munus iſtud *terminum* habet, quippe quæ naturarum communione parti offenſæ & offendenti conjuncta, perſonæ tamen & officii œconomia ab utraque diſtincta eſt, adeoque media, & mediationis *activæ* capax.

IV. *Subjectum* itaque vel *principium quod* muneris mediatorii, eſt *totus Chriſtus*, *principium* quo id exequitur, eſt, *totum Chriſti*, non *divina* tantùm ejus *natura*, ut *Oſiander*; nec humana duntaxat, ut *Pontificii* volunt. Vt enim *ſuppoſitum*, à quo actiones θεανδρικαὶ, unum eſt, & unus ὁ ἐνεργῶν, unumque ἐνέργημα vel ἀποτέλεσμα: ſic duplex ejus *principium formale* ἐνεργητικὸν, ut & ἐνέργεια utriuſque gemina, utraque natura, quod ſuum erat, exequente, idque ἡνωμένως μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας.

V. Nec ex eo ſequitur 1. ὁμοουσία Filii Dei cum Patre & Spiritu S. labefactari. 2. Majeſtati Chriſti intercedi. 3. Hoc munus S.Trinitati cōmune reddi. 4. Eidem offenſi, offendentis, & utrumq; conciliantis notiones contradictorias adſcribi. 5. Iſtam œconomiam in merum *ſchema* converti, alienum à perfectione munus iſtud tū inſtituētis, tum exequentis.

VI.

VI. *Objectum*, cujus bono officium iſtud deſtinatum, ſunt homines peccatores Deo reconciliandi, quod docent muneris iſtius ſuſcipiendi & cauſſa, & natura, & finis, & perſonæ id exequentis conditio, 1.Tim.2. 5.6. Hebr.2.14. &c. Sub *objecto* itaque iſto nec homines reprobi ſunt, nec Angeli, ſive integri, ſive lapſi, Hebr.2.16. etſi Chriſtus iſtorum *Dominus*, illorum etiam *caput* ſit, Hebr.1.2.6.

VII. *Forma* huius officii conſiſtit in actibus omnibus offendenti cum offenſo, reconciliando, beneficioque iſti *patefaciendo, promerendo, applicando,* & *conſervando* neceſſariis. *Finis principalis* eſt offenſi gloria, ex admirabili juſtitiæ miſericordiæque temperamento reſultans: *ſubalternus*, offendentis ſalus, Rom.3.24. &c. Matth.1.21.

VIII. Dividi ſolet officium iſtud in *Propheticum*, *Sacerdotale*, & *Regium*, *diviſione* tum *legitima*, ob convenientem partium diſtinctionem, tum *adæquata*. ob convenientem earum latitudinem, quum exhauriant naturam diviſi & neceſſarios ad meditationem actus, 1.Cor.1.30.

IX. *Officium Propheticum* abſolvunt, 1. *Actus externus, veritatis Evangelicæ* plena patefactio, *Legalis* aſſertio, Matth.5. 12.15. capp. 2. *Actus internus*, Filiorum Dei ad utramque veritatem ſalutariter percipiendam illuminatio, Luc.24.45. Hinc Chriſtus *κατ' ἀντονομασίαν* Propheta vocatur, Act. 3.22.23. *Operator* quippe & *externus* & *internus*, & ſapientiæ tum *Doctor* tum *Auctor*, 1.Cor.1.30. 2.Cor.3.5.

X. *Cauſa efficientis* notionem, in muneris iſtius *inſtitutione* & *approbatione* tota S. Trinitas, in ejus *executione plenaria*, Chriſtus *διὰ παντὸς* ſuſtinet, cujus diſpenſatio alia ſub V. fuit, alia ſub N. Teſt. eſt, ſubſtantia doctrinæ ejuſdem ſemper ſalva. Sic executio ejus alia *immediata* fuit, alia *mediata*, partim per extraordinarios, partim per ordinarios Doctores, Matth.28. 29.30. Eph.4.11.&c.

XI. *Objectum*, cujus bono munus illud inſtitutum fuit, & adminiſtratum, eſt Eccleſia, ex Iſraele à Chriſto *immediatè* collecta, Rom.15.8. ex gentibus *mediatè*, Eph.4.11. &c. *Materia*, in qua tradenda vindicandaque occupatur, eſt veritas & *Evangelica* ad fidem, & *Legalis* ad vitam ſanctè traducendam neceſſaria.

XII. *Forma* muneris iſtius conſiſtit, I. In *Expoſitione* plenaria *doctrinæ Evangelicæ*, umbris typiſque legalibus retrò involutæ. II. In *aſſertione Legalis & à Novorum præceptorum* ei aſſutorum laciniis, *& à præceptorum Veterum* corruptelis, Matth.5.12.15. capp. III. In veritatis utriuſque *impreſſione interna*, Joh.5.25. *Finis* eſt, partim munus id *conſtituentis ac exequentis* gloria, partim illorum quorum bono id factum, ſalus Effectus ſunt *lumen* partim *convincens*, partim *convertens*.

XIII. *Officium ſacerdotale* conſiſtit, I. in *Acquiſitione* & remiſſionis peccatorum, & juris ad vitam æternam per *ἱλασμὸν* Chriſti in terris. II. in *Applicatione* beneficii utriuſque per *ἐμφανισμὸν* ejuſdem in cœlis.

XIV. *Cauſa* ejus *efficiens*, eadem quæ muneris Prophetici. *Objectum*, ſalvandi ſoli, quorum *loco* tantùm Chriſtus ſe vadem ſtitit, Johan.10.15.

Ll 3

Rom.8.33.34. *Materia* ſunt, actiones & paſſiones Chriſti ſacerdotis. *Forma*, actus tum ἱλασμοῦ, tum ἐμφανισμοῦ, Matth.20.28. Roman.5.10. 2.Cor.5.15. *Priore* continetur & *mandati* & *comminationis* ei annexæ perfecta præſtatio, adeoque obſequium *Legi* & *generali* & *ſpeciali* exhibitum, Rom.5.19. Hebr. 7.26.27. Matth.20.28. Eph.5.2. Gal.3.13. 1.Johan.2.2. *Poſteriore* intelligitur tum *præſentatio* obedientiæ Mediatoris, *noſtro loco* præſtitæ, tum ex ea *impetratio* & *juſtificantis gratiæ* & *ſanctificantis*, Hebr.7.25. & 9.24. Rom.8.21. 1.Joh. 2.1. Joh.11.42. Hinc Levitici præ Chriſti ſacerdotio imperfectio ex *exigua* ejus tum *efficacia* tum *duratione* notatur, Hebr.7.23. & 10.4.11. & Melchiſedeciano ob Sacerdotis & ſacerdotii iſtius dignitatem potius reſpondere cenſetur, Pſ.110.4. Hebr.7.

XV. *Finis officii* iſtius, eſt illius *cui ſatisfit* gloria, & illius *pro quo ſatisfit* ſalus; prior manifeſtatur, non acquiritur, poſterior & acquiritur, & manifeſtatur. *Effectus* ejus ſunt perfecta hominis peccatoris cum Deo reconciliatio, 2.Corint.5.19. & ejus à peccati reatu ac ἀταξίᾳ liberatio per gratiæ tum juſtificantis, tum ſanctificantis acquiſitionem & applicationem, quamvis certis gradibus diſpenſatam.

XVI. *Regium officium* conſiſtit in Eccleſiæ *gubernatione* ſalutari per ſapientiam, & *protectione* gratioſa per potentiam ejus, Pſ.2.6. Jer.23.5.6. Act.2. 3. *Cauſa* ejus *efficiens* eadem quæ reliquorum. *Objectum*, cujus bono munus iſtud exercetur, eſt Dei populus; Nec ejus hoſtes vel gubernationi vel protectioni Dei gratioſæ, ſed coercitioni tantùm ſubſunt, adeoque qui *objectum* non ſunt *gratioſi* Chriſti *dominii*, ſunt tamen *ſeveri* & *abſoluti*, Pſalm. 2. 8.9.

XVII. *Formam* Regii muneris abſolvunt duo actus: quorum *prior*, 1. *Externus* eſt, *gubernatio* Eccleſiæ per verbum ſive *legale*, propter officium, ſive *Euangelicum*, propter ſolatium ejus, Marc.1.15. 2. *Internus*, gubernatio ejus per Spiritum, quâ Chriſtus quod *præſcripſit* & *inſcripſit* ſuis obſequium, conſtanter operatur. *Poſterior* actus eſt Eccleſiæ protectio ab hoſtibus internis & externis, & tum potens illius in gratia acquiſita & applicata conſervatio, tum perfecta ejus ἀπολύτρωσις, 1.Cor.1.30.

XVIII. *Exercitium* officii Mediatorii *inchoatum* fuit ante Chriſti ἐνσάρκωσιν, ſecundùm aliquos actus, *conſummatum* ſecundùm omnes poſt eam, idque in *gemino ſtatu*; *Exinanitionis* uno, *Exaltationis* altero.

XIX. *Statum Exinanitionis* Chriſti definimus, 1. *Aſſumptione* formæ ſervi. 2. *Aſſumentis* obedientia, Philip.2.7.8. quam quoad paſſiones referimus, 1. Ad προπάθειαν, mortem præcedentem. 2. Ad mortem ipſam. 3. Ad conſequentia mortis.

XX. Προπάθεια ſunt, omnes Chriſti paſſiones uſque ad mortis ἀγωνίαν. 2. *Mors*, & paſſiones tum antecedentes, tum conjunctæ, & divortium animæ & corporis quando κατάρα Chriſtus *noſtro loco* factus, Eſa.53. 4.5.6. Gal.3.13. Quæ mors nec *apparens*, nec *exemplaris* tantùm, nec ἀϊδίως, nec Chriſto inſcio vel invito inflicta, nec unionis perſonalis deſtructiva, nec in externis tantùm paſſionibus poſita fuit. *Circumſtantiæ* verò ejus, patien-

tientis dignitatem, paſſionum gravitatem, & prædictionum *verbalium* in *oraculis, realium in typis* complementum notant.

XXI. *Conſequentia* mortis ſunt *Sepultura*, & *Deſcenſus ad inferos*, quæ à quibuſdam confuſa, ab aliis diſtincta. Utut verò deſcenſus iſte in *Symb. Niceno* prætermiſſus, in *Athanaſiano* pro ſepultura poſitus fuerit, commodè tamen diſtingui, & ad graviſſima illa πάθη, quæ Chriſtus cum ira Dei colluctans ante mortem, & in ea, anima ſua paſſus eſt, referri poteſt, quò integra Chriſti paſſio, *externa* & *interna, animæ* & *corporis* in Symb. Apoſt. deſignetur. Vnde nec localem Chriſti ad inferos vel limbos deſcenſum, nec triumphum ejus in inferno hic admittimus. Nec eo ipſo ullam tamen deſperationem Chriſto adſcriptum imus.

XXII. *Statum exaltationis* Chriſti diſtinguimus in *inchoamentum & complementum. Inchoamentum* conſiſtit, 1. In *Reſurrectione* Chriſti, ſua etiam virtute ſuſcitati. 2. In *Aſcenſione* ejus in Cœlum quam nec diſparitione quadam, nec corporis Chriſti in ſpiritum μεταβολῇ, ſed vero motu locali definimus.

XXIII. *Complementum* ejus eſt in ſeſſione ejus ad dextram Patris, qua nec poſitura localis, nec naturæ humanæ cum divina exæquatio, nec ejuſdem πανταχουσία vel [illegible] infertur, ſed ſumma Chriſti exaltati *dignitas* & glorioſum ejus *exercitium*, Pſ. 110. 1. Matth. 22. 44.

DISPVTATIO
DE
STATV EXINANITIONIS *Chriſti.*

Theſis I.

QUEMADMODUM *triplex* Chriſti *officium*, ſic duplex perſonæ illius *ſtatus*, officii iſtius adminiſtrationi ſecundùm omnes ſuas partes accommodatus expendi debet. De Officio retrò actum, agendum jam de *ſtatu*. Eſt vero is duplex, *exinanitionis* unus, *exaltationis* alter. De illo nobis in præſens, ex Methodi noſtræ inſtituto, diſpiciendum.

II. Intelligitur verò per *ſtatum exinanitionis*, I. *In genere*, integra illa Chriſti θεανθρώπου in terris conditio, qua ſe ſecundùm utramque naturam demiſit, quamvis ἄλλως καὶ ἄλλως, ſecundùm *divinam*, partim per voluntariam ejus cum carne infirmitatibus & miſeriis obnoxia in terris conjunctionem, partim per voluntariam gloriæ ſuę in carne infirma occultationem; ſecundùm *humanam*, partim per *intrinſecam* infirmitatum variarum, quamvis ἀναμαρτήτων, aſſumptionem, partim per *extrinſecam* miſeriarum variarum tolerantiam. II. *In ſpecie* ſpectari poteſt. I. Vel *pars*, vel τὸ ἡγούμενον quoddam exinanitionis, prout diverſimodè ſumitur. II. *Gradus* ſubſequentes. *Prius* eſt, naturæ infirmæ aſſumptio. *Gradus* verò ſunt, 1. Vitæ humilis in natura aſſumpta tranſactio. 2. Vitæ ærumnoſæ inter paſſiones varias tolerantia antecedens, ejuſque per mortem ignominioſam & violentam, depoſitio conſequens. 3. Corporis in ſepulturam conjectio & triduanus in ſepulchro ſtatus.

III. Naturæ infirmæ aſſumptionem conſtituimus exinanitionis Chriſti θεανθρώπου vel partem, vel τὸ ἡγούμενον quoddam, pertinens ad conſtitutionem perſonæ Mediatoris cum Apoſtolo, docente Chriſtum ſe exinaniviſſe, forma ſervi aſſumpta, Philip. 2. verſu 7. Nec enim exigua fuit συγκαταβάσεως glorioſam τοῦ λόγου perſonam, quæ erat in forma Dei, & par Deo Patri, voluiſſe conjungi cum Carne, contemptui & infirmitatibus obnoxia, quæ deſignatur per μορφὴν δούλου, per *formam ſervi*, talemque in hypoſtaſεως ſuæ communionem aſſumere, & in ea in terris inter ærumnas varias verſari, ſpectarique. Quæ quidem Oeco-

Oeconomia admiranda commendatur, ut *magnum pietatis myſterium*, quod *Deus* fuerit *manifeſtatus in carne*, 1.Tim.3.16. Haudquaquam verò fuit conjuncta cum *depoſitione* formæ Dei, ſed tantùm cum eius *occultatione* nec cum *mutatione* illius quod habebat, ſed cum *aſſumptione* illius quod non habebat, eiuſque non *perfectivi* τῶ λόγου incarnati, ſed perfectiui illorum, quorum bono incarnari voluit, nec ordinati, ad complementum perſonæ τῶ λόγου, ſed ad complementum & perſonæ Mediatoris, & officii ab eo adminiſtrandi.

IV. *Gradum primum* exinanitionis τῶ λόγου iam incarnati ſtatuimus, 1. *Vita humilis* in natura infirma aſſumpta tranſactionem, quæ ſpectari poteſt partim in *ætate infantili* Chriſti, & infirmitatibus cum ea conjunctis, partim in ſubſequente *pueritia* & *adoleſcentia*, eiuſque imbecillitatibus, ſed ἀπαραλλάκτως, ut qui nobis per omnia ſimilis eſſe debuit, ſed excepto peccato, Hebr.2.17.18. partim in *virilitate* exacta, in conditione ſimili ſine pompa ac ſplendore mundano, Eſai. 53.3. Unde & ex *trunco* non Dauidis, ſed *Iſai*, h. e. familiæ regiæ quidem, ad priuatum tamen ſtatum denuò redactæ, & ex *radicibus ejus*, velut denudatæ omni ramorum & frondium apparatu prodire voluit, & ex Virgine paupere, Luc.2. ℣.24. naſci, & maximam vitæ partem non inter illos exigere, qui erant ἐν ὑπεροχῇ, ſed ἰδιωτεύοντες, nec habere ubi caput reclinet Matth.8.20. & ex alieno vitam velut precariam trahere, Luc.8.℣.3. Quæ omnia utique ad Chriſti incarnati ταπείνωσιν pertinent, & ab eo ſapientiſſimo conſilio ſuſcepta. I. Ad διδασκαλίαν, de natura regni ſui. II. Ad παιδείαν, quo ad ea, quæ in ipſo ſpectanda & quærenda. III. Ad ἐπανόρθωσιν faſtus & typhi ſeculi. IV. Ad παρηγορίαν pauperum & inferioris ſortis hominum. V. Ad ἔλεγχον Judæorum, terrenum & regnum & apparatum à Meſſia exſpectantium.

V. *Gradum ſecundum* exinanitionis τῶ λόγου ſtatuimus, *vitæ ærumnoſæ* inter paſſiones varias tolerantiam *antecedentem*, eiuſque per mortem ignominioſam & violentam depoſitionem *conſequentem*. Adeoque duas in gradu iſto velut partes ſpectamus. 1. *Paſſiones* antecedentes *vitæ*. 2. *Paſſiones* ſubſequentes *mortis*, vel eam *antegreſſæ* propiùs, vel cum ea *conjunctas*.

VI. *Paſſiones* antecedentes *vitæ* partim ſpectari poſſunt in corpore, partim in anima Chriſti. Utræque, 1. In *infantia* Chriſti, partim in eius circumciſione, partim in perſecutione paſſiua, quâ ad fugam in Ægyptum compulſus fuit. 2. In *adoleſcentia*, in incommodorum omnium paupertatem excipientium tolerantia. 3. In *virilitate*, in tentatione Sathanæ, in contemptu, conuitiis & calumniis hoſtium, in ὑπομονῇ laborum, defatigationis, Johan.cap.4. verſ.7. famis, Matth. cap.4. verſ.2. ſitis, Johan. cap.4. verſ.7. perturbationis, Johan. cap.11. verſ.33. & aliorum id genus incommodorum.

VII. *Paſſiones* ſubſequentes *mortis* potiſſimùm diſtingui debent, 1. In *ſpirituales* & *corporales*, vel in *internas* & *externas*. 2. Illæ ſunt quas Chriſtus

mm

perpeſſus eſt animâ ſuâ, quæ conſiderari poſſunt partim *privativè* in *ſuſpenſione antecedente* vel *influxus* non ſanctitatis, ſed *felicitatis*, vel potius *ſensûs* illius, quæ per *derelictionem* deſcribitur, Matth. 27. 46. partim *poſitivè* in ſubſequentibus ejus *effectibus*, triſtitia, pavore, ex anticipatione cruciatuum perferendorum, ἀδημονίᾳ, Matth. 27. 37. & in ſenſu alienationis & iræ Dei, exprimente Domino querelam de derelictione ſui, Matth. 27. 46. ſive ad ὑπεροχὴν angorum ſuorum deſignandam, ſive ad repræſentandam ſuorum perſonam.

VIII. Et has quidem paſſiones, cenſemus deſignari per *deſcenſum* Chriſti *ad inferos* in Symbolo Apoſtolico, quem 1. *Malè* adliqui vel ad *deſcenſum localem* Chriſti ad inferos, vel ad oſtentationem victoriæ & triumphi ſui, vel ad liberationem Patrum è commentitio limbo referunt, quippe quæ dogmata & ἄγραφα ſunt, & ἀντίγραφα & ἄτοπα, exaltationis quippe Chriſti gradus, cum gradibus exinanitionis confundentia. 2. *Minus probabiliter* alii vel ad *ſepulturam* Chriſti, vel ad *ſtatum* Chriſti in morte & ſepulchro jacentis referunt, prius quidem partim ob prætermiſſum hunc articulum cùm in Symbolis Orientalibus, tum in Occidentali *Romano* veteri, partim ob *Rufini* aſſertionem; poſterius verò ob ἀναλογίας & ordinem verborum Symboli, eo quod articulus, de *deſcenſu ad inferos* ſequatur demùm articulum de ſepultura. Prioribus opponi poſſunt. 1. Conjuncta utriuſque articuli de ſepultura & deſcenſu ad inferos in plurimarum Eccleſiarum Symbolis retentio, quæ ſine ταυτολογία dari non poſſet in ἐπιτομῇ iſtius generis. 2. Aliorum etiam in Symbolis quibuſdam omiſſio, quæ tamen non omittenda, v.g. paſſionis & mortis in Aquilegienſi Symbolo. 3. Scriptorum multorum Rufino haud parum præſtantiorum judicium. Poſterioribus opponi poſſunt. 1. Ratio inverſi in ſpeciem ordinis, deſcriptio nimirum antecedens illius, quod velut *materiale* erat in Paſſione Chriſti, & ſubſequens expoſitio illius, quod ſe habebat velut *formale*, vel conveniens primò *paſſionum corporis*, poſt *paſſionum animi* repræſentatio. 2. Exemplum inverſi ordinis, in eodem Symbolo, dum nos credere profitemur articulum de *Eccleſia Catholica*, antequam profiteamur articulum de *remiſſione peccatorum*, qui tamen naturâ & cognitione diſtinctâ prior eſt illo, quum iſte implicet ſenſum illius, quod in nobis eſt, ille cognitionem illius, quod extra nos, iſte fluat ex unione, quam habemus cum capite, iſte ex unione, quam habent membra inter ſeſe. Immò fidelium aliorum aggregationem & unionem, nemo ut oportet credere poteſt, quin ſe prius fidelem, adeoque peccata ſibi remiſſa credat. 3. Ταυτολογία quæ oriretur in Symbolo, quum per ſepulturam Chriſti ſatis triduana ejus in ſepulchro mora connotetur, in deſcriptione iſtius ſepulturæ, & in comparatione eius cum Jonæ exemplo, Matth. 16. 4.

IX. Præſtat itaque per deſcenſum Chriſti ad inferos, intelligere paſſiones *ſpirituales* & *internas*, quas Chriſtus in anima ſua perpeſſus fuit, ex ſenſu iræ divinæ ſibi ob peccata in ſe derivata incumbentis, qui & ſangui-

ſanguineum Chriſto ſudorem, λύπην θάμβος, ac ἀδημονίαν expreſſit, & Angeli conſolatoris ſubſidium efflagitauit, Matth.26.37.38. Marc.14.33. 1. Ob phraſin Scripturæ, quæ per inferos, & deſcenſum ad inferos, vel potius εἰς ᾅδου לשאול intelligit ſummos angores, 1.Sam.3.6. & Pſal. 116. ꝟ.3. 2. Ob integritatem enumerationis paſſionum Chriſti, quæ ſine hoc articulo mutila videri poſſit. 3. Ob ἀκολουθίαν partium Symboli, & ordinis conuenientis obſervationem in proceſſu à leuioribus ad grauiora, à viſibilibus ad inuiſibilia.

X. Paſſiones *corporales* & *externæ* Chriſti ſpectari poſſunt partim in iis, quorum pleraque præceſſere mortem Chriſti, partim in ipſa morte. Ad illa referri poſſunt, Proditio eius: Comprehenſio ab hoſtibus: Deſertio à Diſcipulis: Ignominioſa raptatio & irriſio: Circumductio probra, contemtus, ſputa, denudatio, Schematis Theatrici impoſitio: Accuſatio maledica; primorum & plebis conſpiratio ad eius necem: prælatio ſicarii: Judæorum & Romanorum in Chriſtum graſſatio: Flagellatio, crucis geſtatio, potus amari oblatio, crucifixio, & quidem media inter duos Latrones: Dolorum grauiſſimorum partim in extenſione, partim in ſolutione partium nervoſarum per transfixionem, & variorum aliorum incommodorum perpeſſio, lanceæ in latus adactæ ictus & alia id genus. *Mors* ipſa ſpectatur in ſeparatione animæ & corporis Chriſti, quæ & quo ad rem *ex ſe* eſt ſtipendium peccati, Rom.6.ꝟ.22. & pœna cum maledictione coniuncta fuit in Chriſto, ut qui pro nobis factus fuit ἁμαρτία, 2.Cor.5.21. non *formaliter* vel *inhærenter*, vel *ſubjectivè*, ſed *adhærenter*, *imputatiuè*, aut *relativè* duntaxat, per *Metonymiam adjuncti*, vel conſequenter, victima pro peccato per *Metonymiam* ſimilem. Qua quidem morte & veritati Dei & juſtitiæ ipſius ſatisfactum fuit. Hoc ſenſu Chriſtus etiam κατάρα factus dicitur, Gal.3.13. Quoad mortem verò, atrociſſima illa fuit, ſine ullo tamen vel fremitu, vel deſperatione, quorum cauſas procul habuit, cum ille oriatur ex odio judicis, & impatientia rei, iſta ex perpetuitate mali ferendi & medii ex eo emergendi defectu, quorum neutrum in Chriſtum cadere potuit, perſuaſum quippe tum de amore Dei erga ſe, Matth.26. & 27.46. tum de reſurrectione ſua glorioſa, Matt. 20.18.19. Actor.2.24. Joh.2.19.

XI. *Gradum tertium* exinanitionis Chriſti conſtituimus ſepulturam ejus, Matth.27.60. quam ad exinanitionum Chriſti pertinuiſſe ſatis patet & per ſe & ex Epheſ.4. verſ.9. Cujus *inſtrumenta* fuêre Joſephus & Nicodemus, *locus*, hortus, *duratio*, triduana, non *mathematicè* & ἀκριβῶς ad literam, ſed *analogicè* & παχυλῶς ad ſenſum Scripturæ. Cauſæ veræ, mortis probatio, humiliationis ulterioris per demiſſionem in locum cadaueribus deſtinatum demonſtratio, ſepulchrorum noſtrorum ſanctificatio, prædicta ex ſepulchro reſurrectio, & typorum veterum adimpletio.

XII. Damnamus. 1. Illos, qui cum *Ebione*, *Cerintho*, *Samoſateno*, *Photino*, eorumque aſſeclis veteribus & hodiernis ob exinanitionem Chriſti

concludunt eum eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον. 2. Illos, qui ob eandem ſtatuunt, Deitatem Chriſti, vel in ſe mutationem realem, vel τῆς οἰκείας ἀξίας καὶ ἀπαθότητος jacturam paſſam fuiſſe. 3. *Marcionitas* & *Docetas*, qui paſſiones Chriſti mimicas & Theatricas, vel ideales tantùm & apparentes finxêre. 4. *Aphthartodocetas*, qui carnem Chriſti, vel paſſionis omnis, vel ſenſus ſaltem ejus incapacem & expertem docuêre. 5. *Iudaeos* blaſphemos, qui Chriſtum ob blaſphemias in Deum & perduellionem in Magiſtratum, in crucem actum & malè habitum flagitioſè contendunt. 6. *Samoſatenianos* veteres & recentes, qui paſſiones Chriſti haudquaquam ſatisfactorias docent. 7. *Pontificios*, qui ex deſcenſu Chriſti ad inferos, fictitiam limbi ſui contignationem probare ſatagunt.

DISPVTATIO
DE
JVSTIFICATIONE HOMINIS
coram Deo.

Thesis I.

DOCTRINA ſalutaris de Iuſtificatione vera Chriſtianiſmi baſis, verum Chriſtianorum peculium eſt, quâ ſalvâ, & illius ſtructura conſtat, & iſtorum conſolatio.

II. Theoria ſolida huius argumenti reuocari poteſt, 1. Ad notationem *nominis*, 2. ad notationem *rei* per nomen deſignatæ.

III. In notatione *nominis* conſideranda phraſis tum Scripturæ, tum Theologorum: Scripturæ, quæ utitur verbis הצדיק & δικαιοῦν, δικαιοῦσθαι: Theologorum, qui Hebræam & Græcam vocem barbaro In ſe, & in erroris argumentum raptato *juſtificandi* verbo expreſsêre. Hinc enim Sophiſtarum commenta exſtructa de habitualis juſtitiæ introductione in ſubjectum per alterationes præuias præparatum, inſtar motus cujuſdam vel mutationis Phyſicæ, & alia id genus, quæ πρῶτον ψεῦδος, & aliorum errorum ſiue origo, ſiue occaſio.

IV. Latinum ergo *juſtificandi* ἄγραφον ex ἐγγράφοις æſtimandum, non iſta ex illo. Ex uſu verò Scripturæ τὸ הצדיק Hebræorum vel *propriè* ſumitur, vel *impropriè*. *Propriè* ſumptum ἀγοραῖον eſt, & adhibetur à Spiritu ſancto in ſenſu forenſi & judiciali, pro abſolvere, juſtum habere, oppoſitum τῷ הרשיע condemnare, pro impio cenſere, Prou. XVII. 15. *Impropriè* ſumptum 1. λειτουργικὸν eſt vel ὑπουργικόν, & notat εἰσαγωγικῶς ad juſtitiam, Daniel. XII. 3. vbi τὸ מצדיקי videtur ἐξηγητικὸν τῷ משכילים, ut prædicatum poſterius prioris. 2. μιμητικῶς, per προσωποποιΐαν quandam adhibitum, Ezech. XIV. verſu 52.

V. Τὸ δικαιοῦν Græcis, ſecundùm *Suidam*, δύο δηλοῖ, τό τε κολάζειν, καὶ τὸ δίκαιον νομίζειν. Sic τὸ δικαιοῦσθαι Græcis eſt κολάζεσθαι, καταδικάζεσθαι, quandoque opponitur τῷ ἀδικεῖσθαι. Ex uſu Sacræ Scripturæ ſumitur etiam, vel *propriè*, vel *impropriè*. *Propriè*, 1. *effectivè* & notat δίκαιον καθιστάναι. juſtum conſtituere, ſenſu non Pontificio, ſed Pauli, non per infuſionem juſtitiæ, ſed per eius imputationem, & ſic pro objecto habet impium, Rom. IV. 5.

2. *Declaratiuè*, & notat δίκαιον νομίζειν, idque vel *meritò* quando terminatur ad Deum, ſic homines dicuntur δικαιοῦν τὸν Θεόν, h. e. δοξάζειν, Pſal. LI. 5. Luc. VII. 29. Sic Chriſtus dicitur δικαιωθεὶς, 1. Tit. III. 16. vel *gratis* quando terminatur ad homines, qui juſtificantur à Deo ſenſu forenſi & judiciali, quando à peccatis & reatu abſolvuntur, quo ſenſu legitur, Rom. VIII. 33. & communiter in Epiſtolis Paulinis. Ipſi homines quoque quandoque ſeipſos juſtificare dicuntur, interdum δοξαστῶς vt Phariſæi, Luc. XVI. 15. interdum ὄντως, vt Abraham per ſacrificium Iſaaci, Iac. II. *Impropriè* δικαιωθῆναι eſt. 1. ἐλευθερωθῆναι, liberari, Rom. VI. 7. 2. ἐνδυναμοῦσθαι ἐν δικαιοσύνῃ perſeuerare & corroborari in juſtitia, Apoc. XXII. 11.

VI. Explodimus ergò *Lombardi*, *Bellarmini* & Sophiſtarum aliorum commenta, qui ſignificatus nouos verbis δικαιοῦν & δικαιοῦσθαι affingunt, quaſi juſtificare ſit vel juſtitiam habitualem infundere, vel infuſam nouis qualitatum aut actionum incrementis augere, quæ gratis ſupponuntur, non probantur.

VII. Notationem *rei* quod attinet, juſtificandi verbum in hoc negotio cum Paulo in ſenſu forenſi & judiciali accipimus, pro actione Dei hominem peccatorem & reum natura, ſed credentem gratia à peccati reatu, & maledictione legis abſolvente, & in gratiam recipiente, idque ex gratia propter Chriſtum Mediatorem, & eius ὑπακοὴν fide apprehenſam, ad juſtificantis gloriam & juſtificati ſalutem.

VIII. Conſiderari verò poteſt vel ratione decreti æterni, vel ratione applicationis temporariæ, vel ratione φανερώσεως futuræ in ultima illa & decretoria δικαιοκρισίας die. Primum ſecundi & tertij cauſa eſt, ſecundum primi index, tertium utriuſque plenaria executio.

IX. *Cauſa efficiens* juſtificationis eſt Deus, tum οὐσιωδῶς tota S. Trinitas, Eſa. XLIII. 25. tum ὑπαρκτικῶς Pater, Rom. III. 26. & VIII. 34. Filius, Matt. IX. 6. Spiritus Sanctus, 1. Corinth. VI. 11. Cum enim opus hoc ex illorum genere ſit, quæ *ad extra* in ſcholis vocantur, commune tribus perſonis eſt, diſtinctum tamen ordine & modo operandi, & operationum terminis. Vnde Patri juſtificandi actus, Filio meritum, Spiritui ſancto meriti applicatio antonomaſticè adſcribi ſolet.

X. *Cauſa* προηγουμένη eſt Dei Patris mundum in Chriſto ſibi reconciliantis gratia, quæ innoteſcit tum ex deſtinatione æterna Mediatoris, tum ex exhibitione eius temporaria, tum ex imputatione gratuita obedientiæ filij, tum ex applicatione eius efficaci ad conſcientias peccatorum ſenſu dejectas.

XI. Gratiam illam Scriptura vocat ἀγάπην, εὐδοκίαν, ἔλεος, φιλανθρωπίαν χρηστότητα, χάριν, Joh. III. 16. Rom. III. 24. & V. 8. 9. Tit. II. 11. & III. 4. quam nomenclaturam nec intelligunt, nec intelligere volunt Sophiſtæ, quando hic confundunt χάριν & δωρεὰν ἐν χάριτι, ſiue δώρημα vel χάρισμα, gratuitum Dei affectum, & conſequentem eius effectum, quæ diuerſiſſima ſunt, etſi conjuncta: illius juſtificati ſunt terminus, non ſubjectum, iſtius ſubjectum, non terminus.

XII. Ea-

XII. Eadem cauſa προηγουμένη excludit non tantùm præparationes & diſpoſitiones omnes antecedaneas, ſed & merita ac opera omnia ſiue moralia, ſiue ceremonialia, ſiue ante gratiam, ſiue ex gratia patrata, & quicquid gratiam Dei ex parte hominis videtur vel prouocare, vel ſpecificare, ob ἀντίθεσιν perpetuam quam conſtituit Apoſtolus inter gratiam juſtificantem, & opera ac merita omnia humana, Rom. III. 24. & XI. 6. Tit. III. 5.

XIII. *Cauſa προκαταρκτικὴ*, quæ & *materialis* vel *meritoria* juſtificationis noſtræ, nec habitus charitatis eſt, nec ejus exercitium, nec quicquam hominis, ſed ſolus Chriſtus Mediator, in quo ſolo & per quem ſolum habemus ἱλασμὸν & ἱλαστήριον, λύτρον, ἀντίλυτρον, ἀπολύτρωσιν & eius conſequentia gratiam & vitam. Et hactenus ſummus inter Orthodoxos conſenſus, etſi diſſenſus quidam intercedat in explicatione cauſæ materialis, aliis vtramque ὑπακοὴν & ἐνεργητικὴν & παθητικὴν vrgentibus, & ſatisfactionem per obedientiam, & per pœnam coniungentibus, aliis quibuſdam in ſola ſatisfactione per pœnam cauſam materialem iuſtificationis noſtræ quærentibus.

XIV. Fundamentum ſalvum inter utroſque. Vtrique enim obedientiam Chriſti legi perfectè præſtitam non admittunt tantùm, ſed exigunt etiam ad noſtri iuſtificationem, ſed in modo rem explicandi differunt: quidam enim eam habent pro cauſa meritoria noſtræ iuſtificationis, quidam pro conditione perſonæ & cauſa ſine qua non iuſtificationis promerendæ, talem nimirum nos decuiſſe Pontificem, qui ſanctus eſſet & inculpatus, Hebr. VII. 26. 27. De quo ſalva fidei vnitate, & ſalva charitate opinionum quidam diſſenſus eſt, cum utraque pars & totum Chriſtum & ſolum apprehendat, & in eo toto & ſolo iuſtitiam & vitam quærat.

XV. *Forma juſtificationis* ex parte juſtificantis, eſt remiſſio peccatorum & imputatio ὑπακοῆς Chriſti, ex parte juſtificati, fiducialis eius apprehenſio, & applicatio per fidem. Vnde toties Paulus inquit nos fide & per fidem juſtificari.

XVI. Et ſanè ut inter *cauſas inſtrumentales* juſtificationis externas eſt tum verbum Euangelij, Rom. I. 16. tum ſacramenta, Tit. III. 5. 1. Pet. III. 21. ſic interna, eſt non ſpes, charitas, timor, pœnitentia, &c. Sed ſola fides inter ſui ordinis cauſas, & ſola quidem non ratione exiſtentiæ, ſed ratione apprehenſionis & facultatis apprehendendi, quippe quæ ſola inſtrumentum analogum eſt juſtitiæ Chriſti apprehendendæ accommodum.

XVII. Conſideratur verò fides in actu juſtificationis, nec diſpoſitivè, nec habitualiter, nec formaliter, nec meritoriè, nec in genere operis, ſed partim organicè ratione ſui actus, partim correlatiuè ratione ſui objecti. Vnde ſapienter Apoſtolus nos quidem juſtificari inquit πίστει, ἐκ πίστεως, διὰ τῆς πίστεως, nunquam verò διὰ τὴν πίστιν.

XVIII. Imputatio illa juſtitiæ Chriſti, nec ἄχαος eſt, nec idealis, nec abſurda, nec δικαιοκρισίαν Dei tollit, nec in rationem vel praxin humanam arietat, imò à Pontificiis ipſis ſtabilitur per nundinationem pa-

palium abacum, & ſatisfactionum ac indulgentiarum mercatum, ubi juſtitiæ alienæ, quamvis commentitiæ, λογισμὸς & communicatio manifeſtè docetur. Non mirum verò imputationem juſtitiæ Chriſti negari & oppugnari in hoc negotio ab iis, qui unionem noſtri cum Chriſto, & vim & efficaciam eius nec norunt, nec ſentiunt, & ſalutis media quæſtuoſa ſibi eſſe malunt, quàm gratuita.

XIX. *Materia circa quam* ſiue *objectum* juſtificationis, eſt homo prædeſtinatus ratione decreti, vocatus etiam ratione applicationis, ſecundùm contexturam Apoſtolicam, Rom. VIII. 30. Eſt verò ille impius *antecedenter*, *conſequenter* verò & *terminatiuè* ex fide Jeſu. Prior actus gratiæ eſt, poſterior juſtitiæ non legalis, ſed euangelicæ, prior Dei αὐτοκράτορος, poſterior judicis, ſed ſecundùm ἐπιείκειαν in Euangelio manifeſtatam. Vnde juſtificationis opus diuerſo hoc reſpectu & gratuitum dici poteſt, & meritorium ſine contradictione.

XX. *Finis* juſtificationis eſt, hominis juſtificati ſalus & ἀθανασία, Rom. V. 1. Dei verò juſtificantis gloria, tum in declaratione ſuæ ſapientiæ, tum in executione ſuæ veritatis, tum in manifeſtatione temperamenti illius eximij juſtitiæ & miſericordiæ diuinæ, quod in ſtupenda redemptionis noſtræ œconomia & hominibus & Angelis ipſis perpetuum admirationis ſummæ & objectum eſt, & argumentum.

XXI. *Effecta* juſtificationis vel conſequentia neceſſaria ſunt, 1. Adoptio actualis, Eph. 1. 5. 2. pax conſcientiæ, Rom. V. 1. 3. dilectio, Luc. VII. 47. & alia id genus chariſmata ſpiritualia, quæ ſpiritus adoptionis in cordibus juſtificatorum operatur. Iuſtificatio enim cum ſanctificatione indiuiduo & perpetuo nexu coniungenda, non confundenda tamen, & quibus Chriſtus factus δικαιοσύνη, illis etiam factus ἁγιασμὸς, 1. Cor. 1. 30. 4. vita & gloria, Rom. 8. 30.

XXII. *Adjuncta* juſtificationis ſunt, 1. Eius unitas, una enim eius ratio in omnibus juſtificandis, Rom. 3. 20. 2. eius perfectio tum *intenſivè* tum *extenſiuè* conſiderata: *intenſiuè*, ſiue reſpectu malorum ablatorum, ſiue reſpectu bonorum acquiſitorum, quia nihil condemnationis reliqui iis qui in Chriſto Jeſu, Rom. 8. 1. & juſtificatio cum glorificatione connectitur, Rom. VIII. 30. *Extenſiuè*, quia beneficium hoc perpetuum eſt & ex eorum genere quæ ἀμεταμέλητα Diſtinguendum tamen ipſum beneficium & ius ad id, ab eius ſenſu illius nec reuocatio datur nec interruptio: iſtius interruptio datur, ſed & inſtauratio pro ſanctificationis decrementis vel incrementis.

XXIII. Orthodoxa hac de Iuſtificatione hominis peccatoris coram Deo doctrinâ ex Dei verbo aſſerta, concidunt errores. I. Libertinorum, 1. qui diuerſos juſtificandi modos, diuerſas in cœlum ſcalas fabricantur, Gentilibus aliam, aliam Iudæis, aliam denique Chriſtianis. 2. qui Iuſtificationem gratuitam Chriſti in argumentum licentiæ trahunt. II. Pontificiorum, 1. qui Iuſtificationem iuſtifactionem interpretantur, non iuſtihabitionem, iuſtitiam inhærentem vrgent, impu-

tatam

tatam ut putativam inſectantur: juſtitiam cauſæ & perſonæ, legalem & euangelicam confundunt, & centonem ex vtraque texunt, adeoque Juſtificationis negotium inter Deum & hominem, gratiam & liberum arbitrium partiuntur. *Qui Juſtificationem diſpeſcunt in Primam & Secundam, illi præparationes & merita Congrui præſtruunt, iſti merita Condigni ſubſternunt. 2. qui fidem juſtificantem cum aliis fidei ſpeciebus confundunt; eam fiducialem Chriſti apprehenſionem negant, à charitate non actuali tantùm, ſed & habituali ſeparabilem ſtatuunt, eam initialiter tantùm & inchoativè, bona verò opera completiuè juſtificare contendunt. 3. qui Juſtificationis vel perfectionem negant, vel ſtabilitatem, vel ſenſum in juſtificatis, & integra errorum plauſtra hîc concenturiant. III. Socinianorum, 1. qui Juſtificationem per & propter Chriſtum Mediatorem, & ejus λύτρον tollunt, redemptionem & ſatisfactionem Chriſti nullam niſi metaphoricam admittunt. 2. qui Chriſtum ob officium propheticum & regium tantùm Servatorem noſtrum eſſe contendunt, quippe qui hunc ſibi titulum vindicarit, annuntiando tantùm ſalutem, eam confirmando & communicando, non verò promerendo. Iſti & alii id genus errores portentoſi & Sacræ Scripturæ adverſantur, & ſalutari de Juſtificatione doctrinæ ex ea hauſtæ & derivatæ.

DISPVTATIO
DE
JVSTIFICATIONE.

Thesis I.

LOcvs de Juſtificatione hominis peccatoris coram Deo fundamentalis eſt, & uſus ingentes habet partim *theoricos* in Controverſiis variis feliciter decidendis, partim *practicos* in tranquillanda conſcientia.

II. De argumento iſto compendio acturi, 1. ὀνοματολογίαν exequemur. 2. Πραγματολογίαν. Illa hujus fundamentum eſt, iſta illius complementum.

III. Ὀνοματολογία verſatur circa *notationem phraſium*, quæ in hac materia uſurpari ſolent. Sunt verò eæ vel *divinæ*, vel *humanæ*: illis neceſſariò hærendum, iſtis non item. Ineptiunt itaque Pontificii, dum nos barbaro *juſtificandi* verbo urgent, quippe quod ἄγραφον eſt, non ἔγγραφον, & ex verbis ἐγγράφοις Hebræo הצדיק & Græco δικαιοῦν cenſendum, non contra.

IV. Verbum Hebræum *tranſitivum eſt*, & ſumitur in Veteri Teſtamento, interdum πρώτως, interdum δευτέρως. Πρώτως ſumptum κύριον eſt, & deſignat actum forenſem judicis abſolventis, & pro juſto cenſentis reum, oppoſitum τῷ הרשיע. Vnde à Græcis interpretibus vertitur per phraſes δίκαιον κρίνειν, vel ἀποφαίνειν, prout τῷ הרשיע illis eſt, ἄδικον κρίνειν, καταγινώσκειν, καταδικάζειν, Proverb. 17. ℣. 15. Iob. 32. v. 3. Δευτέρως & tralatitiè ſumptum verbum illud eſt. I. ὑπουργεῖν, ut Dan. 12. verſ. 3. & ſignificat, præire ad juſtitiam aliis, tum voce tum exemplo, & ſic המצדיקים iidem ſunt qui המשכילים. Nec enim diverſum ibi, *quoad rem*, ſive *ſubjectum*, ſive *prædicatum*, & utrumque verbum nihil aliud deſignat, quàm הזהיר הרשע *monere impium*, quæ phraſis habetur, Ezech. 3. ℣. 17. 18. 19. II. Μιμητῶς, ut Ezech. 16. ver. 51. 52. ubi propter σύγκρισιν peccatorum Iſraelis & Samariæ, Iſrael dicitur הצדיק δικαιοῦν Samariam. Sic Iſrael magis juſtus eſſe oſtenditur, & docetur, creſcentibus Judæ peccatis, Jerem. 3. ℣. 11. 3. Γενικῶς, & notat *ſynecdochicè*, *ſpecie* poſita pro *genere*, ἀπαλλάττειν, ἐλευθεροῦν in genere, tum quia qui juſtificatur, liberatur ab injuſtitia, tum quia ſic injuſtitia potiſſimum ſervitutis genus eſſe indicatur. Sic ſanctuarium dicitur נצדק δικαιωθὲν, Dan. 8. verſ. 14. eodem ſenſu quo δικαιοῦσθαι ab Apoſtolo ſumi-

ſumitur, ad Rom.6.℣.7. quamvis etiam καθαρισμὸν typicum deſignare poſſit iſtic loci.

V. Quæ verò ratio eſt verbi הצדיק in Teſtamento Veteri, eadem etiam eſt ratio verbi δικαιοῦν in Teſtamento Novo, ſumitur enim pari ratione tum προτέρως, tum δευτέρως. Πρώτως, ſumitur λογιστικῶς & σημαντικῶς, *imputativè & declarativè*, & ſic δικαιοῦν eſt δίκαιον νομίζειν, ἀπογινώσκειν τὸ ἐγκαλούμενον, oppoſitum τῷ ἐγκαλεῖν & τῷ κατακρίνειν, ut ad Rom.8.33. & paſſim alibi apud Paulum. Δευτέρως ſumptum verbum illud uſurpatur, 1. Γενικῶς ἐλευθεροῦν liberare, *Synecdoche ſpeciei pro genere*, ad Rom.6.℣.7. 2. Ενεργητικῶς, pro δικαιοσύνην ποιεῖν, *juſtitiam facere*, ut Apoc.22.℣.11. (quod Codices multi expreſſum habent) Quæ verbi illius vis ſit iſtic loci, patet ex verbo ἀδικεῖν *injuſtè agere*, quod ei ibidem opponitur, prout & τὸ ἁγιασθῆναι ibidem opponitur τῷ ῥυπαρευθῆναι. 3. Ἐγκωμιαστικῶς, & ſic δικαιοῦν eſt δοξάζειν, celebrare illum qui juſtus eſt, hoc ſenſu homo dicitur juſtificare Deum, Pſ.51.℣.5. Luc.7.19.

VI. Ὀνοματολογία ita expreſſa, πραγματολογία facilis eſt, & patet Juſtificationem nihil aliud eſſe in hoc argumento, quàm actionem Dei hominem peccatorem à reatu peccati abſolventis, & pro juſto reputantis propter Chriſti obedientiam fide apprehenſam, ad juſtificantis gloriam, & juſtificati ſalutem, ad Rom.3.℣.24.25.26.

VII. *Cauſa efficiens* Juſtificationis eſt Deus, tum οὐσιωδῶς conſideratus, tum ὑπαρκτικῶς. Οὐσιωδῶς ratione *totius complexi*, quod ut *opus ad extra* tribus S. Trinitatis perſonis *commune* eſt, quoad ipſum ἀποτέλεσμα, *diſtinctum* tamen manet tum *ordine*, tum *modo operandi*: ὑπαρκτικῶς, ratione *partium complexi*, & ſic Patri tribuitur δικαστικῶς juſtificationis actio ad Rom.3.25.8.33. Filio juſtificationis *meritum*, Eſa.53.11. Matth.9.6. Spiritui verò ſancto ejus *applicatio*, 1. ad Cor.6.11.

VIII. *Cauſa* προηγουμένη juſtificationis, eſt ſola juſtificantis gratia, quæ ipſa non δώρημα quoddam eſt, vel χάρισμα, vel δωρεὰ ἐν χάριτι, ſed ejus principium, & vocatur ἀγάπη Dei, εὐδοκία, ἔλεος, φιλανθρωπία, Johan.3.16. ad Roman.3.24.5.8. ad Tit.2.12. & 3.4. Eſt verò gratia illa juſtificationis cauſa tum *originaliter*, ratione deſtinationis æternæ, tum *actualiter*, ratione applicationis ejus temporariæ.

IX. *Cauſam* προκαταρκτικὴν ſive *materialem* & *meritoriam*, nec *habitualem* hominis *juſtitiam* ei infuſam, vel inhærentem cenſemus, nec *actuale* ejus *exercitium*, ad Rom.3.20. & 4.2.5. ad Gal.2.16. ad Philip.3.9. ad Tit.3.5. ſed ſolius Chriſti ὑπακοὴν Ierem.23.6. ad Roman.5.9. 1. Corinth.1.30. eamque tum ἐνεργητικὴν tum παθητικὴν, quamvis ἀκύρως ſic quibuſdam dictam, & conjungendam hîc exiſtimamus tum obedientiam, quàm Chriſtus oppoſuit præceptis legis, tum eam, quam oppoſuit minis & maledictioni ejuſdem. Nec verò illam à Chriſto, ut Adami, vel Abrahæ filio, *ſuo*, ſed ut à vade *noſtro loco* præſtitam, utramque etiam homini perfectè coram Deo juſtificando neceſſariam ſtatuimus, ut non ſolùm à condemnatione immunis eſſe poſſet, verùm etiam jus habere ad vitam, inter quę medium

nullum dari dicitur, non docetur, quamvis utrumque beneficium, utut diſtinctum, conjunctum tamen in juſtificato cenſeamus, & inſeparabiliter quidem, ad Rom.3.v.24.25.26. & 5.17.18. & 8.34.

X. *Formam* juſtificationis *activa* cenſemus eſſe tum plenariam peccatorum remiſſionem, tum juſtitiæ Chriſti imputationem, nec phraſes iſtas vel exæquandas cenſemus, vel confundendas. *Paſſiva formam* conſtituimus in utriuſque apprehenſione & ſenſu in ſubjectis capacibus.

XI. Vt ergo *activa* juſtificationis cauſam in ſolo Dei favore & gratia quærimus, nobis id quod noſtrum non erat, velut noſtrum, imputantis, & pro *legali juſtificandi modo*, admittentis *evangelicum*, ex ineffabili quodam juſtitiæ & miſericordiæ ſuæ temperamento; ſic *paſſiva* juſtificationis *inſtrumentum*, unum inter ordinis ſui cauſas, ſolam fidem cenſemus, non præciſâ ejus à virtutibus aliis *exiſtentiâ*, ſed *cauſalitate* duntaxat: Nec verò eam ſpectamus *ſubjectivè*, ſive *diſpoſitivè*, ſive *habitualiter*, vel *formaliter*, aut *meritoriè* ratione vel *dignitatis* internæ, vel *acceptilationis* externæ, ſed partim *organicè*, ratione ſui actus, quem exercet, partim *objectivè* vel *correlativè* ratione objecti, quod actu ſuo apprehenſum it, & nobis àpplicatum. Et hoc eſt quod *Apoſtolus* deſignat, juſtificatione deſcripta phraſibus διὰ τῆς πίστεως, ἐκ πίστεως, πίστει, nunquam verò διὰ τὴν πίστιν, ad Rom.3.22.25.26.& 5.1.& alibi paſſim.

XII. *Objectum* juſtificationis eſt homo peccator, *deſtinatione* electus, & *executione* jam vocatus in ætate capaci, ad Rom.8.29. qui *antecedenter* & *objectivè* impius eſt, *conſequenter* tamen & *terminativè* fide donatus, & per eam Chriſto inſertus, ad Rom.3.26. *Priori* σχέσει juſtificatio abſolutus gratiæ actus eſt, & deſtinantis Mediatorem, & vicariam obedientiam admittentis pro propria, & iſtam his potius imputantis quàm aliis: *Poſteriori* eſt actus temperatus ex juſtitia & gratia, quo obedientia præſtita à Chriſto iis imputatur, qui membra Chriſti cenſentur, adeoque actus mixtus eſt judicis quidem, ſed ſedentis in throno gratiæ.

XIII. *Finis* juſtificationis ex *parte juſtificantis* eſt gloria πολ ποίκιλος, quæ ex iſta peccatoris per Chriſtum juſtificatione exurgit: ex *parte juſtificati*, ejus ſalus, ad Rom.1.17.& 3.26. ad Eph.1.14. Tit.3.4.5.

XIV. *Effecta* juſtificationis & conſequentia ſunt, 1. *Actualis* hominis juſtificati *adoptio*, ad Gal.4.5. 2. Ejuſdem *ſanctificatio*, 1. ad Corinth.1.℣.31. 3. ἄδεια & pax conſcientiæ, ad Rom.5.℣.1.

XV. *Adjuncta* juſtificationis ſunt, 1. *Vnitas* ejus *formalis*, eadem enim juſtificationis in omnibus juſtificatis ratio. 2. Ejus *perfectio* tum *intenſiva*, ratione beneficiorum acquiſitorum juſtificatis, tum *extenſiva*, ratione durationis ejuſdem, quæ perpetua ob perpetuum juſtificationis cum glorificatione nexum, ad Rom.8.29.

XVI. Damnamus circa hoc argumentum, 1. *Atheorum* & *Libertinorum* furores, vel nullam juſtificationis rationem curantium, vel diverſos ejus modos Gentilibus, Judæis & Chriſtianis præſtituentium, vel gratuitum juſtificationis beneficium in licentiæ & cavillorum argumentum

mentum vertentium. 2. *Socinianorum* exitialem hæreſin, ſatisfactionem Mediatoris, quæ juſtificationis fundamentum eſt, tollentium, & eam in Metaphoricam redemptionem tranſmutantium, ac pro Chriſti obedientia noſtram ſubſtituentium. 3. *Pontificiorum* graviſſimos errores, 1. Juſtificationem in juſtifactionem, mutationi phyſicæ non abſimilem, transformantium. 2. Juſtitiam imputatam ut *putativam* duntaxat & *idealem* inſectantium, & ſic indulgentiarum ſuarum abacum, & λογισμὸν meritorum humanorum imprudenter evertentium. 3. Juſtificationem cum ſanctificatione confundentium, eamque in *primam* & *ſecundam* partientium, & illi *congrui*, iſti *condigni* merita ſubſternentium. 4. In fidei juſtificantis naturam, operationes & durationem invadentium, & tum fiducialem fidei ὑπόστασιν, tum individuum ejus cum charitate nexum, tum formalem ejus ab aliis fidei ſpeciebus diſtinctionem nequicquam negantium, alioſque id genus errores errantium, qui ſalutarem de juſtificatione doctrinam vel *directè* vel *conſequenter* evertunt.

DISPUTATIO

DE

RELIGIONE.

THESIS I.

QUUM Diſputatio *de Religione* nobis ex ordine incumbat, compendio ejus naturam aphoriſmis aliquot complectemur.

II. *Notatio nominis* varia traditur à variis. Religio *Ciceroni* à *relegendo*, ſc. ſacra, eadem analogia deducitur, quâ legio à legendo: ſic *religioſi* dicuntur qui omnia quæ ad cultum Deorum pertinebant, diligenter retractabant & tanquam relegebant: *Hieronymo* & *Lactantio* Religio ducitur à *religando*, eo quod pietatis officiis velut vinculo & obligemur Deo & colligemur: *Auguſtino* & à *religando*, & à *religendo*, (pro reeligendo) *Deo, quem amiſeramus negligentes: Macrobio* coactè admodum à *relinquendo*, ut & *Sulpitio* à *religando*, profana nimirum & aliena à cultu numinis.

III. *Notatio rei* varia eſſe poteſt, pro varia vocis iſtius uſurpatione. Sumitur enim I. Pro *qualitate interna*, v. g. 1. Pro *diſpoſitione* animi erga Deum, & ſic Religio idem quod *εὐλάβεια reverentia*. 2. Pro *habitu interno* pietatis, ſive pro cultu Dei interno. Sic *Iſidorus* Religionem conſtituit in fide, ſpe, & charitate. Sic Gloſſæ græcæ *θρησκείας* & *εὐσέβειαν* promiſcuè habent. 3. Pro *ſolicitudine conſcientiæ* circa res licitas vel illicitas, ſive quoad judicium de illis, ſive quoad praxin earum, orta, ſive ex metu, ſive ex reverentia numinis. Sic *Feſto* religioſi dicuntur qui facienda & vitanda decernunt. II. Pro *actibus externis*, & deſignat, 1. *Κατ' ἐξοχὴν* vel *abuſivè* in Eccleſia Romana, ſtatum hominum per certa quædam vota ad perfectionem ſingularem tendentium. 2. *Formaliter* cultum Dei externum, quem Scholaſtici referunt ad adorationem, ſacrificium, votum, juramentum, adjurationem, & laudem. 3. *Objectivè* doctrinam quam profitemur de Deo & rebus divinis. 4. *Interpretativè*, ceremonias & ritus externos in cultu Dei adhiberi ſolitos. Sic Gloſſæ græcæ *θρησκείαν* reddunt, *Religionem* vel *ritus*.

IV. Nos Religionis nomenclatione *in complexo* hîc complectimur internum externumque Dei cultum, conſiſtentem partim *internè* in recto de Deo judicio, in mente, & in vero ejus amore in corde, partim *externè*, tum in profeſſione veritatis, tum in praxi pietatis. Hinc denominatio religioſa *primò* & *propriè* competit perſonis, *ſecundariò* & *tranſſumptivè* demum

denum actionibus & rebus ſacris, earumque circumſtantiis, quod *hic & nunc*, hoc eſt, temporibus lociſque quibus rès actioneſque ſacræ peraguntur.

V. Rectum de Deo judicium Religionis tum baſin; tum partem primam cenſemus, ſine qua nec reliquæ conſiſtere poſſunt, nec Deo probari. Nec enim amor datur incogniti, vel rectus amor malè cogniti, nec vel doctrina rerum divinarum externa vera, vel actio ulla ſancta eſſe poteſt, quæ non à ſano de Deo judicio, convenienteque de eo æſtimatione oriatur, & ad verum Deum terminetur.

VI. Judicium verò illud de Deo fundari nequit ſive in indagine vel conceptu noſtro, ſive in ratiociniis humanis, ſed in mera revelatione Dei ſeipſum nobis repræſentantis, non tam in *hemiſphærio inferiori* naturæ (conſideratæ partim *ſubjectivè*, quoad notiones impreſſas conſcientiæ, partim *objectivè*, quoad opera τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ nobis indicantia) quàm in *hemiſphærio ſuperiori* Scripturæ, quæ ſola nos de Deo rectè riteque judicare docet.

VII. Judicium verò rectum de Deo non tantùm *in genere* exigit deciſionem quæſtionis ὅτι ἐστὶ, *quod ſit*, ſed vel imprimis *in ſpecie* deciſionem quæſtionis τί ἐστι, *quid ſit & qualis ſit*, tum οὐσιωδῶς, tum ὑποστατικῶς, tum ἐνεργητικῶς, ſive *ad intra*, quoad decreta, ſive *ad extra*, tum quoad ἐνεργείας ſive operationes, tum quoad ἐνεργήματα vel ἀποτελέσματα, ſive opera ex operationibus reſultantia.

VIII. Peccant ergo in recto de Deo judicio, nec Deum ut par eſt concipiunt, qui ſupra, extra vel contra Dei revelationem de Deo ſapiunt, ſive de Dei natura, ſive de perſonis, ſive de attributis, ſive de decretis, ſive de operationibus aut operibus ejus, vel ea ignorare volunt, quæ Scriptura de Deo tradit, vel ea ei affingere audent quæ ea non tradit.

IX. Vbi verò rectum de Deo judicium ſubſtratum eſt, & Deus, inſtar Solis lumine à ſeipſo effuſo, & in iſto cernitur, amor verus rectuſque Dei ſequitur, nec enim natura & perfectiſſima in ſe, & tum *eminenter*, tum *effectivè* ſummè bona cognoſci *practicè* poteſt, ſine convenienti ejus amore, quippe quæ ſummè amabilis eſt, & ſi veritas ſecundùm Scholaſticos *virtutem inclinativam* habet, magis eam habet bonitas, ſed pro natura & gradu cognitionis.

X. Exigit autem amor ille ῥοπὴν cordis *ad* Deum, reverentiam & fiduciam *erga* Deum, ſtudium *Deo* placandi, metum *Deum* offendendi, acquieſcentiam *in Deo*, totalemque *à Deo* dependentiam.

XI. *Actus illi interni* Religionis, ſunt & principium, & menſura *externorum*, conſiſtentium partim in convenienti Dei profeſſione per *doctrinam veritatis*, partim in convenienti Dei cultu per *praxin pietatis*.

XII. Illa verò Dei profeſſio per *doctrinam* demum conveniens eſt, quæ ea de Deo, natura, perſonis, attributis, operationibus & operibus tradit, quæ Scriptura S. de iis partim ἀποφατικῶς per *remotionem* imperfectionum omnium, partim καταφατικῶς per *poſitionem* perfectionum omnium enun-

tiar, ſive id faciat *ἀντιλέξει*, ſive *κατ' ἰδιωτισμὸν*, vel *συναισθήσει*.

XIII. *Deflexus* ab hac profeſſione veritatis eſt vel *major* vel *minor*: *major* in fundamento; *minor* vel *circa* fundamentum vel *præter* fundamentum.

XIV. *In fundamento* deflexus vel *totalis* eſt vel *partialis*. Totalis quando peccatur tum in *objecto* Religionis, tum in *modo* cultus circa illud *objectum* ſimul. *Partialis* quando tantùm peccatur in *modo*. *In objecto & modo* ſimul peccatur partim *apertè*, partim *opertè*. *Apertè* quando vero Deo vel ignorato, vel ſpreto prorſus, ii habentur & coluntur pro Deo qui non ſunt Deus, ſed idola. In hac claſſe conſtituendi ſunt *Gentiles* omnes, quippe qui idola ſubſtituêre pro Deo, & Deum habuêre pro idolo: *opertè* quando veri Dei cultus jactatur, non præſtatur. Ad hanc claſſem pertinent partim *Iudæi* & *Mahumetani*, qui Deum creatorem, ſed extra Chriſtum & ſine eo ſe colere profitentur: partim *Antitrinitarii* omnes veteres & recentes (quales *Sociniani* omnes, & ex *Anabaptiſtis* & *Remonſtrantibus* illi qui Deum quidem per Chriſtum & in eo ſe colere profitentur, ſed vel Deitatem Chriſti & Spiritus S. negant, vel *factitiam* quandam & *ſecundariam* ac *figuratam* Chriſto divinitatem adſcribunt. Ut verò tales in *objecto* cultus ſui totaliter peccant, ſic etiam peccant *in modo*, nec enim modus ullus cultus vel Deo probari, vel legitimus eſſe poteſt, qui in falſum Deum fertur.

XV. Quoad *modum* ſolùm peccatur *in fundamento*, quando vero & Trinuno Deo agnito evertitur doctrina fundamentalis ſive legis ſive Euangelij. *Legis* quidem, v.g. quum verus Deus Triunus habetur pro Deo, & pro Deo colitur, ſed vel colitur in idolis, vel idola ipſa coluntur cum Deo, & in ſocietatem cultus religioſi ſoli Deo debiti vocantur; Quod faciunt *Pontificii*, quorum errores exitiales ſunt: *Euangelii* verò, verbi gr. 1. Quando *perſona* Filii Dei impugnatur, & vera ejus *ἐνανθρώπησις* negatur, quod *Sociniani* omnes, & ex *Anabaptiſtis* multi faciunt. 2. Quando *officium* Filii Dei corrumpitur, & vel *ἱλασμὸς* vel *ἐμφανισμὸς* pro peccatis noſtris extra Chriſtum quæritur, ſive in noſtris aut alienis ſatifactionibus, ſive in interceſſionibus id genus, quod eſt docere aliud Euangelium, Gal.1.6. & aliud fundamentum ponere, 1.Cor.3.11. Et negare unum eſſe mediatorem, 2.Tim.2. quod peccatum peccant *Sociniani* in totum, & *Pontificii* ex parte. 3. Quando ſive *beneficia* ſive *applicatio* beneficiorum Filii Dei corrumpuntur: v. g. quando gratiæ ſalutaris productio, ſive in totum cum *Pelagianis*, ſive ex parte cum *Semipelagianis* tranſcribitur vel *præparationi* antecedenti, vel *cooperationi concomitanti* arbitrii humani, ut cauſæ ſociæ. In quo peccant multi tum ex *Pontificiis*, tum ex *Anabaptiſtis*, *Sociniani* verò omnes, & ſequaces *Iacobi Arminii*, qui in eo etiam fundamentaliter errant, quicquid prætexant ſuo errori. Nec enim gratia agnoſcitur gratia, quæ non in ſolidum talis agnoſcitur. Nec fœtus hic inter Deum & homines dividi poteſt quin perdatur integer.

XVI. *Circa fundamentum* verò deflexus eſt, quando & vera legis de officiis circa Deum & hominem ſententia retinetur, & de perſona, officio ac beneficiis Chriſti & de modo ea applicandi fundamentalis doctrina

tradi-

traditur, ſimul tamen cum illa ſiue *principia*, ſiue *concluſiones* ponuntur, quæ cum fundamenti integritate conſiſtere nequeunt, & illud labefactant, etſi non euertant planè. In hunc cenſum referimus aliquos ex Euangelicis, quos tamen, ut fundamentum ſalvum retinere nobiſcum cenſemus, etſi non omnia fundamenti; ſic pro fratribus habemus, & fidei charitatiſque compagem inter nos conſtare & poſſe & debere arbitramur, quippe qui & *unum* Religionis *principium* juxta nobiſcum ſtatuunt, Scripturam nimirum θεόπνευστον, & *unum juſtificationis* noſtræ coram Deo *fundamentum*, Chriſti Servatoris odedientiam, & *unius Dei cultum*, rejecta idololatria omni directa & indirecta, juxta nobiſcum urgent, & gratiæ ſalutaris collationem, fideique donum unius Dei opus in ſolidum eſſe fatentur, quamvis alia quædam eorundem placita minus hîc ſibi conſtent.

XVII. *Præter fundamentum* verò deflexus eſt, quando vero retento fundamento, peccatur vel circa *quæſtiones problematicas* & *curioſas*, determinando dictatoriè, quæ nec ſcitu neceſſaria ſunt, nec revelata in Dei verbo, vel peccatur circa *ritus* cum ſuperſtitione aliqua conjunctos, & ſic utrimque fœnum & ſtipulæ ſuperſtruuntur fundamento, 1. Corinth. 3. 12. Qualia in Euangelicas quaſdam Eccleſias ſiue à communione cum noſtris alienas, ſiue conjunctas etiam cum noſtris alicubi irrepsêre. Qua in re non σχισματικῶς, nec αἱρετικῶς agendum cenſemus, ſed & errantium ignorantiam erudiendam, & infirmitatem ſubleuandam, & ὑστερήματα deploranda, & omnia remedia adhibenda, quæ Spiritus veritatis, charitatis & manſuetudinis ſuggerere poteſt ſtipulis illis ſiue removendis, ſiue exurendis.

XVIII. Quemadmodum autem ad Religionem veram & recto de Deo judicio, & vero eius amore, & veritatis diuinæ profeſſione conſervatione que opus eſſe cenſemus: ſic & *cultum* Dei ſincerum per *praxin pietatis* exigimus, ut non tantùm ſcientiæ ſed & conſcientiæ noſtræ ratio conſtet, & veritate cum ſanctitate conjuncta, *pietatis* officia Deo, *charitatis* proximo deferantur, & ἐν τῷ ἀληθεύειν ἐν ἀγάπῃ, per ſanctitatis ſemitam decurratur ad metam felicitatis, conſiſtentis partim in viſione conſummata Dei glorificandi, partim in glorificatione conſummata Dei viſi, quæ & ſtudiorum, & ſperum ac deſideriorum noſtrorum objectum, centrum & finis eſſe debent.

DISPVTATIO
DE
LIBERTATE CHRISTIANA.

THESIS I.

LACON quidam interrogatus, quam artem profiteretur, reſpondit Laconicè, *Libertatem*. Vmbratilem ſanè & externam quandam libertatem ſibi vindicârunt multi ex Paganis; vanam & commenditiam quidam ex Philoſophis: *vera* verò *Libertas*, Eccleſiæ peculium eſt, & filiorum Dei, qui ſummum hoc beneficium inter alia à Deo conſequuntur. Illi enim tantùm verè liberi ſunt, quos filius Dei in libertatem vindicat, Ioh. 8. 36.

II. De hac Libertate in præſens acturi, I. κατ' ἄρσιν, ὁμωνυμία vocis laxioris explicata, illas Libertatis ſpecies amoliemur, quæ non pertinent ad inſtitutam ζήτησιν. II. κατὰ θέσιν in Libertatis ſpiritualis, de qua nobis ſermo, & naturam & latitudinem & uſum inquiremus.

III. Vt verò ſeruitutis vox ὁμώνυμος eſt, & diuerſas φύσεις habet, ſic & vox oppoſita *Libertatis*. Sumi verò poteſt, vel *propriè* vel *impropriè* & καταχρηστικῶς. *Propriè*, 1. datur Libertas quædam *ciuilis* vel *politica*, quæ eſt immunitas à ſeruitute ciuili, quæ vel generi debetur & natalibus in *ingenuis*, vel manumiſſioni in *Libertis*. 2. Datur Libertas quædam quæ *Ethica* dici poteſt, quæ voluntatis eſt, & notat τὸ ἑκούσιον oppoſitum τῷ ἀκουσίῳ, ἐλευθερίαν, προαίρεσιν, τὸ ἐφ' ἡμῖν, hoc eſt, facultatem liberè volendi & nolendi, eligendi & repudiandi, tum ſine coactione, tum ſine neceſſitate Phyſica, ea quæ ſub electionem cadunt. Quæ Libertas vulgò *natura* vel *naturalis* vocatur, & diuerſimodè conſiderari poteſt ratione quadruplicis ſtatus hominis, quippe quæ alia fuit in homine *integro*, alia eſt in homine *corrupto*, alia in *inſtaurato*, alia in *glorificato*.

IV. *Impropriè* & καταχρηστικῶς dicta Libertas eſt licentia quid vis audendi & faciendi ſpretis & legibus externis ſiue diuinis, ſiue humanis, & notionibus internis boni & mali, honeſti & turpis, homini naturâ impreſſis.

V. Relictis illis Libertatis acceptionibus, hîc acturi ſumus de Libertate quæ *Chriſtiana* vulgò dicitur vel *Spiritualis*, quam *perſonalem* etiam alij vocant. Illa verò conſiderari poteſt, vel vt *inchoata* ratione initii, in viatoribus hac in vita, vel ut *conſummata*, ratione complementi in comprehen-

henſoribus in patria. Illa ἐλευθερία χάριτος dici poteſt, iſta τῆς δόξης τῶν τέκνων τοῦ Θεοῦ, de illa Apoſtolus Rom. 6.22. & 7.6. Epheſ.1.7. De iſta, Rom. 8.21. illa ἐλευθερία ἀπολυτρώσεως, iſta περιποιήσεως, Epheſ. 1.14. ἀποκαταστάσεως πάντων, Actor.3.21.

VI. Conſummatæ *Libertatis* ſiue *Libertatis gloriæ* diſquiſitionem hîc etiam non inſtituimus, qua ab omni prorſus corruptione, & ab omnibus eius appendicibus vindicabuntur filij Dei, quando plenè apparebit, quid & quales futuri ſumus, 1.Iohan.3.2. Sed de illa tantùm, quæ inchoata eſt, & filiis Dei in via ad patriam competit.

VII. Hâc ratione acceptâ *Libertatis Chriſtianæ* voce deſcribi poteſt, ſtatus felix filiorum Dei, tum redemptorum per Chriſti ſanguinem, tum renouatorum per eius Spiritum, in quo immunes à maledictione & ἀκριβείᾳ Legis, à reatu & dominio peccati, à tyrannide Sathanæ & mortis, à ſcrupuloſa ceremoniarum, legum forenſium Moſaicarum, rerum mediarum, & quarumvis traditionum humanarum in cultu Dei obſeruatione, ſecundùm fidem & charitatem, in iuſtitia & ſanctitate ambulant, & animo ſimul ac corpore ſponte & alacriter in Dei cultum & obſequium feruntur, ad Dei gloriam, & ſuam ſimul ac aliorum ſalutem, Eph. 1.7. Tit.3.5. Rom.7.6. Gal.3.13. Rom.6.22. Rom.8.2. Gal.5.1.

VIII. *Cauſa efficiens* huius Libertatis conſiderari poteſt duplex, *principalis & inſtrumentalis. Principalis* eſt tum Deus pater qui *idoneos nos fecit ad participandam ſortem ſanctorum in luce, qui nos liberauit à poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij ſibi dilecti*, Col.1.12.13. Tum Filius, Ioh.8.36. Gal. 5. 1. *in Libertate, quâ Chriſtus nos liberauit, perſtate.* Tum Spiritus S. *ſi Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege*, Gal.5.18. 2.Cor.3.17. *vbi Spiritus ille Domini ibi Libertas.* Cauſa προηγουμένη nulla datur præter σπλάγχνα ἐλέους Dei noſtri, Luc.1.78. & meram εὐδοκίαν τοῦ θελήματος αὐτοῦ, Epheſ.1.5. *qua nobis benedixit omni benedictione ſpirituali in Chriſto.* Cauſa προκαταρκτική nec ſunt præparationes humanæ, nec merita hominum, ſed perfecta Chriſti ſatisfactio & efficax interceſſio, quarum illa libertas ſpiritualis vnà cum beneficiis aliis filiis Dei acquiſita, iſta illis & applicatur & conſervatur.

IX. *Cauſa inſtrumentalis* hîc etiam duplex concipi poteſt, *externa* una, doctrina nimirum & prædicatio Euangelii ἡ ἀλήθεια κατ' ἐξοχὴν, Ioh.8.32. quâ Libertas illa plenè promulgatur. *Interna* eſt fides, quâ Libertatem illam recipimus, & aditum habemus in gratiam per quam ſtamus, Rom. 5.2.

X. *Materia* hujus Libertatis conſiderari poteſt dupliciter, vel *circa quam*, vel *in qua*. Illa *objectum* Libertatis Chriſtianæ, iſta *ſubjectum* dici poteſt. *Objectum* Libertatis illius ſunt omnia illa in quibus ſpectatur, & in quibus conſiſtebat ſervitus illi oppoſita, quæ partim mala ſunt, partim oneroſa, v. g. maledictio & rigor legis, reatus & dominium peccati, imperium Sathanæ & mortis, jugum ceremoniarum Leuiticarum, ſcrupuli conſcientiæ circa rerum mediarum vſum, & traditionum humanarum obſervationem, & alia id genus.

XI. Circa iſta omnia occupatur Libertas Chriſtiana, & ex vera ejus cognitione conſcientiæ filiorum Dei partim tranquillantur, partim diriguntur; tranquillantur ob abolitionem quorundam & malorum & onerum, diriguntur in legitimo reliquorum vſu.

XII. Legis maledictionem primò quod attinet, per Libertatem Chriſtianam conſcientiæ filiorum Dei certæ redduntur, illam abolitam per ſatisfactionem Chriſti, Chriſtum nos redemiſſe ab execratione legis, dum ipſe pro nobis factus eſt κατάρα, Gal.3.13. & nullam eſſe amplius condemnationem in iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, Rom.8.1.

XIII. Rigori quinetiam & coactioni Legis intercedit Libertas Chriſtiana, non tantùm maledictionem tollendo, ſed & moderando τὸ ἀκριβοδίκαιον illud & jus ſtrictum, *Hoc fac, & viues: Qui fecerit hæc, viuet in eis*, quaſi nulla ſit ad cœlum ſcala, niſi in perfecta Legis obſervatione, à qua qui tantillum recedat, minis & pœnis ejus ſit obnoxius, ſine veniæ & gratiæ ſpe. Quin & Libertatis Chriſtianæ compotes non trahit amplius Lex ut ſervos, ſed ducit ut filios, nec terret formidine pœnæ, ſed allicit virtutis amore, ut ſpiritu adoptionis præditos, Rom. 8. 14. 15. ut populum ſpontaneum, Pſal. 110. 3. Non illi Legem intuentur ut exactorem durum, cum ſcutica urgentem obſequium, & non probantem niſi omnibus numeris abſolutum, ſub interminatione maledictionis æternæ: Nec affectiones peccatorum per Legem amplius vigent in membris illorum ad fructum ferendum morti, Rom. 7. 5. accenſo per mandatum cupiditatum fomite, & irritatâ hominis prauitate. Quin potius liberi à Lege, mortuo eo in quo detinebantur, ſerviunt in nouitate ſpiritus, Rom. 7. 6. non ſecundùm carnem ambulant, ſed ſecundùm ſpiritum, Legem intuendo, meditando, guſtando ut ſuavem, ut ſanctam, ut regulam vitæ, ut lucernam pedibus, vt perfectionis omnigenæ, ad quam filijs Dei vnicè contendendum, lineam vltimam.

XIV. Impium itaque & profanum *Antinomorum* ſiue veterum ſiue recentium dogma toto pectore execramur, qui à reſtricta Legis moralis abrogatione abſolutam inferunt, & quia aculeus Legi quoad maledictionem & rigorem ſubductus, concludunt, γνῶσιν ejus & πρᾶξιν proſcribendam eſſe ex Eccleſia Chriſtiana. Imò hâc ratione perpetui vigoris eſt & eſſe debet inter filios Dei, tum ratione *notitiæ*, & theoricæ & practicæ, quia cognoſcenda illa, amanda, ruminanda & quoad bonum, quod proponit, & quoad obſequium, quod jubet, & quoad minas, quibus terret, tum ratione *obſervationis*, quia amplexanda, ſequenda, ut regula vitæ, norma perfectionis, ἔλεγχος ἀδυναμίας, occaſio & argumentum humiliationis, adeoque ſecundariò ut pædagogus ad liberatorem & ſalutem alibi quærendam. Libertas enim Chriſtiana conſiſtit in ſervitute juſtitiæ & ſtudio ſanctimoniæ, Rom.6.18. ἐλευθερωθέντες ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ. Petro 1. Epiſt. 11. 16. æquipollentia ſunt, ἐλεύθεροι & δοῦλοι Θεοῦ, qui ex lege diſcunt, & quid fieri debeat, & quomodo, & quo gradu, & quo ordine, unde vitæ Chriſtianæ ad legem Dei collatio inſtruit, dirigit,

dirigit, corripit, coercet, dejicit, ſed coercitione & dejectione ſalutari, quæ humanitatis radix eſt, non deſperationis.

XV. Inſignitam itaque injuriam faciunt Scriptores Pontificij Eccleſiis noſtris, dum immani convitio hanc illis dicam impingunt, Libertatem Chriſtianam à nobis converti in licentiam & relaxationem ab omni lege, omni obſequio: ſatis eſſe Chriſtianum juſtificari fide, de cætero reddi ἀδέσποτον αὐτόνομον, ſuæ ſpontis, ſolutum lege, nec præceptis obnoxium, nec prohibitionibus conſtrictum, quibus gemina nobis impingit *Bellarminus* lib.11. de iuſtificatione cap.1. *poſſe hominem ſalvari, etiam ſi nulla bona opera faciat, nec mandata divina cuſtodiat* Sic cap.5. *Aduerſarij*, inquit, *in eo ponunt Chriſtianam Libertatem, vt nulli legi ſubjecti ſint in conſcientia & coram Deo,&c. Moſen cum ſuo decalogo ad eos nihil pertinere. Nos verò*, addit, *cum Tridentino Concilio docemus, homines Chriſtianos & iuſtificatos,non eſſe liberos ab obligatione præceptorum Dei, &c.* Scilicet hîc eſt candor hominum illorum, hic ſtatus controuerſiæ inter nos & Romanenſes? Eâdem ſophiſticâ operosè ibidem probat, legem Moſis, quæ ad mores pertinet, à Chriſto & Apoſtolis approbatam, & fidelibus ad obſervandum traditam, quaſi de eo inter nos litigii ſerra reciprocaretur.

XVI. Nec verò Libertas Chriſtiana conſideratur tantùm reſpectu legis moralis, ſed & reſpectu peccati, tum quoad ejus *reatum*, tum quoad ejus *dominium*. De illa enim edocti & perſuaſi in conſcientiis ſuis,norunt reatum peccati abolitum per ſui iuſtificationem, & ſentiunt dominium illi ablatum & innatam prauitatem coercitam per ſui renouationem & ſanctificationem. Non tantùm nullam eſſe condemnationem in iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, Roman.8.1. ſed & legem Spiritus vitæ nos liberos reddere à lege pecccati, verſ.2. Chriſtum nobis factum & δικαιοσύνην & ἁγιασμὸν, 1.Corinth.1.30. ne regnet peccatum in mortali corpore noſtro, Rom.6.12.

XVII. Vt verò beneficium prius perfectum eſt, ſic poſterius eſt imperfectum, quamdiu ſumus in via ad patriam, & πλήρωσις ſanctificationis reſervatur comprehenſoribus in patria: Delectamur quidem lege Dei quod ad interiorem hominem: ſed videmus aliam legem in membris noſtris rebellantem legi mentis noſtræ,Rom.7.22.23. Ex parte cognoſcimus, ex parte diligimus. Habitat ergo adhuc peccatum in fidelibus, ſed non regnat, & tributarium eſt ſpiritui, etſi quandoque iugum eius excutiat, non ſine lucta tamen & coercitione ſequente.

XVIII. Eo ipſo verò quo per Libertatis Chriſtianæ cognitionem filij Dei certi redduntur de liberatione ſui à lege & peccato, de qua ſupra actum, eo ipſo certi etiam ſunt & perſuaſi de liberatione ſui à tyrannide Diaboli, & imperio mortis, Sathanam eſſe ſub pedibus ſuis, rugire quidem & ambulare, quærendo quem deuoret, ſupplantare etiam quandoque ad tempus, ſed cum victoria finali filiorum Dei è tentatione eluctantium, ut qui illius membra ſunt, illius ſpiritu roborantur, qui particeps factus carnis & ſanguinis, ut per mortem aboleret eum qui mortis

habet imperium, hoc eſt, Diabolum, Hebr. 11.14. Sic *mortis temporariæ* natura mutata in filiis Dei quibus eſt tranſitus ad vitam, Ioh. 5.24. migratio ad Chriſtum, Phil. 1.23. liberatio à corpore mortis, Rom. 7.24. *Mortis* verò æternæ nullum prorſus in filios Dei jus, quæ enim abſorbet impios, abſorpta illis eſt in victoriam, 1. Cor. 15.54.

XIX. Pertinent verò etiam ad objectum Libertatis Chriſtianæ *ceremoniæ Legales*, quæ ſub œconomia Veteris Teſtamenti erant pædagogus ad Chriſtum, Gal. 3.24. & teſſera populi fœderati, μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ, & obtinere debebant μέχρι καιροῦ διορθώσεως, Hebr. 9.10. Harum non cognitionem, ſed obſervationem abrogatam docet Libertas Chriſtiana: Lex enim præceptorum, quæ in ritibus, abolita, Epheſ. 2.14. corpore ipſo, & expreſſa rerum forma exhibitis, Col. 2.17. Hebr. 10.1. Nec inde dignitati ceremoniarum illarum quicquam derogatur, vel Legislatoris conſtantiæ & immutabilitati, apud quem nulla παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, Iac. 1.17.

XX. Tametſi autem abolitæ fuerint ceremoniæ, & jugum illud ἀβάστακτον à cervicibus Chriſtianorum remotum, factum id tamen per certos gradus, & Synagoga cum honore funerata fuit, & ad ſepulturam paulatim deducta, tum quoad jus, tum quoad cognitionem & praxin juris illius uniuerſalem, & ceremoniæ primò ex viuis mortuæ, ex neceſſariis arbitrariæ redditæ, poſt ex mortuis mortiferæ, ex arbitrariis illicitæ, nunquam refodiendæ, non magis quàm ſepulchra violanda, poſt plenariam Euangelij promulgationem, & Templi Hieroſolymitani, ſedis ceremoniarum ſacrarum, demolitionem.

XXI. Sic *leges forenſes & iudiciales*, quæ Iudæis quondam imperatæ, Libertas Chriſtiana abrogatas docet, non ἁπλῶς, ſed κατά τι non quà juris communis erant, hactenus enim æterni vigoris ſunt, & obſequii perpetui, ſed quà juris erant particularis latæ Iudæis reduplicativè quà talibus, diſtinctiuæ illorum à Paganis, & accommodatæ ad genium & gentis & regionis, eatenus enim illarum non cognitio, ſed obſervatio abolita. Si quæ ex illis miſti generis occurrunt, ſingulis ad ſuum genus revocatis, facilè conſtabit, quid in iis diſpenſabile ſit, quid indiſpenſabile.

XXII. Non minima verò Libertatis Chriſtianæ pars eſt, immunitas conſcientiarum *ab imperio humano*, in genere cultus diuini, & actibus religioſis per ſe talibus. Hactenus enim nulli Legislatori obnoxiæ ſunt, præterquam illi qui ſolus poteſt ſeruare & perdere, Iacob. 4.12. qui unus eſt. Sic filij Dei norunt ſe pretio emptos eſſe, nec debere eſſe ſeruos hominum, 1. Corinth. 7.23.

XXIII. Nec tamen Eccleſiæ omnis poteſtas Leges ferendi abrogata, vel omnes omninò traditiones humanæ proſcribendæ, diſtinguendæ enim traditiones *dogmaticæ à ritualibus*, circa illas Eccleſia poteſtatem νομοθετικὴν non habet, habet tamen circa iſtas, ſed his cautionibus, ut revocentur ad genus Apoſtolicum, & dici poſſint εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν inſtitutæ, 1. Corinth. 14.40. adeoque nec ridiculæ ſint, nec inanes, nec ſuperſtitio-

ſtitioſæ, nec ex paganiſmo vel Iudaiſmo deriuatæ, nec exæquentur Legibus diuinis, ſiue quoad dignitatem, ſiue quoad neceſſitatem, nec obtrudantur Eccleſiæ Chriſtianæ ſub opinione meriti & cultus Dei per ſe, & quæ ſunt alia id genus.

XXIV. Utut verò conſcientia nullum niſi Dei dictamen admittat, illud tamen nihil prorſus derogat juri Magiſtratus in ſubditos nec fibulam laxat Libertinorum furoribus: Magiſtratum enim & à Deo eſſe, & Dei λειτουργὸν διάκονον agnoſcimus & profitemur, nec ſeruitutem corporalem & Libertatem Spiritualem inter ſe arietare pro comperto habemus, Rom.13.1.4. 1.Cor.7.21. Aſſerimus quin etiam cum Apoſtolo Rom.13.5. non tantùm propter iram, ſed & propter conſcientiam parendum Magiſtratui, ratione mandati generalis, quo ſancitur obſequium Magiſtratui debitum.

XXV. Verſatur verò etiam Libertas Chriſtiana circa *res medias*, & filios Dei in earum vſu dirigit, ut enim res & actiones diuerſorum generum ſunt, quædam bonæ & præceptæ à Deo, quædam malæ & prohibitæ, quædam medii generis, nec bonæ nec malæ *in genere moris*, ut loquuntur Scholæ, nec præceptæ nec prohibitæ quoad ſpeciem & actum, adeoque quæ & præſtari poſſunt, & omitti, ſine culpa: ſic Libertatis Chriſtianæ gnari hîc eius ductu inter duo extrema vitioſa medium & rectum tenent curſum, inter ſuperſtitionem nimirum & licentiam.

XXVI. Suggerit illa filiis Dei duplicem Canonem *fidei* unum, *charitatis* alterum, priori naturam rerum diſcernunt, præcepta à prohibitis, media ab utriſque diſtinguunt, & πληροφορίαν habent ἐν τῷ ἰδίῳ νοΐ, Rom. 14.5. poſteriori praxin circa res medias ſiue in omittendo, ſiue in committendo ad proximi ædificationem dirigunt, poteſtatis tamen & Libertatis ſuæ probè ſibi ſemper conſcii, ſed quâ utendum norunt ad ædificationem, non ad deſtructionem, non Libertatem ſibi præcidendo ſed ejus exercitium moderando, nec ob res medias temerè alios damnando, vel ſcandalum ponendo fratri. De quibus omnibus prolixè Apoſtolus Rom.14.

XXVII. Docet hîc etiam Libertas Chriſtiana diſtinctionem objectorum, quibus cum filiis Dei negotium eſt. Aliter illi agendum norunt cum illis qui ἀσθενοῦσι τῇ πίστει, aliter cum illis qui ſunt ἐλαμπόντας ἀδελφοὺς, γνησιωμένοι quibus non notitia deeſt, ſed candor, ſed probitas. Qua in re Pauli praxin & prudentiam ſequuntur, diuerſimodè cum diuerſis agentis, Petri imprudentiam cauent, qui circa praxin illam lapſus, Gal.2.11.

XXVIII. Nec Libertas Chriſtiana obſtat, quominus rerum mediarum uſus coerceri poſſit & circumſcribi legibus partim Eccleſiaſticis, partim Politicis, quibus parendum norunt filii Dei quando imperantur ab iis qui authoritatem habent, modò id fiat ſine ſuperſtitione, ſine ſanctitatis & cultus peculiaris, ſine meriti, & neceſſitatis abſolutæ & perpetuæ, & aliis id genus appendicibus. Sic enim non conſcientiæ illorum ligantur, ſed Loco-motiua tantùm cohibetur, nec eo ipſo Libertatis ſuæ & notitia

DISPVTATIO
DE
MINISTRORVM ECCLESIÆ *Chriſtianæ vocatione, & eorundem functionibus.*

THESIS I.

Capite verò Eccleſiæ Chriſtianæ, Diſputatione ſuperiore, aſſerto, quod & *interno influxu*, & *univerſali directione*, & *ſuprema authoritate* eam gubernat, progrediendum ad conſiderationem Miniſtrorum, quorum interventu eam partim *collectam* vult, partim *directam*.

II. Horum Miniſtrorum expendenda, 1. *Vocatio*, 2. *Miniſteria vel functiones*. *Vocatio* quidem, quia ut nec *politicæ*, nec *œconomicæ* functiones occupandæ ſine authoritate, ſic nec Eccleſiaſticæ, ſed *miſſio* expectanda, ad Rom.10.15. & *vocatio inſtar Aaronis*, ad Hebr.5.4. *Miniſteria* verò, vel functiones, tum ut conſtet qualem Eccleſiæ gubernandæ *formam* inſtituerit Dominus, tum ut partim *natura*, partim *latitudo*, partim *diſtinctio* munerum Eccleſiaſticorum nobis innoteſcat.

III. *Vocationem* quod attinet, *duplex* illa eſt, *interna* una, *externa* altera. *Interna* conſiſtit partim in donorum neceſſariorum ad ſacrum miniſterium *collatione*, partim in inſtinctu ſive *inclinatione* dona illa ad Eccleſiæ ædificationem collocandi. Quæ quidem vocatio ad αὐτάρκειαν Miniſtrorum ſacris operantium *per ſe* facit, aliis verò neceſſaria cognitu non eſt, nec niſi *à poſteriori* innoteſcere poteſt.

IV. *Externa* vocatio vel *extraordinaria* eſt, vel *ordinaria*. *Extraordinaria*, qua Deus vel in *conſtitutione* Eccleſiæ Chriſtianæ, vel in ejus collapſæ *reſtitutione* uſus eſt, qualis fuit Prophetarum Veteris, & Apoſtolorum aliorumque virorum Apoſtolicorum Novi Teſtamenti.

V. *Ordinaria* vocatio eſt, quâ Deus vel in Eccleſiæ Chriſtianæ *conſtitutæ*, vel in ejus *reſtitutæ* adminiſtratione utitur, & conſiſtit partim in legitima vocandorum *electione*, partim in legitima electorum *ordinatione*.

VI. *Miniſteria* vel *functiones* Eccleſiaſticas pro diverſa vocationis ratione partimur in *extraordinarias*, & *ordinarias*. *Extraordinariæ* functiones extra

ordinem ad tempus inſtitutæ fuerunt, partim *Apoſtolorum*, partim *Apoſtolicorum virorum*.

VII. *Apoſtoli* fuerunt Miniſtri extraordinarii, qui Eccleſiæ colligendæ adhibiti, & partim immediata vocatione, partim Prophetico lumine, partim infallibili Spiritus S. directione, partim miraculorum χαρίσμασι, partim univerſali in omnes Eccleſias inſpectione, adeoque extraordinaria authoritate inſtructi fuère, Matth.10. & 28. ad Galat.1.1. ad Epheſ.4.11.&c.

VIII. *Viri Apoſtolici* fuère, 1. *Prophetæ*, 2. *Euangeliſtæ*, 3. LXX. *Diſcipuli*. *Prophetæ*, qui extraordinario Spiritus Sancti afflatu & rerum variarum arcanarum cognitionem, & Scripturarum interpretandarum facultatem ſingularem, & donum illam variis linguis ad Eccleſiæ ædificationem impendendi in Eccleſia Chriſtiana naſcente habuerunt, 1.Cor. 12.9.10. Eph.4.11.&c.

IX. *Euangeliſtæ* fuère viri Apoſtolici, qui vel præter Apoſtolos Euangeliis ſcribendis manum divina inſpiratione & ductu admoverunt, vel Apoſtolis vicariam operam ſive in conſtituendis, ſive in gubernandis etiam Eccleſiis præſtiterunt, quales fuère Silas, Timotheus, Titus, alii.

X. LXX. *Diſcipuli* Miniſtris extraordinariis accenſeri poſſunt, qui à Chriſto ad regni ſui in Iſraele præparationem & inchoationem adhibiti fuère, Luc.10.11.&c.

XI. *Ordinariæ* functiones in Eccleſia ſunt, quæ non ad tempus duntaxat, ſed ordinariè Eccleſiæ ſiue *inſtituendæ*, & *regendæ* ſimul, ſiuè *regendæ* tantùm ad finem uſque mundi ſunt deſtinatæ.

XII. Sunt verò functiones illæ ordinariæ, 1. *Paſtorum*, 2. *Presbyterorum* Paſtoribus contradiſtinctorum, 3. *Diaconorum*.

XIII. *Paſtores* ſunt, qui partim ad *inſtituendam*, partim ad *regendam* Eccleſiam Chriſtianam ſunt vocati, & quibus tum *doctrinæ* & Sacramentorum ejus appendicum, tum *diſciplinæ* adminiſtratio conjunctim commiſſa eſt, ad Eph.4.11.12. Hos vocat Scriptura promiſcuè ἐπισκόπους, προϊσταμένους, ἡγουμένους, ποιμένας, πρεσβυτέρους, δούλους, λειτουργοὺς, οἰκονόμους, Actor.20.28. 1.Theſſ.5.12. & Hebr.13.7. & Eph.4.11. Act.20.17. 2.Tim.2.14. & Rom.15.16.& Col.1.7. 1.Cor.1.4.

XIV. Horum Paſtorum Ordinariorum *æqualitatem*, quoad dignitatem muneris, in Scriptura fundari cenſemus, Act.20.28. Philip.1.1. 1.Tim. 3.2. 1.Petr.5.1.2.3. Tit.1.5.7. *inæqualitatem* in conſtitutionibus duntaxat humanis, adeoque *Epiſcopi* & *Presbyteri* diſtinctionem non *divini præcepti*, ſed *humani* tantùm *inſtituti* eſſe judicamus, quæ bono fine introducta ſenſim abiit in faſtum & tyrannidem in Eccleſia Romana. Tametſi verò *æqualitatem* Paſtorum, ut in divina conſtitutione fundatam, præferendam cenſeamus, *inæqualitatem* tamen omnem non abſolutè damnamus, ubi ea *ordinis* tantùm ſervandi, non *juriſdictionis* exercendæ gratia introducta eſt, nec pro *neceſſaria*, vel *divino præcepto* conſtituta habetur, nec ad functiones verbo Dei nullo modo definitas extenditur, qualis alicubi in Eccleſiis

Eccleſiis Reformatis uſurpatur diſtinctio *Superintendentium*, *Inſpectorum*, vel *Antiſtitum* & *Paſtorum* aliorum. Ut enim ea quæ regiminis Eccleſiaſtici *ſubſtantiam* ſpectant, ex ſolo Dei verbo definienda ſunt, ſic circa *regiminis* externi *formam* libertatem aliquam Eccleſiis permiſſam cenſemus, tale regimen inſtituendi, cum cautionibus neceſſariis, quod pro locorum & hominum genio ad ædificationem magis facit, & à Hierarchia Pontificia prorſus alienum eſt: & ad finem illum refertur, quem Paulus præſcribit, 1.Cor.14.40.

XV. *Presbyteri* contradiſtincti Paſtoribus ſunt, qui non Eccleſiæ *inſtituendæ*, ſed *regendæ* duntaxat vacant, nec *doctrinæ*, vel ejuſdem *appendicum*, ſed *diſciplinæ* tantùm, cum Paſtoribus adminiſtrandæ ſubſidiariò adhibentur, ſcandalis partim impediendis, partim detegendis, partim coercendis, & ordini Eccleſiaſtico procurando, deſtinati, 1.Corinth.12.8. & Rom.12. 1.Timot.5.17. Presbyteros iſtos ad munus Eccleſiaſticum vocatos perperam *Laicos* vocari cenſemus.

XVI. Ex Paſtorum & *Presbyterorum* horum, qui *ſigneianiæ* *Seniores* vocari ſolent, collectione conſtituitur *Presbyterium*, vel cœtus ordini in Eccleſia ſervando, ſcandalis vel impediendis, vel avertendis, cenſuris Eccleſiaſticis ſtringendis, & iis omnibus quæ ad ædificationem faciunt promovendis, quæ verò ei intercedunt Eccleſiaſticis mediis legitimis, vel præcavendis, vel amovendis vacans, Matth.16,17. 2.Tim.1.6.

XVII. *Diaconi* ſunt miniſtri ærario ſacro colligendo, conſtituendo, diſtribuendo, & pauperum, ac infirmorum curæ deſtinati, & ad munus iſtud ab Eccleſia vocati, Actor.6.2.3.&c. Quibus in Eccleſia primitiva accenſebantur *Diaconiſſæ*, 1.Tim.5.9.

XVIII. *Presbyterorum* & *Diaconorum* iſtorum functiones *perpetuas* eſſe præſtaret, quàm *temporarias*, exemplo Eccleſiæ Apoſtolicæ, nec tamen petulanter & protervè traduci debet neceſſaria aliorum pro aliis ſubſtitutio, cum id quod muneri iſti *eſſentiale* eſt ſalvum manet, nec enim talium munus ex *duratione*, ſed ex *ſubſtantia* adminiſtrationis metiendum eſt.

XIX. Doctrinæ Orthodoxæ de *vocatione* Miniſtrorum Eccleſiæ Chriſtianæ repugnare cenſemus, 1. commentum *Socinianorum* ſingularem vocationem ad miniſterium ſacrum requiri negantium. 2. Dogmata *Anabaptiſtarum*. Contendentium. 1. Vocationem & ſelectionem miniſtrorum, non niſi exquiſitis viritim omnium Eccleſiæ membrorum ſuffragiis, legitimam eſſe. 2. Manuum impoſitionem neceſſariam eſſe ad confirmationem functionis iſtius. 3. *Pontificiorum* qui vocationem legitimam ab Eccleſia Romana, ejuſque capite & canonibus ſuſpendunt.

XX. Doctrinæ Orthodoxæ de *functionibus* Miniſtrorum Eccleſiæ Chriſtianæ repugnat, 1. *Schwenckfeldianorum* in publicum verbi miniſterium, ut non neceſſarium, in curſantium, delirium. 2. *Anabaptiſtarum*, Diaconis etiam verbi prædicationem publicam committendam

contendentium error. 3. *Pontificiorum*, commenta, Hierarchiam Dei verbo nullatenus innixam conſtituentium, & Pontificem Oecumenicum, Cardinales, Patriarchas, Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, Archi-Mandritas, Exorciſtas, Acoluthos, Sacrificulos, Canonicos, Curiones, cum aliis id genus examinibus in Eccleſiam introducentium, quorum nec *nomina*, nec *officia*, in Scriptura traduntur; nec cum iis quæ de functionibus ſacris in ea proponuntur, conciliari poſſunt.

DISPVTATIO

SUPER

NOMINIBVS SCHISMATICIS impoſitis Eccleſiis Chriſtianis.

QVÆSTIO,

AN ECCLESIÆ CHRISTIANÆ ab ullo homine denominari debeant.

DECISIO I.

QVum factioſis nominibus variis ſcindatur Dei Eccleſia, & aliqui nomenclationem iſtam non tantum adoptari poſſe arbitrentur, verum etiam eam actu adoptent: Alii contra nec nomina id genus vel ſuis cœtibus præſcribant, vel præſcribi ab aliis velint, diſpiciendum paucis, quæ ſententia hic ſecundum *veritatis & charitatis* Leges obtinere debeat, ut & honori Eccleſiarum, earumque paci, quantum fieri poteſt, conſulatur. Partem *negativam* hic non tantum ut meliorem, ſed ut ſolam veram adoptandam cenſemus. Illam verò tueri conabimur, 1. Argumentis *inartificialibus* teſtimonii. 2. *Artificialibus* rationis.

II. *Prioris generis* argumenta dividi poſſunt. 1. In ea quæ ducuntur *ab auctoritate divina*. 2. In ea quæ ducuntur *ab auctoritate humana*.

III. Ab *auctoritate divina*, argumentantur 1. Ex loco 1. Corinth. 1. 12. 13. Ex quo duci poteſt argumentum unum *generale*, & *ſpecialia* tria. *Generale* eſt: Quod Paulus graviſſimè perſtrinxit jam olim in Eccleſia Co-

rin-

rinthiaca, id haudquaquam admittendum in Eccleſia Chriſtiana. Nomina id genus factioſa & ſchiſmatica Paulus graviſſimè perſtrinxit in Eccleſia Corinthiaca: Ergo talia, non ſunt admittenda. *Majoris conſequentia* patet: *Minor* probatur ex 1.Cor.1.12. *Hoc autem dico ſingulos veſtrum dicere; Ego quidem ſum Pauli; Ego autem Apollo; Ego autem Cepha.* Et argumentum eò fortiùs ſtringit ductum à *minori majori ad minus.* Si in eo peccabatur ab aliquibus, quod ſe denominarent à Paulo etiam & Cepha, præclariſſimis licet Apoſtolis, quorum & ſumma dona fuêre, & eximia in Dei Eccleſiam merita, quippe qui ut Doctores [illegible] & extraordinarii prorſus non rigarunt tantùm Eccleſias, verum etiam eas plantarunt, adeoque quibus longè major debebatur ὑπεροχὴ: Multò magis peccabitur ab iis, qui volent factioſa id genus nomina Doctorum minorum gentium vel ultrò adoptare, vel impoſita ferre, aut diſſimulare, adeoque morbum Eccleſiæ Corinthiacæ ſpernere, & Apoſtolum nimiæ ſeveritatis accuſare.

IV. *Specialia* argumenta ſunt, 1. Quod Chriſtum dividit vel lacerat, non eſt ferendum. Nomina id genus ſchiſmatica dividunt Chriſtum. Ergo non ſunt ferenda. *Minor* patet ex v. 13. ejuſdem capitis. Notum verò, Chriſtum, vel ſumi hîc ratione *muneris* & ὑπεροχῆς quæ illi ſoli competit in Eccleſias, vel Chriſtum intelligi *myſticè* conſideratum cum ſuo corpore, quod eſt Eccleſia, cujus unitatem ſcindunt & lacerant, qui in partes eunt. 2. Qui pro nobis non ſunt crucifixi, illorum nomina haudquaquam vel adoptanda ſunt, vel præſcribenda. Nulli Doctores pro nobis ſunt crucifixi. Ergo. *Major* eſt Pauli. *Minor* per ſe evidens. 3. In quorum nomen non ſumus baptizati, ab illorum nomine denominandi non ſumus. In nullius Doctoris nomen ſumus baptizati. Ergo. *Major* denuo Pauli eſt. *Minor* ex ſe patet. Ex his evidens eſt unum duntaxat dari fundamentum denominationis, ab eo nimirum ductum, qui pro nobis crucifixus fuit, & in quem baptizati ſumus, quod nulli mortalium competere, ἀδύνατον eſt.

V. 2. Ex loco 1.Corinth.III.4.5.6.7. *quatuor* argumenta duci poſſunt. I. Quod eſt & ſignum & opus hominum carnalium, id ab Eccleſia Chriſti removendum. Denominatio à Doctoribus, &c. Ergo. *Major* denuò patet. *Minor* eſt in textu. Σαρκικοὺς enim eſſe ſumitur ibi à Paulo [illegible], non vel *phyſicè* vel *ſubjectivè*, pro habere ſubſtantiam carnis, & carnem circumferre, vel in carne vivere, ſed *ethicè* & *adjectivè*, pro *ſecundùm carnem vivere*, hoc eſt, indulgere dictamini & cupiditatibus carnis, corruptæ nimirum, prout ſumitur Rom.VII.14. II.Cor.I.12. & 1.Petr.II.11. Dicitur verò hoc oppoſitè, ad illos qui dicuntur πνευματικοί. Prout alibi τὰ σαρκικὰ Apoſtolo ſunt vel τὰ [illegible], ut 1.Cor.IX.11. vel τὰ ὅπλα, ut II.Cor.X.4. vel τὰ [illegible], ut Rom.XV.27. Hebr.VII.16. II. Quòd contentiones & diſſidia fovet in Eccleſia Chriſtiana, id ex eâ proſcribendum. Denominatio à Doctoribus id facit. Ergo, &c. *Major* clara, κατ' ἄνθρωπον enim *ambulare*, ſcilicet τὸ ζῆν, eſt humanis affectibus duci, ad hominum plauſum

& placita ſe componere, & opponitur ambulationi κατὰ Θεόν vel ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, Luc.1.6. κατ' ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, 2.Corint.11.17. III. Qui ſunt Miniſtri tantùm per quos credimus, qui plantant tantùm & rigant, immò qui nihil ſunt, ab illis Eccleſia denominari non debet. At quivis Doctores tales tantùm ſunt. Ergo, &c. Et argumentum denuq duci poteſt à *majori ad minus*. Si ne Paulus quidem & Apollo aliud ſunt quam διάκονοι ſignificatu generico, hoc eſt, משרתים *Miniſtri*, minus majori loco habendi ſunt alij, qui illis innumeris modis ſunt inferiores. IV. Ab illo tantùm Eccleſia denominari debet, qui dat incrementum. At ſolus Deus dat incrementum. Ergo.

VI. *Excipiunt* adverſarij. 1. Diſtinguendum eſſe inter denominationem *ſchiſmaticam* & *diſcretivam*, priorem improbari à Paulo locis illis non poſteriorem. 2. Paulum improbare denominationes iſtas à variis Doctoribus reſpectu illorum, qui conſentiebant in fide, non reſpectu aliorum qui circa eam, & ejus dogmata diſſentiunt. Alias itaque denominationes ſupervaçaneas, iſtas tales non eſſe. 3. Paulum perſtringere illos qui hærebant vel ſuæ grauitati, vel Apollo eloquentiæ, vel Petri auctoritati, ſpreto Chriſto. 4. Prohiberi etiam à Paulo locis illis nomina Chriſto *repugnantia*, quale Muhamedis & aliorum id genus, vel ei *coordinata*, qualia dantur in Papatu à *Dominico*, à *Franciſco*, & aliis qui velut Redemptores coordinantur Chriſto. Non verò prohibita eſſe nomina *ſubordinata* Chriſto, qualia ſunt quæ ſumuntur vel à veræ fidei Doctoribus aut aſſertoribus, vel ab eorum doctrina. Sic aliqui dicunt, ſe Lutheranos dici à Luthero, nomine illo ſumpto non *perſonaliter*, ſed *doctrinaliter*, habita ratione non perſonæ Lutheri, ſed doctrinæ ab ipſo reſtitutæ.

VII. Sed nequicquam iſta obtenduntur nominibus perperam vel ultrò adoptatis, vel impactis alius doctrinæ profeſſoribus quod patebit ex ἀνασκευῇ ſingularum. Nec vel ab imprudentia, vel à εὐηθείᾳ excuſari poſſunt qui ſiue hæc, ſiue alia nomina id genus ſchiſmatica vel ſibi ipſis præſcribunt, vel nobis etiam reclamantibus & quiritantibus impingunt.

VIII. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Συγχωρητικῶς, *per conceſſionem*, denominationem *diſcretivam* non improbari hoc loco à Paulo, quæ videlicet eſſet merè talis, adeoque iuſta, & veritati ac charitati attemperata, nec cum Chriſti injuria conjuncta. Tales verò eſſe nomenclationes ab hoc vel illo Doctore priuato ductas, ſupponitur, non probatur, quippe cujus nec auctoritati innituntur Eccleſiæ, nec doctrinæ quà ab illo profectæ; immò cujus & doctrina & nomen ſæpe à multis ignoratur. 2. Ἀρνητικῶς & *per negationem*, nomina à Doctoribus id genus ducta, non eſſe ſchiſmatica, quum enim & lites foveant & diſsidia inter partes, & vel odiosè imponantur aliquibus contra ipſorum & mentem & voluntatem, ab aliis verò ultro adoptentur, & plus hominib. tribuant, quam illis debetur, utique ſunt ſchiſmatica non diſcretiua tantùm. Ex litibus enim & diſsidiis ſuper religione oriuntur ſchiſmata. 3. Κατὰ τὸ δίκαιον exceptio iſta retorquetur: Si liceat petere nomina diſcretiua à Doctoribus, vel ea aliis imponere etiam

nolenti-

nolentibus: Paulus non debuit abſolutè improbare aliquos inter Corinthios ſe Pauli dicere, alios, Apollo, alios, Cephæ, proclive enim fuiſſet talibus excipere, ſe iſtis denominationibus ut diſcretivis tantum uti. Atqui Paulus *abſolutè* tales denominationes perſtringit. 4. Adde eadem planè argumenta quæ Paulus opponit partibus iſtis inter Corinthios, opponi poſſe nominibus illis, quæ vel affectantur ab aliquibus, vel affinguntur aliis. Annon dicere, ſe Lutheri eſſe, vel Calvini, æquè malè dicitur; ac ſe Pauli eſſe, vel Cephæ? Immo ſi denominatio à præſtantiſſimis etiam Apoſtolis ducta qui ut periti architecti fundamentum jecerunt Eccleſiarum, 1.Cor.3. vitioſa eſt, multò magis vitioſa eſt ea quæ ducitur à Doctoribus minorum gentium. 5. Fundamenta denominationis *falſa*, quæ removet Apoſtolus, & quæ addit, oſtendunt nomenclationem iſtam abſolutè à Paulo improbatam. Falſa ſunt, nomen velle ducere à miniſtris per quos credidimus, qui plantant tantùm & rigant, & qui *nihil* ſunt *ethicè* non *phyſicè*, hoc eſt, exiguæ & dignitatis & poteſtatis. *Vera* ſunt: nomen ducere ab eo qui pro nobis crucifixus eſt, in cujus nomen baptizati ſumus, qui ſolus dat incrementum.

IX. Ad 2. *Exc: Reſp.* 1. Supponi, non probari, nullum prorſus fuiſſe inter partes illas divortium in fide. Quid ſi aliqui ex ὑποκρίσει à Petri judaizantis in praxi, Gal.11.13. &c. ceremonias Judaicas poſtliminiò velut revocari voluerint, alii verò Pauli doctrinam ſecuti eas rejecerint? Adde 1.Corinth.xi.18. legi diſſidia inter Corinthios fuiſſe, immò & αἱρέσεις inter eos eſſe debere. Immò ſi nullum planè inter partes illas fuiſſet divortium, circa fidem, cur Apoſtolus hac ratione non utitur, non debere eos diverſas id genus nomenclationes ferre, eò quod unam eandemque omnes profiterentur fidem? Cur alia quærit, nimirum eos ſcindere Chriſtum, & nomina ducere ab illis qui non fuêre pro nobis crucifixi, in quorum nomen baptizati non fuimus, qui miniſtri tantùm ſunt plantantes & rigantes. Eo ipſo itaque docuit Paulus in Dei Eccleſia denominationes id genus nulla ratione uſurpari debere. 2. Supponitur denuò gratis, non dari nomina diſcretiva alia vel *à locis*, vel *à confeſſionibus*, vel ab aliis id genus κριτηρίοις aut fundamentis διακριτικοῖς, per quæ aliqui ſufficienter à ſe invicem diſcerni poſſint, ſine læſione vel veritatis vel charitatis, ſine obtrectatione etiam & contumelia Chriſti. Haudquaquam itaque licitum talia adhibere quæ & veritati ſunt adverſa & charitati, & cum contumelia Chriſti conjuncta. 3. Peccatur *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*, & diſtinguendus diſſenſus in fide vel circa fidem fundamentalis, in præcipuis Religionis Chriſtianæ capitibus, à diſſenſu in fide vel circa fidem, in paucis non directè fundamentum evertentibus, ſed malè fundamento ſuperſtructis. Prioribus ut apertè hæreticis nomina Patriarcharum hæreſium ſuarum impingi poſſunt, prioribus non item.

X. Ad 5. *Ex. Reſp.* 1. Supponi denuò gratis, tales inter Corinthios hæſiſſe Doctoribus ſuis, ſpreto Chriſto. Atqui quum Doctores illi, Paulus,

Cephas, Apollo Chriſtum unum prædicarent, urgerent, immò duo priores ſe diſertè Apoſtolos illius profiterentur, quî poterant illi adhærere Doctorib. ſuis, ſpreto Chriſto? Vel ergo negandum, hoc à ſanctis illis Doctoribus factum, nec diſcipulos ſuos ab iis ad Chriſtum unum manuductos, vel falſum eſt, tales hæſiſſe Doctoribus ſuis ſpreto Chriſto. Et qui illi potuêre ſpernere Chriſtum, qui ſe Chriſtianos & Chriſti diſcipulos profitebantur & tam à Synagoga quàm à gentiliſmo ſeceſſerant? 2. Adde Paulum abſolutè perſtringere Corinthios propter iſta nomina partibus ſuis præſcripta, nec illis impingere quod ſpreto Chriſto Doctoribus ſuis hærerent, ſed ex fundamentis aliis quæ hodieque communia ſunt illis, qui ejuſmodi nomenclationes à Doctoribus ſuis vel ducunt vel ferunt, vel dant vel probant. *Inſt.* Chriſto ſpreto id ab illis factum ex eo probari, quod aliqui ſe Chriſti eſſe profiterentur, 1. Cor. 1. 12. Ergo reliqui qui illis contradiſtinguuntur ibidem non ſe profitebantur Chriſti eſſe. *Reſp.* 1. Peccari *paralogiſmo non cauſæ.* Nec enim aliqui ſe à Paulo vel Cepha denominabant, ut diſtinguerentur ab illis qui ſe denominabant à Chriſto, & quaſi ſpernerent Chriſtum, ſed quia non contenti denominatione à Chriſto ſuperaddebant nomina id genus ſpecialia generali illi nomenclationi. 4. Peccatur *Elencho oppoſitorum*, nec enim opponuntur non Chriſtiani Chriſtianis, ſed affectantes nomina ſchiſmatica illis, qui vero Chriſtianorum nomine duntaxat gaudebant, & fortè ultimo loco velut minima Corinthiorum pars, qualis plerumque ſanior eſſe ſolet, collocantur.

XI. Ad 4. Exc. 1. *Reſp. Per conceſſionem*, prohiberi nomina repugnantia Chriſto: Talia verò ſunt nomina à Luthero, Calvino aliiſque ducta, æquè ac nomina ducta à Paulo vel Cepha, immò quæ magis adhuc repugnant Chriſto, & ſemper honorem Chriſti in creaturas transferunt. 2. Κατὰ τὸ βίαιον: Si licet nomina petere ſubordinata à veris fidei Doctoribus vel aſſertoribus, vel Paulus & Cephas tales non erant, vel licita erat nomenclatio ab illis ducta, adeoque à Spiritu Dei perſtringenda non erat. An etiam Doctores à quibus nomina id genus ducuntur, ſuperiores cenſeri poſſunt vel præſtantiores Apoſtolis iſtis eximiis, & Doctoribus δευτέροις quum tamen illi ἀρχέτυποι ſint, iſti ἀπόγονοι? 3. Supponitur non probatur nomina id genus *doctrinalia* potius eſſe quàm *perſonalia.* At 1. Idem proclive erat Corinthiis excipere, nomina à ſe à Paulo vel Cepha ducta *doctrinalia* eſſe, non *perſonalia.* 2. Supponitur gratis, nomina id genus non perſonas potius quàm doctrinam perſonarum audientium animis impingere. 3. Supponitur denuò, doctrinalia nomina meliora non dari quam ab hoc vel illo Doctore privato. 4. Si à Doctoribus ob reſtitutam ab illis doctrinam nomenclatio petenda ſit, magis petenda erit ab illis à quibus non primùm tantùm, ſed ἄνωθεν etiam tradita fuit, v.g. ab Apoſtolis, nec ſtringet hic Pauli argumentum. 5. *Lutherus*, eximium Dei organum, ipſe non tantùm graviter damnat iſtam denominationem à ſuo nomine, verùm etiam ex eodem fundamento,

quo

quo à nobis id genus nomenclationes impugnantur, nimirum quod pro nemine crucifixus ſuerit, nec aliquis debeat nomen accerſere vel à Paulo vel à Petro. Vide Tom. 11. Operum Lutheri Germanicorum.

XII. Sin meritò nomina id genus nec gerere debent, nec imponere aliis ab eximiis etiam Doctoribus, ii qui Chriſto uni ſe hærere profitentur, multò magis graviſſimè peccatur in Eccleſia Romana ab illis, qui à Seraphicis Doctoribus ſuis,&Patriachis familiarum ſuarum nomina ducunt, & alij ſe *Dominicanos Franciſcanos* alii dicunt, alii alia id genus nomina adoptant,ut qui & ſervi hominum fiunt,& in diſciplinam ſuperſtitionibus immanibus refertam ſe dant, & hominibus obedientiam cœcam vovent,& in obedientiam Deo debitam graviſſimè impingunt. Et ſanè, ſi Eccleſia Corinthiaca jam olim in partes varias ſciſſa fuit, quod alii nomen peterent à Paulo, vel Cepha, vel Apollo, multò magis lacera eſt Eccleſiæ Romanæ facies,ubi vix memoria hominis ſufficere poteſt familiis Monaſticis enuntiandis, quæ vel ab hominibus,vel à ſuperſtitioſis id genus inſtitutis nomina ſua derivare & ducere hodieque ſolent, eaque Sectis ſuis ultrò μετὰ πάσης ἀσελγείας præſcribere.

XIII. 3. Ex loco Matth.XXIII.8. & 10. *Vos autem ne vocamini Rabbi, unus eſt enim Doctor veſter, nempe Chriſtus, omnes autem vos fratres eſtis*, quadruplex argumentum duci poteſt, collato cum loco 2.Cor.1.24. *Non quod dominemur veſtræ fidei, ſed quod adminiſtri ſimus gaudij veſtri*. 1. Si unus eſt Doctor noſter, nempe Chriſtus, ſupremus nimirum vel auctor doctrinæ ſacræ, à quo illa orta, & à quo auctoritatem habet, & qui abſolutè audiri debet, ab uno Chriſto denominatio in Eccleſia petenda eſt. At Chriſtus eſt unus Doctor noſter. *Conſequentia majoris* patet, quia ſi Doctorum inferiorum, & ſubalternorum eatenus ſit habenda ratio, ut ab illis ducatur denominatio, ſequetur innumera nomina eſſe introducenda, & in partes innumeras ſcindendam Eccleſiam. 2. Si omnes fratres ſunt in Eccleſia, etiam Apoſtoli, nomen à nullo eſt petendum. Nec enim fratres à fratre aliquo nomen ducere ſolent. 3. Quæ denominatio honorem Chriſto ſoli competentem communem facit diſcipulis ejus, illa vitioſa. Iſta,&c. Ergo. *Ratio conſequentiæ*, quia fratribus, & diſcipulis & ſervis tribuit id quod eſt Domini. 4. Qui non dominantur noſtræ fidei,ſed ſunt adminiſtri gaudii noſtri, ab iis denominatio petenda non eſt in Eccleſia. At nulli Doctores dominantur fidei noſtræ,ſed tantùm ſunt adminiſtri gaudii noſtri. Ergo,&c. *Ratio conſequentiæ* evidens, quia à ſolo Domino, non verò à miniſtris familia nominari & ſolet & debet.

XIV. *Exc.* 1. Chriſtum prohibere affectationem ipſorum Doctorum, quales erant Phariſæi, qui ſe efferebant ſupra alios. 2. Non exæquari à ſe Doctores inferiores Chriſto,ſed ſubjici. 3. Denominationem iſtam à Doctoribus non magis tollere fraternitatem quàm denominationem à Chriſto, qui tamen ipſe nos fratres ſuos vocat Ioh.XX.17. 4. Illam denominationem hominibus duntaxat tribuendam non eſſe, quæ eos dominos fidei noſtræ cònſtituit, & negat eſſe adminiſtros gaudii noſtri.

Hoc verò haudquaquam à ſe fieri ejuſmodi nomenclatione.

XV. Fruſtra verò etiam iſta omnia obtenduntur. Ad 1. *Except. Reſp.* 1. Peccari *Elencho oppoſitorum*, quaſi cum affectatione Doctorum titulos id genus ſibi arrogantium non ſimul perſtringeretur ἄντικρυ diſcipulorum, titulos ſuperbos & Chriſto injurios illis tribuentium. Qui enim prohibet rem, prohibet etiam attributionem rei. 2. *Κατὰ τὸ βίαιον*: Ex quo ſequitur elatio aliorum ſupra alios, id cauendum. At ex iſta denominatione ſequitur. Ergo illa cavenda. 3. *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον*; Si ſpecialis ibi detur applicatio vel appropriatio ad Phariſæos ſecundùm genus doctrinæ, id ad alios applicari non poſſe.

XVI. Ad 2. *Exc. Reſp.* 1. Falſum ſupponi, nulla ratione tales exæquari. At exæquantur in iſta denominatione. Nec enim omnimoda ſolùm exęquatio diſcipulorum cum Domino prohibetur, ſed *aliqualis* etiam, qualis datur in iſta nomenclatione. Vt enim diſcipuli à Chriſto, Chriſtiani, ſic à Luthero, Lutherani, à Calvino, Calviniani dicuntur in Eccleſia. 2. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid*, aliud eſt, exæquari ex intentione vel opinatione hujus vel illius; aliud, exæquari re ipſa & ſecundùm rei veritatem.

XVII. Ad 3. *Exc Reſp.* 1. Peccari falſa *ſuppoſitione*, ſic non tolli fraternitatem; inauditum enim, fratres à fratribus nomen ducere, nec talia dicuntur niſi à patribus vel naturalibus vel adoptivis vel ab iis qui pro talibus habentur. In religione verò alius pro tali haberi non debet. 2. Peccari *Elencho parium*. Alia ratio Chriſti, qui ita per συγκατάβασιν ultroneam nos fratres, amicos vocat, ut ſimul ſe Magiſtrum & Dominum noſtrum & quidem pro jure ſuo teſtetur. Nulli verò inter homines iſta nomenclatio conjunctim tribui poteſt.

XVIII. Ad 4. *Exc. Reſp* 1. Falſum ſupponi, aliquam tantùm denominationis ab aliis ſpeciem in Religione prohiberi. Atqui quævis prohibetur. 2. *Κατὰ τὸ βίαιον* Quod homines dominos fidei noſtræ conſtituit, id iis haudquaquam tribuendum. Quævis denominatio ab hominibus hoc facit reipſa. Nec hîc ſpectanda intentio hujus vel illius, ſed rei natura. Ut enim quia Chriſtiani vocamur, Chriſtus Dominus fidei noſtræ conſtituitur: Sic ſi Lutherani vel Calviniani vocemur, Lutherus vel Calvinus fidei noſtræ Dominus conſtituetur. Superioritatem hoc dicere & dominium patet ex eo, quia Eccleſiæ hoc privilegium eſt, & ἐξοχὴ à nomine Dei nominari, Eſai. LXV.1. Jer. XIV.9. Dan. IX.13. Jac. II.7. Ergo haudquaquam creaturis ullo modo tribui debet. Ex quibus etiam locis peculiare argumentum exſtrui poteſt.

XIX. Authoritatibus divinis accedunt *humanæ* Doctorum veterum, qui denominationes id genus Eccleſiis haudquaquam tribui debere, jam olim cenſuêre. Sic è *Græcis Athanaſius* Orat. II. contra Arianos, graviſſimè perſtringit Arianos quod à Doctore ſuo, Ario vocari vellent Ariani, & docet, nunquam populum *ἐπωνυμίαν denominationem* ſuam habuiſſe ἀπὸ τῶν διδασκάλων, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ Κυρίου, εἰς ὃν καὶ τὴν πίστιν ἔχομεν. Et addit, quamvis beati Apoſtoli

Apoſtoli præceptores noſtri fuerint, & adminiſtraverint Euangelium Domini, ἐκ δὲ ἐκείνου οὐκ ἐκλήθημεν, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ χριστοῦ χριστιανοὶ καὶ ἐκ αὐτοῦ ὀνομαζόμεθα. Minus ergo nomenclatio à Doctoribus aliis duci bebet. Oſtendit etiam, denominationem non eſſe ducendam niſi ab iis à quibus origo fidei ducitur, & docet hæreticis Marcionitis, Manichæis, Valentinianis, Meletianis & aliis id genus, ſolenne fuiſſe eam à Doctoribus ſuis ducere. Sic *Epiphanius* contra Marcionem in ἐπωνυμίαν ab hominibus ductam invehitur, & oſtendit, nunquam auditas fuiſſe in Eccleſia Apoſtolica denominationes id genus, ſed nomen Eccleſiæ omnes unum indidiſſe, non de ſeipſis, ſed Domini ipſorum Jeſu Chriſti. Idem ab Eccesia amolitur *Chryſoſt.* homil. 33. in Act. Apoſtolorum, & idem hæreſiarchis impingit. Adde *Nazianzenum* Orat. xxxvi. diſertè nomenclationem id genus velut indignam hominibus rejicientem. *E Latinis* hoc ipſum rejiciunt *Hieronymus* in Dial. contra Luciferianos, qui hoc non Eccleſiæ Chriſti, ſed Synagogæ Antichriſti eſſe profitetur, Chriſtianos ab alio quàm à Chriſto nuncupari. Sic Ambroſius in 1. ad Cor. 1. dicit diſertè, Chriſtum ſic dividi, & tales ſu's nomine ſuo Eccleſias facere multas. Id ipſum impingit ibidem Hæreticis, quod Ariani Donatiſtæ, Manichæi vocari non abhorreant. Novimus etiam ex *Euſebio* & Scriptoribus Eccleſiaſticis aliis, unam & Eccleſiæ in genere, & ſingulorum fidelium denominationem fuiſſe quod *Chriſtiani* eſſent. Hoc nomen & ſuis cœtibus & ſibi præſcripſerunt, & unum quidem, quamvis à diverſis Doctoribus & eximiis quidem ac glorioſiſſimis Martyribus fidem ſibi traditam haberent, & hoc unum nomen ſanguine ſuo inter equuleos & cruces obſignarunt. Sic *Lactantius* lib. iv. de Sap. c. xxx. dicit, Chriſtianos eſſe deſiiſſe, qui Chriſti nomine amiſſo humana & externa vocabula induerunt. Chriſti verò nomen amittere in præcedentibus illos oſtendit, qui Nouatiani, Valentini, Marcionitæ aut Ariani nominantur.

XX. *Argumenta artificialia*, hoc eſt, *Rationes* auctoritatibus compendio adjici poſſunt. 1. Nec in Veteri nec in Novo Teſtamento ejuſmodi denominationes ab hominibus ductæ Eccleſiis præſcriptæ fuêre. Ergo nec hodie ipſis præſcribi debent, eoque minus quod nulli Doctores hodie accedant ad dignitatem Prophetarum & Apoſtolorum, qui olim Eccleſias vel docuêre vel reſtauravêre. 2. Ab omni *ſpecie* mali abſtinendum, ſiue ſumatur vox εἴδους πονηροῦ ſiue ἐπινοιῶν. Ergo & ab hac ſpecie, qua vel *ſervi hominum* fieri cenſemur, vel Miniſtri Domino exæquari videntur. 3. Scandalum iſtis nominibus objicitur tum illis qui ſunt in Eccleſia, tum illis qui ſunt extra Eccleſiam. Ergo ab iis abſtinendum. Iis qui ſunt in Eccleſia, quia vident Chriſtum ſcindi, hominibus tribui honorem qui iis non debetur: Adverſariis calumniarum & cavillorum materiam objici, infirmos offendi, æmulationes, contentiones foveri. Iis qui ſunt extra Eccleſiam Chriſti, qui eam ut regnum in ſeipſum diviſum ſpectant, ab illorum communione abhorrent, qui inter ſe communionem nec habent, nec fovent, & cultum quem profitemur non à Deo, ſed ab

hoc vel illo homine, cujus nomen præſcribimus, inſtitutum cenſent. 4. Alienationis omnis animorum occaſiones & cauſæ cavendæ. Nulla verò major datur, quàm ſi in huius vel illius Doctoris privati verba iuremus, & eos velut anteſignanos veneremur, in eorum diſciplinam nos demus, & eorum dicta ac ſcripta mordicus tueamur, adeoque illi reddantur velut αὐτόπιστοι & ἀναμάρτητοι à quibus nomen ducimus. Et quum tales quibus hâc ratione velut ſacramentum dicimus, in contraria ſæpè eant, hinc partes & partium ſtudia naſcuntur creſcuntque. 5. Dantur nomina διακριτικὰ longè meliora ſiue à confeſſionibus, v. g. Belgicâ, Helveticâ, Gallicâ, Bohemicâ, &c. ſiue à locis in quibus potiſſimi talium cœtus ſunt, ut v. g. Albigenſes, Palatini, Wittebergenſes, ſiue à dogmatibus, ſic v. g. quidam συνουσίας & Ubiquitatis Doctores, quidam vel utriuſque vel alterutrius opugnatores, ſine loligine tamen & convitio, dici poſſunt, qualia etiam fuêre nomina illorum qui *ſub una*, vel *ſub utraque* retro dicti fuêre. Sic alia id genus innoxia nomenclationum fundamenta dantur à quibus nomina duci poſſunt, qualia, v. g. in Belgio ſunt nomina Remonſtrantium & Contra remonſtrantium. 6. Denominationis à perſonis fundamentum *duplex* tantùm datur, unum *phyſicum* ab origine *naturali*, ſic v. g. Abrahamidæ dicuntur qui ab Abrahamo, Iſraelitæ qui ab Iſraele nomen ducunt. Alterum *politicum* & *œconomicum* à Dominis vel heris in quorum familia hi vel illi cenſentur, & ab illis nomen habent. At Doctores neutra notione fundamentum denominationis iſtius ſuppeditare poſſunt. 7. Si ab hoc vel illo Doctore nomen ducendum foret, vel id foret ratione *fundationis*, vel ratione *confirmationis*, vel ratione *amplificationis* Eccleſiarum, vel ratione primæ *inſtitutionis* in veritate, vel ratione excellentiæ *donorum perſonalium*, vel ratione excellentiæ *laborum* & onerum pro Dei cauſa exantlatorum, vel ratione *benedictionis* divinitùs laboribus illorum conceſſæ. At nullum ex membris iſtis omnibus pro fundamento denominationis id genus ſubſterni poteſt, quum iſta omnia Prophetis & Apoſtolis longè ſublimiori modo competant, nec tamen vel ductum fuerit ab illis nomen, vel ducendum. 8. Nec ob præſentes in Eccleſia primitiva diviſiones, nec ob futuras & prædictas nomina eiuſmodi ſchiſmatica vel uſurpata, aut præſcripta, aut conceſſa legimus. Ergo nec hodie uſurpari debent. Tales & varias quidem actu jam olim fuiſſe διχοστασίας patet ex 1. Cor. XI. 18. 19. 2. Corint. XI. 14. 2. Petr. 1. 1. Ioh. II. 18. 19. *Futuras* etiam fuiſſe & prædictas patet ex Matth. XXIV. 23. 24. Act. XX. 29. 2. Theſ. II. 3. 4. &c. Plura id genus argumenta addi poſſunt, quæ nomenclationes iſtas ab hominibus ductas Chriſtum verè & ex animo colentibus ac ſequentibus inviſas reddere debent. Quid verò de conventiculis apertè hæreticis & fundamenta fidei directè evertentibus ſentiendum ſit, alio loco prolixius demonſtratum dabimus.

DISPVTATIO II.

DE
NOMINIBVS SCHISMATICIS *impoſitis Eccleſiis Chriſtianis.*

Thesis I.

DEMONSTRATVM Diſputatione ſuperiore, à Schiſmaticis & factioſis nominibus abſtinendum eſſe in Eccleſia Chriſtiana, & argumentis partim *inartificialibus* teſtimonii, partim *artificialibus* rationis oſtenſum, cur id fieri debeat. Ne verò indicta cauſa vel conſuetudinem vel praxin inter multos receptam damnare videamur, fundamenta, quibus nituntur, ſiue ſibi nomen, quod honorificum credunt præſcribendo, ſiue nomina, quæ infamia vel odioſa cenſent, aliis impingendo, excutienda ſunt. Quæ pari methodo, in *inartificialia* diſtinguimus & *artificialia*, terminis iſtis non tam *abſolutè* conſideratis, quàm *comparatè*.

II. *Inartificialia* ſunt primò, 1. Ex *authoritate diuina.* 2. Ex *authoritate humana.*

III. I. Ex *authoritate Diuina* nomenclationes id genus ex his locis probari vel defendi poſſe videntur 1. *Argumentum* ducitur *à neceſſitate diuini mandati*, ex loco Jerem. 15. 19. Quod Deus injunxit verbi præconibus, id improbari non debet. Diſtinctionem falſorum doctorum per nomina *diſcretiua* injunxit Deus. Ergo, &c. *Majoris conſequentia* patet. *Minor* probatur ex verbis Prophetæ, ubi illis injungitur, ut diſcernant *pretioſum à vili.* Diſcretio verò talium dari nequit, ſi non diſtincta habeant nomina. *Reſpond.* 1. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid:* Quod Deus injunxit, ea ratione qua id injunxit, & *reduplicatiuè quà* id injunxit, id improbari non debet. At ſic minor falſa eſt, Deum injunxiſſe vel ibi, vel alibi, ut Schiſmaticæ id genus denominationes in populo ſuo adhiberentur, quod eſt petere τὸ ἐν ἀρχῇ. 2. Peccatur *ignoratione Elenchi:* nec enim abrogatur diſtinctio falſorum doctorum à veris per nomina *diſcretiua*, ſed tantùm per nomina *ſchiſmatica*, odioſa & factioſa, ducta à perſonis horum vel illorum doctorum. 3. Peccatur itidem *à dicto ſecundùm quid:* Diſtinguendi enim falſi doctores fundamentum ipſum *directè* euertentes, & illi, qui, vel illud ſeruant intactum, vel illi ligna, fœnum, ſtipulam tantùm ſuperſtruunt,

vel in fundamentum *indirectè* tantùm, & *per conſequentiam* demum ſiue revera impingunt, ſiue impingere videntur. De priori hominum genere quæſtio hic non eſt, ſed de poſteriore tantùm, 4. Peccatur παρερμηνείᾳ loci Jeremiæ, qui non loquitur de diſtinctione verorum & falſorum doctorum, vel cœtuum diverſorum per ſuos doctores, quippe qualis diſtinctio inaudita fuit in Eccleſia Judaica Ieremiæ temporibus, ſed agit tantùm directè de officio Prophetæ, cuius eſſet diſtinguere pios ab impiis, bonos à malis, illos confirmare, eoſque Dei promiſſis erigere, malos contra & refractarios minarum diuinarum propoſitione revincere & confundere. Quod per *antithesin* opponitur praxi falſorum Prophetarum, qui pulvillos ſubſternebant axillis malorum, & victuras prædicabant animas, quæ non erant victuræ, mentiendo apud populum Dei, Ezech. 13. ℣. 18. 19. Item, atterebant animam juſti & confirmabant manus improbi, ℣. 22. Idem etiam oppoſitum illis inter Sacerdotes, qui vim faciebant legi, & profanabant res ſanctas, & inter ſanctum & profanum non diſcernebant, inter impurum & purum, v. gr. in Ceremoniis, oblationibus, Sabbathorum obſervatione, & aliis id genus, quæ ad cultum Dei pertinebant. Quid hoc ad probationem nominum id genus Schiſmaticorum? Haudquaquam verò illationem generalem, & applicationem *hypotheſeos* ad *theſin* improbamus, modò diſcretio vilis & pretioſi instituatur legitima & conveniens pietati & charitati, quod non fit impoſitione nominum id genus Schiſmaticorum.

IV. II. *Argumentum* ducitur ex loco Matth. 7. verſ. 15. Qui ſibi cauere debent à Pſeudoprohetis, & alios de iiſdem cauendis præmonere, illi debent eos diſtinguere per nomina diſcretiua. Diſcipuli Chriſti ſibi cavere debent, &c. Ergo *Maj. Conſequentia* clara videtur, quia ſine diſcretione nominum Pſeudoprophetæ caveri non poſſent, ſaltem ab auditoribus. *Minor* patet ex verbis Chriſti. *Reſp.* 1. Peccari *ignoratione Elenchi* ex parte *ſubjecti*, nec enim litigamus ſuper hoc argumento de Pſeudoprophetis, quales erant, v. gr. Barjeſus, Act. 13. 6. & quales deſcribit Petrus 2. Epiſt. Cap. 2. verſ. 1. Qui ſubintroducunt hæreſes exitiales. 2. Peccatur *elencho à dicto ſecundùm quid.* Diſtinguenda enim nomina diſcretiua purè talia, & legitima ac innocua ab iis quæ odioſa ſunt & injuſta, & ſchiſmata vel faciunt vel facta fovent. Sine talibus verò ſeductores facilè caveri poſſunt. Nec cautio quævis vel neceſſaria vel probanda, ſed quæ conſiſtit intra limites debitos, & cum moderamine inculpatæ tutelæ. 3. Pſeudoprophetæ dicuntur tales ὁμωνύμως, & qui ὄντως tales, & qui tales φαινομένως duntaxat. Tales itaque reuincendi prius quàm perſtringendi.

III. *Argumentum* ducitur ex loco Phil. 3. 2. Qui debent obſervare *canes* & *malos operarios*, debent diſtinguere canes ab aliis expreſſione nominis. Chriſtiani debent obſervare canes. Ergo, &c. *Reſp.* 1. Peccatur eodem *paralogiſmo, ignoratione* nimirum *Elenchi* ex parte *ſubjecti,* nec enim nobis de omnibus verè talibus ſermo, hoc eſt, impuris & inverecundis doctoribus ad vomitum priſtinum reuertentibus, 2. Petr. 2. verſ. 22. quales olim ejiciendi

ciendi è Sanctuario, vel potius non admittendi, Apoc.22.15. 2. Eodem *Elencho* peccatur ex parte *prædicati*, nec enim improbatur expreſſio debita nominum neceſſariorum, ad diſtinctionem doctorum, expreſſio tantum nominum odioſorum injuſtè afflictorum improbatur, qualis haudquaquam neceſſaria ad obſervationem & diſtinctionem canum.

VI. *Argumentum* ducitur ex loco Tit.1.11.& 13. Quibus eſt os obthurandum, & qui ſeverè ſunt redarguendi, ii nominibus diſcretiuis ſunt diſtinguendi. Vaniloquis & mentium ſeductoribus eſt os obthurandum, &c. *Majoris conſequentia* patet. *Minor* eſt in textu. *Reſp.* 1. Peccari denuò *ignoratione Elenchi*, & de mentium ſeductoribus revera talibus, & de nominibus merè diſcretivis innocuis & legitimis, nulla nobis controverſia. Controverſia tantùm eſt de iis qui habentur pro ſeductoribus, tales verò haudquaquam ſunt, & de nominibus odioſis, quæ illis affinguntur.

2. Retorquetur hoc ipſum κτ' ἡ β.αιον : Si os obthurandum ſeductoribus, & illos ſeverè redarguendos doceat Paulus, nec tamen vel talibus etiam nomina doctorum ſuorum impacta velit, minus à nobis nomenclationes id genus impingendæ iis qui tales non ſunt.

VII. V. *Argumentum* ducitur ex Actor.23.v.6. Si Paulus ſe *Phariſæum* vocat, licebit & aliis id genus nomina diſcretiva ſibi imponere. Verum *antecedens*. Ergo & *conſequens*. *Antecedens* probatur ex loco allegato. *Conſequentia* patet: Vel enim bene ea in re egit Paulus, vel malè: Si malè, Apoſtolo dica ſcribitur: Si bene, idem hodieq; nobis licere debet. *Reſp.* 1. Peccatur *ignoratione Elenchi*, nec enim nomina diſcretiua purè talia averſamur, ſed ea duntaxat, quæ vel Schiſmatica ſunt, vel αἱρετικὰ & σχισματικά.

2. Peccatur alia etiam *Elenchi ignoratione*, quia diſputatur de nomenclatione ducta à certis doctoribus, v. g. *Luthero, Calvino*: Tale verò non eſt nomen Phariſæorum, quod non hominis fuit ſed ſectæ. Nominabantur verò Phariſæi ab inſtituto vitæ, non quaſi פרצים ἀποκεκριμένοι, nec quaſi פורשים vel פרשים ἐξηγηταὶ ſcilicet κατ' ἐξοχὴν *antonomaſticè*, ſed quaſi פרושים vel פרישין aut emphaticè פרישיא ἀφωρισμένοι *Epiphanio* interprete, Hær. XVI. διὰ τὸ ἀφωρισμένους εἶναι αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἄλλων διὰ τὴν ἐθελοπερισσοθρησκείαν τὴν παρ' αὐτοῖς νενομισμένην. Quid quæſo hoc ad nomina perſonalia? 3. Peccatur *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον. Paulus hic ſemel duntaxat ob peculiarem cauſam ſe Phariſæum vocat: Ergo & hanc nomenclationem ſibi impoſitam vult, & ſimiles Chriſtianis denominationes imponi vult. Cauſa verò cur id à Paulo factum oſtenditur initio verſus, ut Phariſæos ad ſui adeoque ad veritatis in hoc articulo defenſionem excitaret, à quibus nouerat hoc ipſum dogma de reſurrectione mortuorum contra Sadducæos defendi; unde addit ſe *ſuper ſpe & reſurrectione mortuorum*, id eſt, ſuper *ſpe reſurrectionis mortuorum per ἓν διὰ δυοῖν*, in jus vocari, quaſi dicat, hanc cauſam ſibi communem eſſe cum Phariſæis, ut habetur verſ.8. à quibus ipſis & inter quos hauſerit iſtud dogma, adeoque illorum etiam eſſe id contra hoſtes communes tueri. Quod ſanctæ & opportunæ prudentiæ erat. Vnde videmus στάσιν, h. e. ריב παραπικρασμὸν *diſſidium* ſtatim obortum

fuiſſe inter utroſque ſuper ea re. Hoſtes verò veritatis inter ſe committere veritati melius tuendæ licitis modis, veritate aliqua probata, haudquaquam illicitum, præſertim quando alicui, ut hic Paulo, res eſt cum hominibus iniquis, qui conjunctim veritatis oppreſſioni, conſpiratione quadam facta, ſtudent, quales ſeparari æquum eſt, & regnum Sathanæ dividi. Alibi Paulus ſe talem non vocat ratione *ſtatus præſentis*, ſed *præteriti* tantùm, ut Phil.3.v.5. Nomina verò factioſa, de quibus nobis lis eſt, non vel adoptantur ab aliquibus, vel imponuntur aliis ad committendos veritatis hoſtes, ſed ad Schiſma duntaxat in Eccleſia Chriſtiana fouendum. *Inſt.* At Paulus non amplius erat Phariſæus, cur ergo ſe talem vocat, ut qui non Phariſaiſmo duntaxat, ſed & Judaiſmo planè renuntiauerat, v. 7.8. quî itaque ſe talem veritate ſalva vocare poteſt? *Reſp.* 1. *Enallagen temporum* frequentem eſſe, & *præſentis* pro *imperfecto*. Sic *Chryſoſtomus* in hunc locum, ὑποδύεται οὐδὲ ἐνταῦθα, φαρισαῖον ἑαυτὸν λέγων, φαρισαῖος τὸ ἦν ἐκ προγόνων. Exemplum ſimilis *enallages* habemus Iohan. 8. verſ. 8. *Antequam Abraham eſſet*, ἐγώ εἰμι *ego ſum* pro ἦν *eram*. Sic Metaphraſtes Iohannis ἐγὼ πάλαι. Sic Pſal. 90.2. *antequam montes* eſſent, σὺ εἶ, *tu es* in verſione Græca. Hanc expoſitionem ſuppeditat ipſe Apoſtolus Act. 26.5. ἔζησα φαρισαῖος. 2. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid*, & *fallacia diuiſionis*: dividuntur enim componenda. Nec enim Paulus dicit *ſimpliciter* & *abſolutè*, ſe Phariſæum eſſe, ſed quoad hunc articulum ob quem in jus vocabatur ſuper ſpe reſurrectionis mortuorum, ſe nimirum in hoc dogmate cum Phariſæis facere, non cum Sadducæis. Hactenus ſanè adhuc etiam Phariſæus erat, & ipſi dogmati veriſsimo hærebat. Cæteroquin & Phariſaiſmi profeſsionem, & omnia Iudaiſmi σκύβαλα à ſe abjecta non tantùm profitetur, ſed & gloriatur Apoſtolus Philip. 3.6.7.8.

VIII. VI. *Argumentum* ducitur ex Apoc. 2.6.8. Si Spiritus S. Nicolaitis nomen imponat à Sectæ ſuæ auctore, licebit nobis nomina etiam illorum Sectis aliis præſcribere qui eas condidêre. Verum *Antecedens*, priori enim in loco *operum*, poſteriori *doctrinæ Nicolaitarum* aperta fit mentio. Ergo & *conſequens*. *Reſp.* 1. Peccatur *paralogiſmo* παρὰ τὸ ἑπόμενον ob elenchum *ex particularibus*. Nec enim idem nobis ſemper licet, vel licere debet, quod licuit Spiritui Sancto in Scriptura loquenti. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, ſi illorum nomina præſcribenda, qui religionem aliquam condunt, Chriſtianorum nomen Eccleſiis noſtris præſcribendum erit, *Calvinianorum* vel *Zuinglianorum* non erit. A Chriſto enim & ſolo quidem religionem noſtram conditam ſcimus, profitemurque, à *Calvino* vel *Zuinglio* haudquaquam, non magis quàm illorum Religio à *Luthero* condita eſt, qui *Lutheri* nomen cœtibus ſuis præſcribunt. Diu verò ante Calvinum religio noſtra, ejuſque profeſſores, etiam Martyres in ea, fuêre. 3. Supponitur, non probatur Spiritum Sanctum hujus nomenclationis auctorem eſſe, probabile verò potius ab hominibus impuris Nicolai Diaconi, hominis à pietate & continentia in Hiſtoria Eccleſiaſtica

commendati,

commendati, nomen cœtibus ſuis & ſuæ impuritati præſcriptum fuiſſe, prout hæretici veteres alij ſe modò ab *Ario Arianos*, modò à *Donato Donatiſtas*, modò à *Marcione* vel *Valentino Marcionitas* vel *Valentinianos* nuncupabant. Qualem nomenclationem à Nicolao impingit potius Sectæ illi Spiritus Sanctus ὀνοματικῶς quàm probat. Unde κατὰ τὸ βίαιον hoc ipſum retorqueri poteſt. Ut enim qui ſe Nicolaitas vocabant, in eo peccabant, ſic qui ſe vocant Lutheranos non minus peccant. Immò ut Nicolai viri ſancti nomine bono homines haudquaquam boni abuſi fuêre: Sic & multi magnorum interdum Doctorum nominibus bonis abutuntur. Vide *Auguſtinum* Hæreſi v. Si etiam vel eundem Nicolaum, vel alium cognominem cum *Hieronymo* Epiſt. ad Heliodorum & Epiphanium lib. I. Hær. xxv. Sectæ iſtius auctorem faciamus, & ducem, idem Calvino ratione religionis à nobis receptæ jure applicari nequit. 4. Peccatur *Elencho parium*. Alia enim ratio doctrinæ Nicolaitarum, quæ apertè impura erat, *Irenæo* teſte qui lib. I. cap. xxvII. docet, eos mœchari, & idolothyta edere, pro nihilo duxiſſe, quod probari poteſt ex Apoc. 2. 14. & collatione doctrinæ Nicolaitarum cum doctrina Balaami. Probandum verò prius eſſet adverſæ partis Doctoribus, doctrinam noſtram revera talem eſſe.

IX. Præter verò authoritatem *divinam* in favorem ſententiæ aduerſariorum produci etiam poteſt authoritas *humana*. 1. *Athanaſij*, qui docet licere hæreticos nominibus auctorum ſuorum appellare ut caueantur, quando de hæreſi conſtat. 2. *Veteris Eccleſia*, quæ *Ebionitas* ab *Ebione*, *Cerinthianos* à *Cerintho*, *Marcionitas* à *Marcione* denominatos voluit. 3. Sic concilium *Nicænum* Eccleſiam vocat Apoſtolicam ab Apoſtolis. Ergo & Eccleſia v. gr. *Lutherana* vocari poteſt à *Luthero*.

X. Sed nequicquam iſta omnia. *Reſp*. 1. *In genere* ad ſingula conjunctim. Hominum auctoritatem *inductivam* eſſe poſſe, *coactivam* eſſe non poſſe in iis quæ religionem concernunt. *Inductivam* verò eſſe non debere, ubi intercedit authoritas diuina ſuperior, & recta ſecundùm eam ratio. *In ſpecie*. Ad 1. *Reſp*. 1. *Athanaſium* loqui de apertè hæreticis, & de doctrina quam conſtat eſſe hæreſin. 2. Eum loqui de denominatione ducta ab iis qui ſunt auctores doctrinæ alicuius novæ. Probandum verò, non ſupponendum Adverſariis, vel nos eſſe apertè hereticos, vel doctrinam noſtram talem eſſe, vel *Calvinum* aut *Zuinglium* primos eſſe auctores doctrinæ quam profitemur. 3. κατὰ τὸ βίαιον Si hæreticos ita licet appellare ut caueantur quando conſtat de hæreſi, ij qui ſe Lutheranos vocant, & tales vocari cupiunt, non debent id imitari, quod de Hæreticis duntaxat in Eccleſia veteri uſurpatum legitur.

XI. Ad 2. *Reſp*. 1. Peti τὸ ἐν ἀρχῇ, & peccari *Elencho parium*. Probent adverſæ ſententiæ defenſores nos eſſe geminos Ebionitis, Marcioniti, &c. 2. κατὰ τὸ βίαιον, dum ſe hi vel illi Lutheranos vocant id ſibi applicatum eunt, & ad imitationem trahunt, quod jam olim σκωπτικῶς Hæreticis impactum fuit.

XII. Ad 3. *Reſp*. 1. Peccari *ignoratione Elenchi*, quæſtio eſt de nomini-

bus *perſonalibus*. Tale verò haudquaquam eſt nomen Apoſtolicum quod officii δεικτικὸν eſt, non perſonæ. 2. Κατὰ τὸ βίαιον, ut Eccleſia retrò haudquaquam appellata fuit *Petrina*, vel *Paulina*, vel *Athanaſia* in Concilio Niceno. Ergo nec hodie Lutherana vel Calviniana vocari debet. Idque multò minus, quia nec Lutheri, nec Calvini ea fuit vel dignitas vel auctoritas quæ Apoſtolorum, quippe qui fuêre & αὐθεντικοὶ & ἀναμάρτητοι καὶ αὐτόπιστοι. 3. Idem retorqueri aliud ratione poteſt, ut Eccleſia olim Apoſtolica appellata fuit, ſic & hodie ita appellari debet. 4. Peccatur *Elencho à dicto ſecundùm quid*, & παρὰ τὸ ὁμώνυμον. Nec enim Eccleſia appellata fuit Apoſtólica, niſi quo ſenſu, Epheſ. 2. 20. inædificari dicitur fundamento Prophetarum & Apoſtolorum, hoc eſt, fundamento cui & ipſi Prophetæ ac Apoſtoli ſuperſtructi ſunt, & cui eorum doctrina pariter ſuperſtructa eſt.

XIII. Accedunt argumenta *artificialia* à rationibus. 1. *A neceſſitate Eccleſiæ.* Niſi falſi Doctores diſcernantur à veris nomine aliquo, & in periculum præcipitabitur Eccleſia, & privati involventur ab hæreticis adeoque ſeductioni erunt obnoxii. 2. Ab *executione muneris* paſtoralis, Eccleſiæ enim Doctoribus reddenda ratio de animabus fidei ſuæ commiſſis, & ſanguis exigendus de manu ipſorum, ſi contingat eos ſeduci & præcipitare in errorem defectu nominum diſcretivorum. 3. *A confuſione heterodoxorum*, nec enim meliùs illi confundi poſſunt, quàm ſi nomina auctorum horum vel illorum errorum illis impingantur, qui eos ſequuntur. Tales verò confundi & ſic ab errore abduci & æquiſſimum eſt & utiliſſimum. 4. *A praxi Reformatorum*, qui Calviniani nominari nolunt, quamvis alios Lutheranos, Arminianos & Socinianos ipſimet vocent. 5. *A praxi communi* omnium aliorum: Ut non abſurdum, Medicorum filios alios appellari Galeniſtas, alios Paracelſiſtas; Philoſophorum alios Ariſtotelicos, alios Platonicos, alios Epicuræos: ſic non magis abſonum alios vocare Calvinianos, alios Lutheranos. 6. *Ab abſurdis*, ſi non admittatur iſta nomenclatio, licitum non erit rem unamquamque nomine ſuo appellare. Sic etiam dabitur orthodoxorum & heterodoxorum confuſio, nec ſcient ulli cui ſe Eccleſiæ debeant adjungere.

XIV. Iſta omnia tipulâ leviora ſunt & nihil niſi πολὺς λῆρος. Ad 1. *Rationem Reſp.* 1. Peccari vel *ignoratione Elenchi*, vel *paralogiſmo à dicto ſecundùm quid*. Nec enim quæſtio, an veri Doctores à falſis nomine aliquo diſcerni debeant, ſed an tali, quod ducatur à perſona hujus vel illius Doctoris. 2. Peccatur *falſa ſuppoſitione*, quaſi periculum erroris & ſeductionis caveri non poſſit nominibus diſcretivis aliis, ductis, v.g. à Confeſſionibus, vel ab aliis id genus.

XV. Ad 2. *Rat. Reſp.* 1. Peccatur *Paral.* παρὰ τὸ ὁμώνυμον, ſi reddenda ſit ratio Doctoribus Eccleſiæ de animabus fidei ſuæ commiſſis, ſiquidem illæ ſeducantur, opus eſſe ut inſigniantur cœtus Chriſtiani nominibus στηλιτευτικοῖς id genus à ſuis Doctoribus. 2. Peccatur *falſa ſuppoſitione*, aliis modis, & legitimis quidem, ſeductioni obviam iri non poſſe, quod ſupponitur,

ponitur, non probatur. 3. Peccatur *Elencho conſequentiæ*, dum argumentum duciitur *à genere ad ſpeciem affirmativè*: Nomina diſcretiva adhibenda: Ergo talia, quæ ſunt perſonalia, & ducuntur à Doctoribus his vel illis.

XVI. Ad 3. *Rat. Reſp.* 1. Peccari *falſa ſuppoſitione*, vel de quibuſvis heterodoxis id à nobis negari, vel demonſtrari poſſe, nos tales eſſe. 2. Peccatur *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον*: Heterodoxi ſunt confundendi: Ergo per nomina perſonalia id genus. 3. Æquiſſimum & utiliſſimum eſt, tales confundi, & ſic ab errore abduci, ſed licitis modis, non illicitis.

XVII. Ad. 4. *Rat. Reſp.* 1. Peccari *falſa ſuppoſitione*, vel ab omnibus Reformatis id fieri, vel à pleriſque, vel ea ratione, qua id à nobis improbatum. 2. Peccatur *Elencho parium, vel plurium interrogationum.* Alia enim ratio, 1. *Socinianorum*, qui apertè hæretici, & *directè* arietant in perſonam & officium Chriſti, immò in ipſam S. Trinitatem, adeoque qui fundamentum religionis Chriſtianæ apertè ſubvertunt, & alium Deum fingunt, Chriſtum alium. 2. Alia ratio *Arminianorum*, quos plerique *Remonſtrantes* vocant, alii *Semi-pelagianos*, rarius alii *Arminianos*, nec immeritò quia & ipſi fundamentum fidei evertunt, in eo quod hominem ſuæ ſalutis diribitorem conſtituunt quoad *ſpecificationem* gratiæ vel oblatæ, vel collatæ, & præterea *Sociniana* placita complura hodieque adoptant. 3. Alia ratio *Lutheranorum*, qui tales vocari volunt, & religionem ſuam *Lutheranam* appellari ſatagunt, immò & hoc nomine gloriantur. Haudquaquam itaque illis injuria fit, ſi hoc nomine inſigniantur. Præſtaret tamen & illos aliud nomen à Confeſſionibus ſuis adoptare, adeoque ſic aliud illis tribui.

XVIII. Ad 5. *Rat. Reſp.* 1. Peccari *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον & parium*, quia nomina illa ſive Medicorum, ſive Philoſophorum ſunt merè diſcretiva, nec vel prohibita, vel ἁμαρτητικά, ut nomina in Religione. 2. Peccatur etiam *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον*, quia inter Medicos & Philoſophos plures ſectas eſſe, nec indecorum eſt, nec cum periculo conjunctum, id verò haudquaquam in Eccleſia locum habere debet, à qua Schiſmata & Schiſmatum occaſiones & incentiva abeſſe debent.

XIX. Ad 6. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον, & à dicto ſecundùm quid.* Licitum ſanè, unamquamque rem nomine ſuo appellare, ſed convenienti, & ſine ulla vel injuria vel contumelia impoſito. 2. *Supponitur*, non probatur, noſtræ religionis vel noſtrorum cœtuum nomina à *Calvino* ducere, eſſe nomen *ſuum* vel illi vel iſtis tribuere. 3. Peccatur *Elencho παρὰ τὸ ἑπόμενον*, ob id ſequuturam confuſionem orthodoxorum & hæreticorum, vel non conſtitutum, cui ſe Eccleſiæ quiſque adjungere debeat, ſi nomina id genus perſonalia à Doctoribus ducta Eccleſiis nec præſcribantur, nec impingantur.

DISPVTATIO

De Quæſtionibus quibuſdam Miſcellis.

SUPER

NOMINIBVS SCHISMATICIS, impoſitis Eccleſiis Chriſtianis.

QVÆSTIO I.

An Calvinianorum *nomen Eccleſiis, quæ vulgo Reformatæ vocantur, meritò impingatur?*

DECISIO I.

QUÆSTIONI iſti occaſionem præbet ordinaria *Calvinianorum* nomenclatio, quâ Eccleſiæ noſtræ ſuprà quam dici poteſt odioſè vulgò ab Adverſariis compluribus, velut conſpiratione quadam inita,traducuntur. Id verò & à veritate & à charitate alienum eſſe, & præter omnem rationem fieri, demonſtratum dabimus. I. Quia nomen iſtud vel nobis vel religioni noſtræ haudquaquam *de facto* præſcribimus, immò id amolimur & deprecamur, edocti à Paulo, nonniſi ab illo nomen ducendum eſſe in Religione, in cujus nomen baptizati ſumus,& qui pro nobis crucifixus fuit, 1.Cor.1.12.13. & 1.Corint.111.4. II. Quia id *de jure* Eccleſiis noſtris ſine ſingulari ærugine præſcribi non poteſt. I. Quia *Calvinum* quidem eximium Dei organum, & fidum Dei ſervum agnoſcimus, religionis verò noſtræ authorem non item,ſed unum Chriſtum in Scriptura loquentem. II. Quia Calvinus ne inter primos quidem Reformationis Eccleſiarum promotores fuit, quum diu ante eum Heroes varii *metiendo templo*, Apoc.11.1. & repurgandæ Eccleſiæ manum admoverint, *Lutherus, Melanchthon, Capito, Hedio, Bucerus*,alii, in Germania, *Zuinglius, Oecolampadius, Hallerus* in Helvetia, *Petrus Sebevilla, Iacobus Faber, Gulielmus Farellus* & *Antonius Salnerius* in Gallia,alii alibi. III. Quia ne ullius quidem Eccleſiæ particularis reformator fuit Calvinus, ne Genevenſis quidem, ubi & docuit & maximam vitæ partim exegit, quum conſtet eum aliquot

quot demum poſt Euangelium ibidem prædicatum & idolomaniam Pontificiam ex urbe iſta ejectam, annis eò conceſſiſſe, & præter inſtitutum ac ſpem ibi à Farello detentum fuiſſe. IV. Quia doctrinam per Calvinum vel traditam vel expoſitam haudquaquam admittimus, vel quà Calvini eſt, *reduplicativè*, vel quà ejus, ſive authoritate, ſive ſuffragio nititur, ſed quà eam vel ex ſe conformen videmus Scripturæ Sacræ, vel à Calvino ex ea demonſtratam. V. Quia à Calvino liberè diſcedimus, ſive in locorum quorundam Scripturæ expoſitione, ſive in opinionibus quibuſdam privatis. Nec ullus ex nobis vel Calvinum αὐτομάθητον profitetur, vel in verba Calvini ſibi jurandum cenſet. Quod vel ex unius *Theodori Bezæ*, Theologi magni, exemplo patet, qui à Calvino, Collega etiam & fratre conjunctiſſimo, ſæpe in variis ingenuè diſſenſit. VI. Quia tantùm abeſt ut Calvinus tale quid vel quæſierit, vel affectârit, vel Diſcipulos ſuos in nomen ſuum adegerit, ut lectores & auditores ſuos cum Johanne Baptiſta ad unum Chriſtum in Scriptura Prophetica & Apoſtolica ablegarit, & ex ea ſola, & aliorum & ſua ſcripta examinari & cenſeri voluerit. VII. Quia tametſi per Calvinum, & doctiſſima ejus ſcripta, quibus ne infenſiſſimi quidem hoſtes, vel eruditionis, vel facundiæ, vel judicii ſingularis laudem abrogare poſſunt, multi profecerint, plurimùm, & per eum ad agnitionem Veritatis pervenerint, nemo tamen unquam inter nos aliter de Calvinò ſenſit, quàm illum inter fidos Dei ſervos referendum eſſe, *per quos credimus, qui plantant & rigant*, Deum verò ſolum dare incrementum, nec ullius Doctoris quamvis præſtantiſſimi ſive dona, ſive labores, ſive ſucceſſum ἐπωνυμίαν in religione dare. VIII. Quia innumeri eandem cum Calvino doctrinam fundamentalem credunt & profitentur, quibus ne nomen quidem Calvini innotuit, nedum ſcripta Calvini, adeoque qui ne per Calvinum quidem credidêre, tantùm abeſt ut ob Calvinum credant, quod credunt. IX. Quia ſupponitur non probatur, Calvinum in iis, in quibus ipſum ſequimur, dogmatibus, vel novam, vel alienam, à Doctrina Chriſti & Apoſtolorum doctrina, doctrinam tradidiſſe. Si id negent Adverſarii, id docendum erit, non dicendum tantùm: Si concedant, nec Adverſarii ejus eſſe debent, nec ab inſtrumento doctrinæ, ſed ab ejus auctore denominationem Eccleſiis noſtris imponere. Gemina id genus argumenta iis opponi debent, qui nos odioſè Zuinglianorum nomine in multis Germaniæ & Helvetiæ locis traducunt.

QVÆSTIO. II.

An illi, quos Adverſarii nominant Calvinianos, *diſtingui debeant in* Gomariſtas *&* Arminianos.

DECISIO.

I. Affirmat id feroculus quidam Societatis Theologus. Negant id Orthodoxi, & meritò quidem, idque iiſdem argumentis, quibus Calvini nomen Eccleſiis noſtris haudquaquam præſcribendum eſſe demonſtratum dedimus. Quæ eò magis urgeri poſſunt, quo remotiores fuêre Doctores iſti à Reformationis Eccleſiarum initiis, & quò minus nomina Doctorum iſtorum inclaruêre.

II. *Gomariſtarum* quidem nomen nonniſi ſingulari κακοηθείᾳ & cum multo nigræ loliginis ſucco Eccleſiis noſtris præſcribi poteſt. Quamvis enim *Franciſcum Gomarum* inſignem Theologum agnoſcat Fœderatum Belgium, & Orthodoxi alii extra Belgium, quippe qui in Academiis Leidenſi primò, poſt Salmurienſi, & tandem Groningana Theologicam Profeſſionem ad decrepitam uſque ætatem pro dignitate ſuſtinuit, & ſcriptis eruditis compluribus partim *exegeticis*, partim *elencticis* veritatem magna cum laude defendit, haudquaquam tamen ille vel novam doctrinam fundamentalem invexit, vel à Theologis aliis in ſumma rei abivit, vel Diſcipulos in nomen aut verba ſua adegit, vel alio unquam in Eccleſiis noſtris, præterquam privati Theologi, quamvis præclari, & à varia eruditione inſtructi loco habitus fuit. Immò quamvis in Fœderato Belgio nomen ejus potiſſimùm inclaruerit, multi tamen ab eo liberrimè in aliquibus diſceſsêre. Adde, innumeros in orbe Chriſtiano reperiri, qui eandem cum Gomaro doctrinam profitentur, quibus ne nomen quidem Gomari unquam auditum fuit, tantùm abeſt ut ejus nomine cenſeri vel debeant, vel poſſint. Et ſi ex conformitate doctrinæ cum Doctore aliquo denominatio ducenda ſit, viderint Adverſarii, quot nomina ſibi adoptanda ſint, omnium nimirum illorum, quorum vel hæreſes, vel ſuperſtitiones, vel errores adoptarunt.

III. Certum quidem, ex quo infelices quædam controverſiæ ſuper Prædeſtinatione & annexis ei capitibus in Belgio gliſcere cœpêre; *Gomarum* in alia omnia à *Iacobi Arminii* circa talia ἑτεροδοξοῦντος opinione ſententiam iviſſe, haudquaquam verò vel primùm, vel ſolùm, vel alios propter Gomari ſive authoritatem ſive judicium. Idem enim jam ante Gomarum occupatum à Celeberrimo Theologo *Franciſco Iunio*. Adde, ne ſententiam quidem Gomari, ab eo Arminio ſuper *objecto* prædeſtinationis oppoſitam, plerоſque ex Eccleſiæ Reformatæ Doctoribus amplexatos e[…], tantum abeſt, ut promiſcuè ab Arminio alieni *Gomariſtæ* dici d[…]bea[…]t. Notum etiam, Synodum Dordracenam laudatiſſimam aliam à

Go-

Gomari opinione ſententiam prætuliſſe, & prædeſtinationis objectum conſtituiſſe hominem peccatorem. Quod tamen ſententiarum diuortium, cùm haudquaquam ſit fundamentale, & conciliari hîc poſsint *diverſa* potius dicentes, quàm *adverſa* non magis à Gomaro quàm à Doctoribus aliis nomen Eccleſiis aliis præſcribi poſſet, ſi tale præſcribendum foret. *Gomariſtarum* itaque nomen æquè ac nomina alia διαφορητικὰ ſiue *Huguenotarum* in Gallia, *Puritanorum* in Anglia, *Gueuſiorum* in Belgio, *Zuinglianorum* in Germania, *Picardorum* in Bohemia, *Lutheranorum* in Italia, & quæcunque iſtius commatis ſunt, nec agnoſcimus, nec admittimus, & ea vel plebejæ intemperantiæ, vel Doctorum quorundam loligini imputamus.

IV. Id verò etiam ab omni candore alienum, & vel ſupinam rerum noſtrarum ignorantiam, vel inſignem ſtuporem ſapit, alteram *Calvinianorum*, quos ita appellat Societatis Theologus, claſſem *Arminianos*, ut loquitur, conſtituere, quo nomine illos intelligit, qui in Fœderato Belgio in *Iacobi Arminij* ſententiam in aliquot religionis capitibus ivêre, & ab eo tempore, quod fieri ſolet, creſcente partium ſtudio, ulterius progreſsi, varia dogmata heterodoxa, à Socinianis hauſta, Magiſtri ſui placitis adjecêre. Nemo enim non rerum noſtrarum vel mediocriter gnarus nouit, tantum abeſſe, ut illi qui Arminiani appellantur à quibuſdam (quos tamen nomine *diſcretivo* Remonſtrantes à libello ſupplice Potentiſsimis Fœderatæ Belgicæ Ordinibus *Remonſtrantiæ* nomine exhibito appellare præſtaret) *Calviniani* dici debeant, ut eo ipſo, quo in Arminij partes & placita ivêre, *Calviniani*, ſi id nomen ferendum eſſet, eſſe deſierint, & Magiſtri ſui placitis prælatis ingens à Calvini ſententia diuortium fecerint, immò oppoſita illa dogmata & invexerint, & propugnarint. Immò nulli acerbius in ſcripta & dogmata Calvini unquam invecti fuêre, præterquam illi quos *Iacobo Arminio* diſcipulos ſiue error, ſiue præjudicium, ſiue affectus, ſiue ſingularis aliqua animi deſtinatio dedêre. Hi itaque *Calviniani* eodem jure appellari poſſunt, quo Jeſuitæ, & alij Calvinomaſtyges. Immò ſi Arminij Diſcipuli Calviniani appellari debeant, Jeſuitæ Calvinianis accenſeri debebunt, ad quorum quippe placita, v. g. de ἀδιαφορίᾳ arbitrij humani, de ſcientia media, & alia id genus Arminius bonam ſuorum dogmatum partem inflexit, unde non malè obſervatum, plus à *Metaphyſica* quàm à *Politica* vel à *potentia* Hiſpana damni Fœderato Belgio datum fuiſſe. Quamvis verò in aliis quibuſdam Religionis Chriſtianæ capitibus eadem juxta nobiſcum contra Eccleſiam Romanam ſtatuant, quæ Calvinus docuit, ejus tamen nec nomine, nec judicio, nec authoritate ulla ratione ea in re niti volunt. Annon etiam ludibrium deberet Societatis Patrib. qui vel noſtros, vel illos, quos appellant, Lutheranos, quia primò in Eccleſiæ Romanæ communione vixêre, poſtmodum verò ex ea, & meritò quidem, egreſsi fuêre, alteram Pontificiorum claſſem conſtitueret. Idem debent ludibrium omnes illi,

qui *Calvinianorum* ramum alterum Arminianos faciunt. Ex his cuilibet ſano & ſui judicii homini liquere poteſt, quo jure *Calviniani*, ut loquitur, à diribitore iſto, qui ſine populi ſuffragio hîc ædilitatem gerit, in *Gomarſias* & *Arminianos* diſtribuantur.

QVÆSTIO III.

Quibus nominibus diſcretivis *Eccleſiæ*, *quæ vocantur* Reformatæ *diſtingui ab aliis vel debeant vel poſſint?*

DECISIO

I. Nomen *diſcretivum* vel ſpectari poteſt ratione illorum qui planè à Chriſti & cognitione & cultu ſunt remoti, vel ratione illorum qui Chriſto nomen dant.

II. *A priore* Hominum *genere*, ad quod referimus Judæos, Gentiles, & Muhametanos, diſcretivum *Chriſtianorum* nomen nos ſufficienter diſterminare poteſt, quod cum primis Chriſtianis Eccleſiis noſtris præſcribimus, & meritò quidem. Si enim ἐπωνυμία ducenda ſit ἐκ τῆς ἐπικλήσεως, ut bene innuit *Theodoretus* præfatione in Polymorphon, jure hoc nomine gloriamur. 1. Quia in ſolius Chriſti nomen baptizati ſumus. 2. Quia ſolum Chriſtum Magiſtrum & caput Eccleſiæ, ſolum ejus verbum fidei ac vitæ noſtræ normam, eum ſolum Mediatorem noſtrum, ſolam ejus obedientiam ſalutis nobis acquiſitæ pretium, ſolam in eum fidem, ejus nobis applicandæ ex parte noſtra inſtrumentum, ſolam Chriſti gloriam finem cultus noſtri conſtituimus. Melior itaque hactenus denominatio peti non poteſt, quàm à Religionis noſtræ *auctore, objecto, & fine*.

III. A *poſteriore* hominum *genere* ad quod revocamus & *Pontificios*, & illos, qui vulgò vocantur *Lutherani*, nominibus *diſcretivis* convenientibus diſtingui poſſumus, quamvis nec *Calvinianorum*, nec *Zuinglianorum* nomina nobis imponantur. Ad Pontificios quidem quot attinet, ſolum etiam *Chriſtianorum*, quod unum adoptamus, nomen nobis ſufficere poſſet, quippe qui ſe Chriſtianos quidem & in Chriſtum baptizatos gloriantur, revera tamen Chriſtianorum nomen haudquaquam tuentur. 1. Quia nec ſolum Chriſtum Magiſtrum, & caput Eccleſiæ, nec ſolum ejus verbum fidei ac vitæ ſuæ normam, nec eum ſolum Mediatorem ſuum, nec ſolam ejus obedientiam ſalutis ſibi acquiſitæ pretium, nec ſolam in eum fidem, ejus ſibi in applicandæ inſtrumentum, nec ſolam Chriſti gloriam finem cultus ſui conſtituunt, adeoque οὐ γνησίως χριστιανίζειν, quod Hæreticis aliis etiam Chriſti nomen ſibi nequicquam præſcribentibus jam olim impactum fuit. 2. Quia verè ſunt χριστιανοκατήγοροι

& eos

& eos inſectantur, qui Chriſto uni hærere voluit, immò cum iſtis etiam, qui in Eccleſia veteri hoc nomine perſtricti fuêre, imagines Chriſti, Mariæ, Angelorum & Sanctorum multorum colunt, more Græcorum. Vide *Damaſcenum* de Hæreſibus. 3. Quia ſpreto Chriſti nomine humana nomina cœtibus ſuis ſive ipſi præſcribunt, ſive præſcripta admittere ex inſtitutis ſuis tenentur. Quod quidem plurimis jure impingi poteſt, qui à Patriarchis familiarum Monaſticarum innumeris, in quorum diſciplinam ſe dant, ejurato ut plurimùm nomine in Baptiſmo ſibi collato, denominari cupiunt. Nota ſanè *Dominicanorum, Franciſcanorum, Benedictinorum, Auguſtinianorum*, & innumerorum id genus ſodalium examina quę totum orbem replent. Omnibus etiam idipſum impingi poteſt, quippe qui *Papiſtarum* titulum haudquaquam aſpernantur, nec ita dici vel verentur vel erubeſcunt, ut *Lorinus* Jeſuita diſertè concedit in Comment. in Act. Apoſt. cap. xx. 30. Quod ſine convitio retineri à nobis poteſt quum id ſibi haudquaquam probroſum ducant, Papam pro Capite Eccleſiæ admittant, & omnem animam ſub pœna damnationis æternæ ei ſubeſſe & parere debere velint. Immò leges à Chriſto latas ab eo abrogari vel diſpenſari poſſe cenſent. Siue itaque *juris* habeatur ratio, ſiue *facti* & conſenſus Doctorum partibus Pontificiis addictorum, vel ſolo *Papiſtarum*, vel connexo *Chriſtianorum Papiſtarum* nomine ſatis ab Eccleſiis noſtris, ſolo Chriſti nomine gaudentibus, diſcerni poſſunt, & noſtri à Pontificiis, quibus vetus *Auguſtini* dictum impingi poteſt: *Quomodo gloriaris te eſſe Chriſtianum? nomen habes, & factum non habes.*

III. Ad utroſque quod attinet, *Orthodoxorum* nomen de jure ut diſcretivum nobis vindicare poſſumus, oppoſitè non tantùm ad τοὺς ψευδοδόξους vel κακοδόξους apertè, verùm etiam ad τοὺς ἑτεροδόξους vel ἑτεροδιδασκαλοῦντας, nec enim pro aliis quàm pro Apoſtolicis, adeoque Orthodoxis dogmatibus pugnamus. Qui verò tales ſunt, illis Orthodoxorum nomen jure negari nequit, teſte *Theodoreto* in præfat. Dialogorum, τῷ ὑπὲρ ἀποστολικῶν ἀγωνιζομένῳ δογμάτων, ὀρθόδοξος ὄνομα. *Illius qui pro Apoſtolicis dogmatibus decertat, Orthodoxus nomen eſt.* Sic *Varinus Phavorinus*; ὀρθοδοξία ἐστὶν ἀληθὴς περὶ Θεοῦ, καὶ κτίσεως ὑπόληψις, ἡ ἔννοια περὶ πάντων ἀληθὴς, ἡ δόξα τῶν ὄντων, καθάπερ εἰσίν. Talia verò à nobis & credi & doceri gloriamur in Domino, ὀρθὰ nimirum & ὀρθῶς. Adeoq; nomenclationem illam nobis vindicare poſſumus, partim *objectivè*, partim *formaliter*. Et hoc quidem nomen vel diſcretivum vel diſtinctivum nobis interverti non poteſt, donec re ipſa demonſtratum fuerit, dogmata noſtra non eſſe Apoſtolica. Quibus verò nomen *Eraniſtarum* & *Polymorphon* debeatur, viderint illi ex Pontificiis, qui nobis factioſa nomina impactum eunt. *Theodoretus* ſanè illos vocat *Eraniſtas*, oppoſitos Orthodoxis, τοὺς παρὰ πολλῶν ἐλέῳ τρεφομένους, προσαιτεῖν, καὶ χρηματίσαι, τοὺς συλλέγειν ἐπισταμένους χρήματα. Quod quàm appoſitè in fibulatos Patres converti poſſit, omnibus obvium. Quàm iidem etiam ſint Polymorphi, orbi notum, & plus ſatis.

IV. Quia tamen alij ex Euangelicis, qui à *Luthero* nomen habent,

Orthodoxorum nomenclationem ſibi, & unis quidem, vindicatum volunt; I. Non nominibus hærendum, ſed examinanda dogmata, & inquirendum accuratè, qui Apoſtolica dogmata doceant revera, profiteanturque, qui non, adeoque quibus *de jure* id competat, quibus non item. II. Alia *nomina diſcretiva* ſubſtituenda pro factioſis id genus & *διακριτικοῖς*, inter quæ meliora dari non poſſunt, præterquam illa quæ à *Confeſſionibus* ducuntur, & ſic à cœtibus Euangelicorum aliorum diſtingui etiam ſatis ſuperque poſſumus, ſi Confeſſioni vel *Helvetica*, vel *Gallicæ*, vel *Belgicæ* adhærere dicamur, & ſic ſine ærugine nota *διακριτικὴ* Eccleſiarum noſtrarum dari poterit. Quamvis verò Eccleſiæ noſtræ *Reformatæ*, & meritò quidem, dicantur, quia tamen idem Eccleſiis ſuis applicare volunt Euangelici alii, præſtat ejuſque nominibus diſcretivis uti, quæ nobis ſunt particularia non tantùm *de jure*, ſed etiam *de facto*, quando & quoties illi dari poſſunt.

QVÆSTIO IV.

An Hæreticorum *nomen iure nobis à Pontificiis impingatur.*

DECISIO.

I. Nihil communius vel obvium magis *Hæreticorum* nomine, quod Eccleſiis noſtris infamandis, & veritati traducendæ, à Pontificiis nodis Euangeliciſque aliis ordinariè impingitur. Quo *jure* verò id fiat, compendio diſpiciendum.

II. *Hæreticorum* nomen per ſe *μέσον* eſt, ab *αἱρέσει*, *hæreſi*, voce *media*, quæ vel *firmatam* de aliquo dogmate *opinionem* ſignificat, vel inſtitutum circa diſciplinam aliquam, quod aliquis & ſeligit, & præferendum ſibi ducit aliis. *Varinus Phavorinus*. *Αἵρεσις, ἡ ἁπλῶς βούλησις*, vel *δόξα πλειόνων ἀνθρώπων, πρὸς ἀλλήλους μὲν συμφωνούντων, πρὸς ἄλλους δὲ διαφωνούντων*. Nomen hoc ibidem applicari docet Sectis Philoſophorum veterum, & novem ex iis commemorat. Hoc ſenſu *αἵρεσιν* Phariſæorum pro inſtituto ſimpliciter Apoſtolus nominat, Act.26.5.

III. Olim verò nomina *hæreſeως* & *Hæreticorum* ut multa ex ſe *μέσα* cœpêre in pejorem partem ſumi. Sic *αἵρεσις* dicta, *ἡ περὶ πίστεως ἐκ ἀληθοῦς δόξα*, & *αἱρετικὸς, ὁ ἀπὸ τι περὶ τῆς ἀληθείας αἱρούμενος*. Sic Paulo hæreſeως dica ſcripta jam olim Act.24.14. Et *via* ipſius, hoc eſt, *πολιτεία* inſtitutum, doctrina, profeſſio diſtincta ab aliis vocata *αἵρεσις*. Sic Syro hæreſis eſt יולפנא *Doctrina*. Impropriè verò doctrina Chriſtiana vocatur *αἵρεσις*, quia non humana electione propriè aſſumitur, nec in hominis optione eſt vel hanc eligere vel aliam. Sic *διαφορητικοὶ* & *ſpecificè αἱρετικοὶ* opponuntur in hiſtoria Eccleſiaſtica *τοῖς ὀρθοδόξοις* & à *Iuſtiniano* in Novellis Conſtitutione CXVIII. Profeſſoribus *τῆς καθολικῆς πίστεως*. Hactenus verò & hoc ſenſu

ſenſu nomen hæreticorum per merum convitium nobis *de facto* impingi querimur, *de jure* verò Pontificiis impingi debere profitemur, quippe qui quamvis verè ſint & hæretici & hæreticorum veterum traduces, tamen ut bene monuit retrò *Salvianus* libro V. De Gubernat. Dei: *In tantum ſe hæretici Catholicos eſſe hodieque judicant, ut Orthodoxos titulo hæreticæ appellationis infament.* Quod ipſum τῷ μέρει ubi opus fuerit, demonſtratum dabimus Collatione inſtituta inter Pontificios & Veteres *Simonianos, Gnoſimachos, Montaniſtas, Audianos, Staurolatras, Collyridianos, Eutychianos, Meſſalianos, Encratitas, Novatianos, Nudipedales, Catharos, Pelagianos, Chriſtianocategoros* & varios alios. Nec opus, niſi *Epiphanij, Hieronymi, Auguſtini,* & *Philaſtrij* de Hæreticis & hæreſibus commentationes excutere, ut ἐκ περιουσίας retorſionis iſtius veritas ſine convitio propoſita pateſcat. Hæreticorum itaque nomen nobis ſine ulla veri etiam ſpecie impingitur, quod ut verè ſuum Pontificii ſibi ſervare debent, donec ſe ab hæreſibus Eccleſiæ ſuæ impactis ſolidè vindicarint, quod nemo ex illis præſtitit hactenus, nemo præſtabit.

QVÆSTIO V.

An Evangelici quidam Lutheranorum *nomen cœtibus ſuis præſcribere debeant?*

DECISIO.

I. Extra controverſiam eſt, illos qui ſibi ſolis Auguſtanæ Confeſſionis nomen & fidem vindicant, *Lutheranorum* nomen cœtibus ſuis præſcribere. Nec hoc tantùm, ſed aliquos etiam ex illis verbum Dei *Lutheranum*, Religionem & fidem Chriſtianam *Lutheranam* vocare. Quod ab aliis viris eruditis & piis earundem partium haudquaquam probari exiſtimo. Hinc etiam fit, ut quia ipſi Auguſtanæ Confeſſionis Socii hunc titulum cœtibus ſuis præſcribunt, nomen *Lutheranorum* iis præſcribatur ab aliis. A quo tamen & illos primò, qui id adoptant, & alios poſtmodum, qui eorum ſtylum ſequuntur, abſtinere præſtaret.

II. *Rationes* ejus rei ſolidæ dari poſſunt. 1. Quia nullum denominationis ejuſmodi vel mandatum exſtat, vel exemplum laudatum in Scriptura. 2. Quia *in genere* nomina id genus prohibita illis qui veri Chriſti diſcipuli eſſe volunt, quæ à Doctoribus ducuntur, ut demonſtratum prima Diſputatione. 3. Quia ab hæreticis tantùm in veteri Eccleſia nomina à Doctoribus ſuis adoptata. 4. Quia eadem conſuetudo perverſa in Monaſticis familiis introducta à ſuperſtitione, ubi alii ſe *Auguſtinianos*, alii *Franciſcanos*, alii *Dominicanos* dicunt. 5. Quia Eccleſia tota vetus nomine Chriſtianorum & Orthodoxorum ſolenni contenta fuit. 6. Quia ipſe *Lutherus* vehementer invehitur in illos qui ſe Lutheranos (ipſo adhuc vivente) appellabant, Vide Tom. 4. Op. Germ. Luth. ſub initium,

ubi unum Chriſtianorum nomen inculcat, alia factioſa caveri vult, Pauli auctoritate id ipſum confirmat, & ſuum nomen haudquaquam ejus eſſe valoris pronunciat, ut ab eo Chriſtiani denominari debeant, immò ſtultorum nomen illis impingit qui iſta nomenclatione utuntur. Sic idem *Lutherus* in Appendice Catechiſmi ſui ad quæſtionem, quam Religionem vel fidem profiteatur aliquis, reſponderi vult ab unoquoque ſe *Chriſtianum* eſſe, non *Lutheranum*. 7. Quia nomenclatio id genus convitiis Adverſariorum occaſionem præbet. 8. Quia plebs ita dementatur ſæpè iſtius nominis auditione, ac ſi Lutherus vel Religionis ſuæ auctor fuiſſet, vel Doctor αὐτόπιστος & κανονικός. 9. Quia ſæpe ſub hoc nomine doctrina in multis fidei articulis fovetur aliena à Lutheri doctrina, immò ei oppoſita, adeoque ſine ullo jure iſta denominatio præſcribitur. Conferatur vel una ſententia Lutheri in aureo libro de *Servo arbitrio* cum doctrina illorum, qui ſe diſcipulos Lutheri hodie profitentur, & patebit facile, illos ſe Lutheri diſcipulos dicere, qui hîc in alia omnia eunt à Luthero, immò ipſam Lutheri doctrinam in Calvino aliiſque damnant. Nec dici poteſt, hunc librum vel doctrinam in eo contentam revocata fuiſſe à Luthero per δευτέρας φροντίδας σοφωτέρας, quum nec mentio iſtius retractationis uſpiam exſtet, & liber iſte Operibus Lutheri diu poſt ipſius obitum adhuc inſertus ab ejus diſcipulis fuerit, ſine ulla admonitione vel cautione. Adde idem à Luthero fuiſſe traditum in Præfatione eximia in Epiſtolam ad Romanos. 10. Quia ſub hoc ipſo nomine oppoſitæ planè foventur ſententiæ: Nota ſunt diſſidia inter *Hunnium* & *Hubernum* ſuper electione, inter *Brunſvicenſes* Theologos & *Suevos* ſuper ubiquitate, & ſuper manducatione corporis Chriſti inter *Ienenſes* & *Helmſtadienſes*. Quæ omnia haudquaquam à nobis proferuntur, vel ex ærugine, vel malo animo in eos qui Auguſtanam Confeſſionem ſequuntur, quibus proſpera omnia precamur in Domino, ſed eo duntaxat fine, ut conſtet haudquaquam nomen à Luthero ducendum eſſe, immò id ne *diſtinctivum* quidem vel *confeſſionale* ob diſcrimina illa & varia alia cenſeri poſſe.

III. Non diſſimulabimus quaſdam *exceptiones* nobis opponi ſuper hoc negotio, præter illas, quæ in ſuperioribus Diſputationibus à nobis fuêre diſcuſſæ, quæ paucis etiam occupandæ. *Exc.* 1. Eſai.62.2. jam olim prædictum fuiſſe, *nomen novum* Eccleſiæ ſub N. Teſtamento eſſe indendum. 2. Fideles Abrahæ nomine deſignari Luc.19.9. Roman.4.6. Jacob.11.21. 3. Nathanaelem Iſraelitam & totum Dei populum Iſraelis nomine appellari Joh.1.48.

IV. Sed nec iſtæ exceptiones tanti ſunt, ut iis quæ à nobis retrò adſtructa intercedant. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Ἀρνητικῶς, & *per negationem*, hæc directè efferri de Eccleſia Noui Teſtamenti, ſed de Eccleſia Judaica, de illa enim Prophetæ ſermo, & illi erigendæ verba illa deſtinata. 2. Συγχωρητικῶς, & per *conceſſionem*, demus id de Eccleſia Noui Teſtamenti dictum, an ſequitur id de nomine Lutheri Eccleſiæ impoſito intelligendum eſſe? Atqui ſermo ibi potius de nomine univerſali Eccleſiæ imponendo,
quod

quod eſt nomen *Chriſtianorum*, oppoſitum nomini Judæorum veteri, quod pro maledicto habendum ſit, prout id docetur Eſai.65.15. in cujus locum ſubſtitutum Chriſtianorum nomen, Actor.11. ℣.26. Argumentum ergo procedit à *genere ad ſpeciem affirmativè*, vel *à non diſtributo ad diſtributum*, Eccleſiæ Noui Teſtamenti tribuitur nomen novum: E. nomen Lutheri. Annon ſic ad Lutheri uſque tempora prophetia illa fuiſſet deſtituta complemento ſuo? 3. Peccatur etiam *Elencho diviſionis*, quia diuiduntur componenda, dicitur enim ejuſmodi nomen indendum Eccleſiæ, *quod os Iehovæ præfixerit*. Docendum verò ubi & quando ore Jehovæ Eccleſiæ nomen Lutheri impoſitum fuerit. Immò habemus ℣.16. ἐξήγησιν, quale nomen Eccleſiæ indendum fuerit, futurum nimirum, ut vocetur *populus ſanctus, vindicati Iehova, & civitas non derelicta*. 4. Supponitur etiam falſa *hypothesis*, ad litteram verba Prophetæ eſſe intelligenda. Notum verò, in Scriptura, *vocari, nominari, novum nomen* gerere, & quæ ſunt alia id genus, non *nominaliter* vel *verbaliter*, ſed *realiter* ſæpè intelligi, non de novo nomine, ſed de ſtatu novo, in quem hic vel ille transferri debeat, prout hîc Eccleſiæ *novum nomen* promittitur, h. e. ſtatus novus, nec novus tantùm ſed melior, prout חדש apud Hebræos intelligitur, ut notum eſt ex præceptis parallelis, quando ſermo de *cantico novo*, *præcepto novo*, & aliis id genus.

V. Ad 1. *Exc. Reſp.* 1. Peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον. An enim ſequitur, ſi fideles Abrahæ filii vocentur. E. à Luthero denominationem petendam eſſe. An enim cum Luthero Deus fœdus iniit, & cum ſemine ejus ut cum Abrahamo? Annon Scriptura διαῤῥήδην Abrahamum *partem credentium* vocat? Rom.4.1. An idem aliis applicandum Scriptura nec jubente, nec præeunte? 2. Peccatur *Elencho parium*, nec enim Lutheri filii vocari volunt, vel ſemen Lutheri, ſed Lutherani.

VI. Ad 3. *Exc. Reſp.* 1. Denuò peccari *Elencho* παρὰ τὸ ἑπόμενον & *paralogiſmo parium*, cum Iſraelitarum nomen ἔγγραφον ſit, & peculiari de cauſa Dei Eccleſiæ impoſitum, in Iſraelis quippe ſemine Deus Eccleſiam concluſam voluit. Argumentum itaque non procedit à nomine divinitùs impoſito ad nomen uſurpatum ab hominibus, à nomine paterno impoſito filiis ad nomen impoſitum meris alicujus diſcipulis, à nomine diſtinctivo gentis ad nomen diſtinctivum Religionis. 2. Iiſdem *Elenchis* peccatur in exemplo Nathanaelis, quippe qui meritò Iſraelita vocatur, tum quia carnali generationis ſerie deſcenderat ab Iſraele, tum quia pietate & integritate referebat Iſraelem, incedens veſtigiis patris ſui Iſraelis. *Inſt.* Iſraeliticum nomen extenſum etiam fuiſſe ad gentiles, & quidem velut nomenclationem vel denominationem religioſam. Hinc vocari Eccleſiam *Iſrael Dei*, Galat. 6.16. Deum verò nunquam in Scriptura nomen ab homine Eccleſiæ ſuæ impoſiturum fuiſſe, ſi id abſolutè malum vel illicitum foret. *Reſpond.* 1. Per *conceſſionem*, nomen Iſraelis etiam extenſum fuiſſe quandoque ad gentiles, velut filios adoptatos in familiam & fidem Iſraelis pro filiis infidelibus & impiis ab eo exciſis, Roman. 11.24. Et

DISPVTATIO
DE
FALSA ECCLESIA.

Thesis I.

DE Eccleſiæ *vera* natura ac *notis* actum. Agendum jam de *falſa*, quæ veræ ſpecie multos vel occupat vel dementat, nec Dei viui domus, ſed Sathanæ officina eſt, nec veritatis στύλος vel ἑδραίωμα ſed mendacij.

II. Eſt verò falſa Eccleſia vel cœtus *apertorum* veræ Eccleſiæ hoſtium, vel *opertorum*, quorum illi latrones ſunt, hiſtriones iſti, utrique *Bethel* convertunt in *Bethaven*, veritatem in mendacium, & veræ Eccleſiæ oppugnandæ ſubvertendæque à Sathana adhibentur. De utriuſque falſæ Eccleſiæ ſpecie, ſed compendio, agendum.

III. *Prior* itaque falſæ Eccleſiæ *ſpecies* eſt, quæ conſtat ex *apertis* veræ Eccleſiæ hoſtibus, eſtque cœtus eorum, qui à vera veri Dei & Chriſti eius cognitione ſunt averſi, quales ad quatuor claſſes revocari poſſunt, Sunt enim vel *Gentiles*, vel *Iudæi*, vel *Samaritani*, vel *Muhammedani*.

IV. *Gentilium* nomenclatione complectimur *in genere* omnes illos qui gentium inſtar plerarumque objectum ſui cultus petunt vel à creaturis, vel à phantaſia ſua, & ſiue creaturas vel cœleſtes, vel terreſtres, vel aquatiles, vel animatas, vel inanimatas pro Diis habent, ſiue idola ipſi ſibi fingunt, ex iis quæ nec fuêre, nec ſunt in rerum natura. *Species* talium tot dari poſſunt quot diuerſa vel *objecta* ad cultum proſtituta, vel modi & rationes ea colendi jam olim. Iſtorum verò omnium enumeratio vix integris voluminibus abſolvi poſſet, quum tot myriades idolorum exſtiterint extentque apud Gentiles. Immò eò ejuſque ſingulari Dei judicio εἰς νοῦν ἀδόκιμον multi traditi fuêre, ut, quamvis homo animal ſuperbum ſit, & ſui plenum, non creaturas tamen duntaxat viles & longè infrà ſe conſtitutas ad cu'• um ſibi proſtituerit, & numina in hortis etiam creſcentia coluerit, ſed & pallorem ac morbos & furias Deos fecerit, digniſſimus ſanè mortalium, qui Deos ſuos ſecum ſemper habeat. Vt verò minimè excuſandi homines iſti, ſic inter omnes aliqua, etſi non excuſatione, commiſeratione tamen digni, qui nobiliſſimam cœli facem, Solem, cujus admirandum lumen, motum, influxus beneficia indies experiebantur, ado-

ravêre. Cui rei interea Deus ſingulari ratione in populo ſuo interceſſum voluit, cum Solem שמש à *miniſterio* dictum voluit, adeoque inſtar miniſtri famulitio, non inſtar Domini majeſtate cenſendum.

V. *Iudaeorum* nomenclatione deſignamus reliquias illas populi Iſraelitici, præter colluviem gentium aliquot illi permiſtam, qui Vetus Teſtamentum pro uno Dei Verbo habet, Meſſiam vel exhibitum vel patefactum negat, ritus multos Iudaicos lege ceremoniali olim præſcriptos obſervat, nec lampades tantùm à Deo accenſas in tabernaculum infert, verùm etiam ceremonias & præceptiones παραδόσεως innumeras addit, Majorum ſuorum πατέρων & blaſphemias in Chriſtum Servatorem imitatur, & Talmudi ac putidis Magiſtrorum ſuorum nugis hæret.

VI. *Samaritanorum* nomenclationem intelligimus, colluuiem Iudæorum & Gentilium qui veri Dei cultum cum Idolorum patriorum cultu jam olim permiſcuêre. 2.Reg.8.26. & non locum ſibi tantùm nouum ad cultum, ſed & cultum nouum in loco nouo finxêre, Deique populum odio habuêre, immò oppugnavêre, ut ex Eſdræ libro patet. Hinc facies etiam aſcendentis Hieroſolyma exoſa Samaritanis Lucæ,9. ℣.13. & ratiſſimæ charitatis nota, Samaritani beneficientia in Judæum, Lucæ 10. verſu 33.

VII. *Muhammedanorum* nomenclatione deſignamus omnes illos qui hodieq; famoſi illius impoſtoris *Muhammedis*, ſub *Heraclio*, ſexto à Chriſto ſeculo orti, & fraudibus ac latrociniis bonam Orientis partem vel dementantis vel ſubigentis doctrinam impiam ſequuntur. Quamvis enim & ipſi in partes ſcindantur, & Chriſtum pro Propheta eximio habeant, in eo tamen conſpirant quod & verum Deum ignorant, & doctrinam ſequuntur ex Iudaiſmo, & Chriſtianiſmo conflatam, adeoque & Judæis & Chriſtianis occupandis opportunam, immò hominis nefarii portentum ſupra Chriſtum Dominum euehere audent.

VIII. *Conveniunt* quatuor iſtæ falſæ Eccleſiæ claſſes, 1. In *objecto generico* cultus, quod falſum Deum colunt pro vero, dum vel Trinunum Deum ignorant, vel oppugnant etiam, & majeſtatem eius, quem miſit Filij haudquaquam agnoſcunt. 2. In *ratione formali generica* cultus ſui, quia falſa & perverſa utuntur ratione Deum colendi, adeoque idololatræ ſunt & ex parte *objecti*, & ex parte *modi* ſimul, quicquid obtentui ſumant. Ille enim Deus qui Trinunus non eſt, Pater, Filius, & Spiritus S. idolum eſt; Deus verus non item. 3. In *auerſione generali* à vero Dei cultu, vel *negatiua* tantùm, vel *priuatiua* etiam. 4. In *principio generali* quod à ſpiritu impoſtore etſi per varia inſtrumenta decipiantur, cui quippe promiſcuum eſt ſub hac vel illa forma coli, vnde ſe non idololatriæ adventitiæ oppoſuit apud Romanos, ſed unius veritatis Chriſtianæ introductioni & conſtitutioni.

IX. *Differunt* tamen, 1. In *objectis ſpecificis* cultus ſingularum gentium. 2. In *ratione formali ſpecifica* cultus quæ ſingulis fermè diuerſa. 3. In *principiis ſpecialibus*, Ethnici enim ſuæ aut phantaſiæ aut ſtupori hæc vel illa idola,

idola, & eorum cultum debent, vel traditioni, aut inſtitutioni patriæ: *Judæi* perverſo Veteris Teſtamenti intellectui, & Talmudicis ac febriculoſis Magiſtrorum ſuorum commentis: *Samaritani* miſturæ Judaiſmi & Gentiliſmi: *Muhammedani* Alcorano, ſarragini ex deliriis & nugis conſarcinatæ. 4. In *inſtrumentis* ſuæ idololatriæ, per quæ ad idololatrica ſacra pellecti fuêre, qualia inter Gentiles fuêre innumeri Hierophantæ, inter Muhammedanos Muhammedes Arabs, inter Iudæos Rabbini varii. 5. In *gradu receſſus* à veritate, alii enim plus ex iſtis, alii minus receſſerunt. Sic Judaicum principium dici poteſt melius principio non tantùm pagano, ſed & Muhammedano, concluſiones tamen Muhammedanæ in multis meliores, quippe quæ & Chriſtum & Novi Teſtamenti multa in pretio habenda docent, Judaicæ non item.

X. *Poſterior* falſæ Eccleſiæ *ſpecies* eſt, quæ conſtat ex *opertis* veræ Eccleſiæ hoſtibus, eſtque cœtus eorum, qui veræ Eccleſiæ Chriſtianæ nomen ementientes à ſalutari veri Dei, & Chriſti ejus cognitione ſunt averſi, qualium innumeræ propemodum claſſes conſtitui poſſunt, & nomen habent vel à *Doctoribus*, vel à *dogmatibus*, vel ab *inſtituto vitæ*. A *Doctoribus* nomen traxêre Ariani, Samoſateniani, Marcionitæ, Sabelliani, Pelagiani, alii: A *dogmatibus*, Chiliaſtæ, Anthromorphitæ, Ophitæ, Cathari, Monotheletæ, alii: Ab *inſtituto* vitæ, ut Apoſtolici, Euchetæ, Encratitæ, alij. Seducentium, qui hæreſium vocari poſſunt *Patriarchæ*, numerus magnus, ſeductorum fermè ſine numero. Diſtingui verò poſſunt ex parte *objecti*, vel enim falſas & periculoſas opiniones fouent de *perſona* Chriſti, vel de ejus *officio*, vel de ejus *beneficiis*, vel de *modo* ea applicandi, vel de *officio hominis*, vel de pluribus ſimul. De quibus videantur *Auguſtinus*, *Epiphanius*, *Iſidorus*, *Philaſtrius*, & alij, qui prolixos texuêre catalogos talium.

XI. Noſtro ſæculo, prætermiſſa hic conſideratione & *Eccleſiæ Græcæ* in Oriente, & aliquarum Occidentis Eccleſiarum, quæ erroneæ quidem ſunt, minus tamen à puritate recedunt, ac cœtuum fanaticorum, quorum Claſſes variæ in variis Europæ regnis ac prouinciis, & qualium examina florentiſſimum vel inprimis Regnum vicinum proximis annis & excluſit & damnavit, tres falſæ Eccleſiæ ſpecies, quæ ſæculo noſtro potiſſimùm obtinent, hic conſiderandas ſuſcipimus. 1. Eccleſiam *Antitrinitariorum*, 2. Eccleſiam *Anabaptiſtarum*. 3. Eccleſiam *Pontificiorum*.

XII. Eccleſia *Antitrinitariorum*, eſt vel *Arianorum*, vel *Socinianorum*, quorum utrique Sacroſanctam Trinitatem, Deitatem Filii & Spiritus Sancti veram, adeoque ex conſequente & incarnationem ac ſatisfactionem Chriſti negant, utrique Chriſtum creaturam meram & ψιλὸν ἄνθρωπον reipſa faciunt. In eo verò differunt, quod *Ariani* quidem Chriſtum anteriorem & mundo & creaturis aliis ſtatuant, creatum tamen & in tempore productum, ut de eo dici poſſet ἦν ὅτε οὐκ ἦν. *Sociniani* verò eum poſteriorem & Mundo & innumeris creaturis cenſent, & ſum

demum ortum, quando naſci cœpit. Priores eum adorandum negant, affirmant poſteriores, ut patet ex Diſputatione *Fauſti Socini* cum *Franciſco Davidis* habita Anno 1578. & 1579. & poſtmodùm cum *Chriſtiano Franken* Anno 1584. in arce *Chriſtophori Pa͞ulicovii*. Utrique fundamentum fidei penitus ſubvertunt. Illorum origo ab *Ario* genere Lybe, officio presbytero Alexandrinæ Eccleſiæ, & ſequacibus ejus arceſſenda: Iſtorum à *Lælio* & *Fauſto Socinis* gente Hetruſcis, qui ſuperiore demum ſeculo, infauſto conatu, fundamentalia multa Religionis Chriſtianæ dogmata ſubvertêre: & infelix acumen ſuum in ſe & veritatem convertêre: Utrique hodieque gurguſtia ſua habent in regnis aliquot & provinciis, operta tamen plura, quàm aperta, quæ falſæ Eccleſiæ nomine meritò cenſemus.

XIII. Eccleſia *Anabaptiſtarum* eſt cœtus eorum, qui à baptiſmi infantium oppugnatione in partes ire, & nomen inde trahere cœpêre, & in quam plurimas ſciſsi ſectas (de quibus alibi à nobis actum) circa S. Trinitatem, peccatum Originis, perſonam & officium Chriſti, & varia alia partim *dogmatica*, partim *practica* graviter errant. Quos cœtus omnes falſæ Eccleſiæ fimbria hîc meritò etiam complectimur.

XIV. Eccleſia *Pontificiorum* eſt, collectio omnium illorum qui Pontificem Romanum caput totius Eccleſiæ viſibilis ſtatuunt, & ab ejus dictatura & regimine toti pendent, & innumeros errores intolerandos fovent. Poſſunt verò errores illi revocari ad quatuor capita. 1. Ad *ceremonias* ſuperſtitioſas. 2. Ad *dogmata* falſa. 3. Ad *cultum* idololatricum. 4. Ad *regimen* tyrannicum. In ſingulis & à veritate & à puritate doctrinæ & πράξεως Chriſtianæ receſſum, & apoſtaſia à Spiritu Sancto prædicta, 2. Theſſ. 11. 1. 1. Tim. 4. & in Apocalypſi paſſim in Eccleſiam Chriſtianam introducta. Nec ulla vel reformationis vel mitigationis errorum iſtorum ſpes affulgere poteſt, quandiu & Pontifici Romano αὐθεντία, & Eccleſiæ Romanæ immunitas ab errore non *actuali* tantùm ſed & *potentiali* aſſeritur, quo errore homunculos errare non poſſe terrior dari non poteſt, nec fœdior.

XV. Vtut verò Eccleſiæ Chriſtianæ nomen Eccleſiæ Romanæ adhuc relinquamus, quia & S. Trinitatis & incarnationis ac perſonæ θεανθρώπου Chriſti, & quædam Chriſtiana alia de ejus officio & præceptis dogmata cum Baptiſmo retinet, veræ tamen vel puræ Eccleſiæ nomen haudquaquam illi deferri non poteſt vel debet, ob quadruplicem illam errorum claſſem, & oppugnationem veræ Eccleſiæ.

XVI. Nec vel *antiquitatis*, vel *ſucceſſionis*, vel nomenclationis, Eccleſiæ *Catholicæ & Apoſtolicæ*, vel *multitudinis*, vel *ſplendoris*, vel *felicitatis* terrenæ obtentus Eccleſiam Romanam hîc juvare poteſt. Non *antiquitas*, quippe quæ primam antiquitatem ſibi faventem non habet, nec ſeculum à quo & initium veritatis, & ſequentium temporum ordo duci debet, ſed, inſtar Gabaonitarum, ſcruta vetuſta ementitur, non habet. Non *ſucceſſio*, quia de *doctrinali* ſucceſſione vera gloriari non poteſt, de *locali* gloria-

gloriatur fruſtrà, de *perſonali* & fruſtrà etiam & falsò, partim ob ſchiſmata varia, partim ob Antipapas, partim ob Papas *Apotacticos* & *Apoſtaticos* multos, *Baronio* & *Genebrardo* etiam tales, qui proſtibulorum authoritate & libidine ad ſedem papalem evecti fuêre. Non Eccleſiæ *Catholica & Apoſtolica* nomenclatio, quia nec nomina ſufficiunt, nec Apoſtolicum ſemper eſt, quod Apoſtolicum dicitur, nec Apoſtolica vel *doctrina* vel *diſciplina* in Eccleſia Romana obſervatur. Non *multitudo*, quippe quæ & in Gentili & Muhammedana Eccleſia reperitur, & contingens eſt, & in principio nec Eccleſiæ propria fuit, nec eſſe potuit, & haudquaquam futura eſt in Eccleſia, ex propria Pontificiorum hypotheſi, ſub adventum imaginarii Antichriſti ſui: Nec *ſplendor* & *felicitas*, quippe quæ & contingentia ſunt, & apertis Chriſti hoſtibus communia & falſæ potius Eccleſiæ quàm veræ in Novo Teſtamento *τεκμήρια*.

DISPVTATIO I.

DE

ANTICHRISTO.

Thesis I.

VT veræ Eccleſiæ caput Chriſtus eſt, ſic falſæ cujuſdam, veræ tamen nomen ementitæ, & eò nocentioris, caput eſt *Antichriſtus*, de quo nobis, pro methodi noſtræ inſtituto, diſpiciendum.

II. Theoria de Antichriſto ad tria capita commodè revocari poteſt. 1. Ad quæſtionem *an* ſit. 2. Ad quæſtionem *quid* ſit. 3. Ad quæſtionem *quis* ſit. Quarum prima neceſſariò præmittenda ſecundæ & tertiæ, ſecunda etiam tertiæ: Quæſtio *an* & *quid* ſit decidi debet ex Scriptura. Quæſtiò *quis* ſit ex experientia & eventu collatis cum Scriptura. Ex Scriptura patent characteres Antichriſti, ex experientia, eorum applicatio, in quo ſubjecto reperiantur.

III. Quæſtionem *An ſit* Antichriſtus, decidit Scriptura αὐτολεξεὶ non tantùm, *Antichriſtos* varios deſcribendo communiter, qui ſe variis modis Chriſto Servatori opponunt, vel quoad unum doctrinæ caput, vel quoad plura, & ejus adventum negant in carne, 1. Joh. 11. 18. 22. & 4. v. 3. Sed & δεικτικῶς *Antichriſtum* quendam velut per ἀντονομασίαν ſic dictum nobis deſcribendo, 2. Theſſal. 2. cui potiſſimùm hoc debetur nomen, & in quo characteres varii concurrunt, qui ſparſim tantùm reperiuntur in aliis, Ioh. 2. 18.

IV. Quæſtione *An* ſit extra dubium omne conſtituta, quæſtionem *Quid* ſit decidemus conſideratione gemina, 1. ὀνοματολογίας. 2. πραγματολογίας.

V. Ad ὀνοματολογίαν quod attinet, Scriptura hoc falſæ Eccleſiæ caput appellat, 1. Δεικτικῶς *Antichriſtum* & quidem cum Articulo præfixo. 2. περιφραστικῶς *hominem peccati, filium perditionis, ὁ ἀντικείμενος, pſeudo-propbetam, Apoſtatam*. Eidem applicanda tum *nomina* exotica אבדון & ἀπολλύων, tum *typi, beſtiæ, meretricis* & id genus alia. Iudæorum Magiſtri quem nos vocamus Antichriſtum, vocant etiam אנטיכרישוס voce ex Græca conflata, & ארמילוס quod fortè etiam ductum ἀπὸ τοῦ ἐρημοῦν τὸν λαόν quaſi ἐρημόλαος.

VI. *Antichriſti* nomen æquè ac τῷ ἀντικειμένῳ duo deſignat, 1. *Vicarium* vel ſubſtitutum Chriſti. 2. *Hoſtem* Chriſto oppoſitum. Vtraque expoſitio hic

hìc conjungenda, & ut prior eſt fundamentum poſterioris, ſic poſterior eſt exercitium prioris & ſcopus. Ideò enim Sathan eum pro Chriſti vicario obtrudit, ut ſe Chriſto ſpecie & obtentu honoris Chriſti procurandi eò faciliùs & potentiùs opponere poſſit. Utraque etiam expoſitio nititur Græci ſermonis proprietate, & præpoſitio ἀντὶ, tum extra compoſitionem deſignat חלף apud Hebr. *pro* vel *loco*, ut patet ex locis Matth.11.22. & 10.4. Hebr.12.18. tum in compoſitione ſive nominum ſive verborum, ſive participiorum eandem vim habet. Hoc ſenſu habemus in Scriptura nomina ἀντάλλαγματος, ἀντιλήψεως, ἀντιμισθίας, ἀνταπόδομα, ἀντίλυτρον ἀντίτυπον, & verba ἀντέχειν, ἀντιλαμβάνειν· διὰ, ἀντιμετρηθήσεσθαι, & *participia* ἀντικείμενοι, ἀντιλαμβανόμενοι, quæ omnia ſubſtitutionem, vel relationem, vel comparationem dicunt ad alia; Nihil etiam apud Scriptores exoticos frequentiùs nominibus id genus, qualia ſunt ἀντίῤῥοπος, ἀντίθεος, ἀνθύπατος, ἀντιστρατηγὸς, ἀντίψυχος, & alia id genus.

VII. Ad ὀνοματολογίαν quod attinet, 1. *Characteres*, quibus Scriptura inſignit Antichriſtum illum κατ' ἀντονομασίαν ſic dictum *eruendi* in *Theſi* 11. Applicandi in *Hypotheſi*.

VIII. *Characteres* Antichriſti revocari poſſunt ad *duo* capita, vel enim pertinent ad *circumſtantias* circa Antichriſtum obſervandas, vel ad ejus tum *qualitates* tum *actus*.

IX. *Circumſtantiæ* circa Antichriſtum obſervandæ ſunt, vel *temporis* quando, vel *loci* ubi ſit exhibendus. Circumſtantia *temporis* itidem ſubdividenda in tempus *ortûs*, & in tempus *manifeſtationis*, & in tempus *durationis* ejuſdem.

X. Tempus *Ortûs* Antichriſti controverſum eſt, quidam eum jam ortum Antichriſtum affirmant, quidam negant, ſed ſub finem duntaxat mundi oriturum contendunt. Et idem hic Pſeudochriſtiana Eccleſia de Antichriſto ſtatuit, quod Judaica ſtatuit de Chriſto.

XI. *Affirmativam* ſententiam, Antichriſtum iam *ortum* eſſe, probat Scriptura, 1. Dum eum Paulus *jam ſua ætate* gliſcere cœpiſſe, docet 2.Theſſ. 8.2.6. Myſterium iniquitatis ἤδη ἐνεργεῖται *jam operari*. Idem habetur 1.Joh.2.3. *jam nunc eſt in mundo*. Et quia μυστήριον illi adſcribitur & quidem *iniquitatis* oppoſitum *myſterio pietatis*, 1.Tim.3.16. patet ortum ejus fuiſſe μυστηριωδῶς, adeoque *opertum* non *apertum*, Sathana hujus myſterii Architecto jam tempore Apoſtolorum per varios Anteambulones & per præparationes varias ſternente fundamenta apoſtaſiæ illius ingentis, quæ poſtea ſubſequuta. Μυστήριον enim Græcis eſt quod rectè peragitur, & dubio procul vox ipſa Græca originem à סתר Hebræorum habet, quod eſt, abſcondere. Sic Antipatri vita clandeſtinis ſceleribus oppleta dicitur κακίας μυστήριον Ioſepho lib.2. de bello Iud. cap.17.

XII. Vt verò Scriptura diſtinguit tempus *nativitatis* Chriſti & ἀναδείξεως, vel *manifeſtationis* ejus, Luc.1.80. Sic etiam diſtinguit tempus manifeſtationis Antichriſti, dum docet illum tum manifeſtandum quando τὸ κατέχον fuerit ſublatum è medio, 2.Theſſal.2. verſ.7.8. τὸ κατέχον verò

i'lud *quod* ſit & *quale*, explicatur, dant commodiſſimè ſcholia Græca; dum inquiunt id eſſe τὸ ῥωμαϊκὸν ἢ βασιλείαν τῶν ἐμποδίζον quod & pleriſque Veterum placuit *Tertulliano, Chryſoſtomo, Oecumenio, Theophylacto*, aliis. Idem diſertè docet Spiritus Sanctus. Apoc.13.& 17.ubi manifeſtationem Antichriſti deſcribit, demum poſt occupationem Imperii Romani ad decem Reges.

XIII. Terminis *durationis* Antichriſti pari ratione exponit Spiritus Sanctus, dum docet illum non tantùm *conficiendum Spiritu oris Chriſti* verùm etiam *illuſtri* demum *adventu* ejus abolendum. Ubi gemina periodus, *prior inchoatæ*, poſterior *conſummatæ* deſtructionis Antichriſti, 2.Theſſal.2.8. nec enim obſcurum τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς παρουσίας deſignari παρουσίας ἐπιφανῆ, *apparitionem illuſtrem* κατ' ἀντονομασίαν, qualis illuſtrior dari nequit illâ quæ aliquando futura eſt in decretorio iſto die.

XIV. Ex qua *temporis circumſtantia* patet, Antichriſtum unam perſonam, vel unum hominem ſingularem ſine gravi abſurdo ſtatui non poſſe, quippe quali duratio, qualis Antichriſto tribuitur, competere nequit. Et merum commentum eſt, Antichriſtum regnaturum duntaxat triennio cum dimidio, deſignato per *tempus, tempora & dimidium temporis*, quæ reſolvantur in 42. menſes, vel 1260. dies ex Dan.8.25. & 12.7. & Apoc.12. 6.17. nec enim quæ in Daniele leguntur directè ad Antichriſtum pertinent, nec Apoc.13.5. probari poteſt, *dies* potius *mathematicè*, quàm *propheticè* pro totidem annis intelligendos. Nec ſanè ea quæ Antichriſto tribuuntur, ulla probabilitatis ſpecie tam exiguo annorum & dierum numero confici poſſunt.

XV. Ad circumſtantiam *loci* quod attinet, ſedem Antichriſti deſcribit nobis Scriptura, & *communiter*, & *ſingulariter*. *Communiter* Antichriſtum ſeſſurum in templo Dei, 2.Theſſ.2. *Singulariter* eum ſeſſurum in urbe ἑπταλόφῳ, Apoc.17.3.

XVI. Quia verò templum Dei interdum deſignat *typicè* ædem Hieroſolymitanam, Deo inter Iudæos ſacram, ut Matth.23.61. & Luc.1.9. quæ antonomaſticè vocatur בית יהוה, *Domus Dei*, interdum *myſticè* Eccleſiam, ut 1.Cor.3.16. c.6.19. 2.Cor.6.16. Eph.11.21. *prior* ſignificatio hîc locum habere non poteſt, tum quia poſt Chriſti mortem & ceremoniarum impletionem adeoque & ſublationem nunquam ita appellatur in N.Teſt. tum quia de illius templi prophanatione loquitur Paulus, quæ & metuenda eſſet Chriſtianis & declinanda. Ad illos verò nihil pertinebat Hieroſolymitani templi deſolatio. Immò optanda illa erat Chriſtianis potius, quàm formidanda, ut & tolleretur rituum veritati Evangelicæ oppoſitorum obſervatio, & Chriſti Servatoris prædictio, Matth.24.2. ſuum haberet complementum. Nec ob id ſequitur, Antichriſti ſedem eſſe veram Eccleſiam. Diſtinguendus enim ſenſus *diviſus* & *compoſitus*, & denominatio *antecedens* & *conſequens*.

XVII. *Singulariter* deſcribitur nobis ſedes Antichriſti urbs Roma, Apoc.17.℣.5.9. quia illa urbs deſignatur, 1. Quæ tempore Ioh. imperium obti-

obtinebat in Reges & populos terræ, v.1.2.15.17.18. 2. Quæ eſſet *ἑπτάλοφος* *Septicollis* (unde feſtum *Septimontium* Romæ ſolemne) & magna ſimul ac dives & dominatrix, v.9.18. 3. Quæ eſſet myſtica Babylon, ob odium & tyrannidem in populum Dei, & ædificationem molis contra Deum, v.1. 4. Quæ ebria eſſet ſanguine Sanctorum, v.6. qualem Romanam eſſe evidentiſſimum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica. Et ſanè multi ſedis Romanæ gnathones fateri coguntur, de Roma iſta dici. Nequicquam verò excipiunt, ea dici de Roma quidem ſed Gentili, non Chriſtiana. At agitur, 1. De urbe non apertè graſſante in Sanctos, ſed tectè cum cornibus Agni, & per modum myſterii. Gentilis verò Roma ſe apertè oppoſuit Chriſto & Chriſtianis. 2. Si Roma Gentilis intelligatur, ſequitur poſt ejus excidium eam factam fuiſſe domicilium Dæmoniorum & cuſtodiam omnis Spiritus immundi, Apoc.18.2. Adeoque Roma Chriſtiana jam talis erit.

XVIII. Characteres petiti partim *à qualitatibus* Antichriſti, partim ab *actibus* ejuſdem varii etiam nobis in Scriptura repræſentantur. *Qualitates* Antichriſti ſunt partim *internæ*, partim *externæ*. Internæ, 1. *Fraudulentia.* 2. *Crudelitas.* Externæ, 1. *Authoritas* vel dignitas. 2. *Potentia.* 3. *Divitiæ.* 4. *Nomenclatio.*

XIX. *Fraudulentiam* in Antichriſto eximiam fore, docet Scriptura, dum ei tribuit non tantùm *ἀδικίαν* & *ἁμαρτίαν* in *genere*, ſed & in ſpecie *πᾶσαν ἀπάτην τῆς ἀδικίας*, 2.Theſſ.2.10. Eò pertinet prædictio *myſterii iniquitatis*, quod per illum dicitur exercendum, v.7. Hûc refertur nomen *myſterii* fronti mulieris inſcriptum, Apoc.17.5. Cornua ſimilia Agni, Apoc. 13.2. & poculum aureum continens & tegens ſimul abominationes, Apoc.17.4.

XX. *Crudelitatem* etiam Antichriſto adſcribit Scriptura, dum deſcribitur per mulierem ebriam ſanguine Sanctorum, & ſanguine Martyrum Jeſu, Apoc.17.6. Huc refer deſcriptionem Draconis magni rufi, & perſecutionem ab eo ſuſcitatam mulieri quæ peperit maſculum, & bellum quod geſſit, cum reliquis ejus ſemine, obſervantibus præcepta Dei, & habentibus teſtimonium Jeſu Chriſti, Apoc.12.3.4.13.17.

XXI. *Authoritas* vel *dignitas* Antichriſto tribuitur ingens, dum deſcribitur per mulierem ſedentem ut Reginam, Apoc.17.7. per ſeſſionem in templo Dei inſtar Dei, 2.Theſſ.2.4. per adorationem beſtiæ ab omnibus incolis terræ, Apocal.13.8.& per gloriam, quam ſibi tribuit, Apoc.17.7.& per poteſtatem quæ ei tributa in omnem tribum linguam & gentem, Apoc.13.7.& quidem poteſtatem prioris beſtiæ, v.12.

XXII. *Potentia* etiam tribuitur Antichriſto, & ingens quidem, cum adfuturus dicitur cum omni potentia, 2.Theſſ.2.9.& dum & plura capita & plura cornua tribuuntur, capita quidem ſeptem, cornua verò decem Apoc.17.3. Huc refer non tantùm authoritatem, ſed & *vires* quas dicuntur Reges terræ tradituri beſtiæ, Apoc.17.13. & regnum, v.17. Hoc ſenſu vocatur etiam magna Babylon & urbs valida, Apoc.18.10.

XXIII. *Divitiæ* etiam tribuuntur Antichriſto, & quidem ingentes etiam, quando deſcribitur ut mulier amicta purpura & cocco, & inaurata auro & lapidibus pretioſis & margaritis, quali mundo meretrices potiſſimùm & ii quib. mens minus culta ſuperbire ſolent, Apoc.17.4. Sic hoc ſenſu civitas magna dicitur amicta byſſo purpurâ & cocco, & deaurata auro & lapidibus pretioſis & margaritis Apoc.18.16. & in qua omnes qui habebant naves in mari dicuntur facti divites ex ipſius copiis, ℣.19.

XXIV. *Nomenclatio* Antichriſti alia *periphraſtica* eſt, quando vocatur ὁ ἄνομος, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, 2.Theſſ.2.3. vel *myſtica*, quando nomen ejus vel numerus dicitur eſſe 666. Apoc.13.18. & nomen quidem non *ſingulare* vel *perſonale*, ſed *gentilitium* & *nationale* & commune, vel Λατεῖνος eſt, ex mente Irenæi, vel רומיית, ſecundùm alios.

XXV. *Actus* Antichriſto adſcripti in Scriptura ſunt unus *antecedens*, *conſequentes* alii. *Antecedens* eſt, apoſtaſia à Chriſto. *Conſequentes* ſunt, 1. Simulatio vicariatus Chriſti, & uſurpatio auctoritatis ac dominatus in Eccleſia. 2. Oppugnatio Chriſti, & Eccleſiæ, ſed μυστηριώδης & clandeſtina. 3. Deceptio & ſeductio magna & plurimorum. 4. Prodigiorum variorum vel patratio vel jactatio. 5. Oppreſſio & conculcatio imperii Romani potentiæque ejus uſurpatio.

XXVI. *Apoſtaſia* Antichriſto diſertè adſcribitur, 2.Theſſ.2. & per illũ corpori, quod huic capiti adhæret. Quæ apoſtaſia & quidem ἡ ἀποστασία κατ' ἀντονομασίαν non poteſt eſſe impietatis vel mendacii profeſſio ſimpliciter, ſed impietatis & mendacii profeſſio, & pietatis ac veritatis profeſſionem antecedentem connotans, & defectionem ab ea, quo ſenſu occurrit, Act.20.2. & verbum ἀφίστασθαι, Matth.31.21. & ἀποστῆναι, Hebr.3.12. Sic Scholia Græca per ἀποστασίαν intelligendum dicunt, 1. Αὐτὸν τὸν Ἀντίχριστον, ratione addita, ὡς ἀφιστᾶν μέλλοντα πολλοὺς ἀπὸ τοῦ χριστοῦ, *abſtracto* poſito pro *concreto*, prout περιτομὴ ſumuntur & ἀκροβυστία pro *circumciſis* vel *præputiatis*. Exempla gemina, Heb.7.7. & αὐτὴν τὴν ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἀναχώρησιν. Nec ἀποστασία iſta de defectione ab Imperio Romano intelligi poteſt, præterquam enim quod iſta nihil facit ad negotium religionis & pietatis, agitur hìc de ἀποστασίᾳ *antonomaſticè* tali. Et ſanè ἀποστασία in Novo Teſtamento dicitur ἀπὸ τῆς πίστεως, 1.Timot.4.1. ἀπὸ θεοῦ Hebr.3.12. Talis ergo ἀποστασία deſignatur qualis deſcribitur, 1.Tim.4.1.

XXVII. *Simulatio* etiam *vicariatus* Chriſti, & uſurpatio *auctoritatis* ac *dominatus* in Eccleſia Antichriſto etiam apertè adſcribitur, tum quia vocatur Ἀντίχριστος, ſenſu iſto ſuprà expoſito, tum quia dicitur non tantùm ſeſſurus in templo Dei, ſed etiam ſe pro Deo venditaturus, 2.Theſſal.2.4. Idem innuitur dum cornua duo ſimilia agni ei tribuuntur, Apocal.13.11. Seſſio in templo Dei indicat ſimulationem externam manſionis in Eccleſia, & quidem conjunctam cum poteſtate & dominatu, miniſtris quippe τὸ *ſtare* tribuitur in templo Dei, non ſedere. Ipſe verò Antichriſtus *ſedet* in templo Dei, & omnem ſibi auctoritatem in Eccleſia uſurpat, adeoque eo ipſo ſe pro Deo venditat, non quidem τῷ προφανεῖ vel ἐμφανεῖ, ſed tamen κατ' ἀξίωσιν & δογματικῶς.

XXVIII.

XXVIII. *Oppugnatio & Chriſti & Eccleſia,* ſed μυστηριώδης: & clandeſtina Anti-Chriſto etiam tribuitur, dum & Antichriſtus vocatur ἀδωνίδης, & molitiones ejus in Chriſtum & Eccleſiam vocantur μυστήριον, quia & per cuniculos in Eccleſiam irrepere debuit, & in ea ſpecioſo religionis & pietatis obtentu dominatum ſuum ſtabilire, & Chriſti regnum ac veritatem ſubvertere. Et *myſterium iniquitatis* nihil aliud eſt, quàm iniquitas arcana & myſtica pietatis nomine velata. Sic eidem beſtiæ tribuitur & bellum cum ſanctis gerendum, & ſimul cornua Agni in Apocalypſi, adeoque impetus in ſanctos honoris Agni obtentu velatus, Apoc.13. &17.

XXIX. *Deceptio & ſeductio* & magna & plurimorum diſertè adſcribitur Antichriſto, 2.Theſſ.2.10. Apoc.13.14.16.& 17.2. quum & *indefinitè* populorum & tribuum terræ dicatur, & *definitè* Regum etiam, magnorum & parvorum, divitum & pauperum, Apoc.13.16. & tales quidem ut & adorationem ſui admittat immò exigat ab incolis terræ & poteſtatem ac vires extorqueat Regibus, Apoc.17.17. Hinc ei etiam accedit poteſtas in omnem tribum, linguam & gentem, Apoc.13.7. Huc refer teſſeram omnibus impoſitam, Apoc.13.16.

XXX. *Prodigiorum* variorum vel patratio vel jactatio Antichriſto etiam adſcribitur, 2.Theſſ.2.9. ubi ei tribuuntur σημεῖα vel τέρατα, ſed ψεύδους, tum *formaliter*, h. e. mendacia; tum *originaliter*, h.e. quæ à ſpiritu mendaci; tum *terminativè*, quia ad ſtabiliendum mendacium comparata. Sic Apoc.8.13. tribuuntur illi pari ratione *ſigna magna*.

XXXI. Tandem *oppreſſio & proculdubio Imperij Romani* & potentiæ ejus uſurpatio diſertè à Spiritu S. etiam Antichriſto tribuuntur, nec enim ſe exerit niſi τὸ κατέχον ſit ἐκ μέσου, ut patet ex 2.Theſ.2.7. idem docetur Apoc. 13.12. ubi & primæ beſtiæ ἐξουσία ei tribuitur, & quidem imperij alicujus inſtauratio, v.14.15. ex ruinis ejus exurgens.

XXXII. Ex his patet, quid & qualis ſit Antichriſtus, haudquaquam peti deberi ex characteribus aliquibus, ſed ex omnibus, iiſque non diuiſim ſed conjunctim conſideratis, eum nimirum fore non perſonam ſingularem, ſed perſonarum ſibi inuicem ſuccedentium ſeriem gliſcentem primò, poſt graſſantem obtentu tamen pietatis, & gliſcentem quidem, ac graſſantem in ipſo Dei templo, & urbe quidem *ſepticolli,* fraudulentia, crudelitate, authoritate, potentia, & diuitiis eminentem, à Chriſto reipſa, quamvis non nomine tenus, deficientem, Chriſti vicariatum ſibi vindicantem, authoritatem uſurpantem, opponentem ſe tamen Chriſto, ſed tectè, decipientem ac ſeducentem incolas terræ, prodigia & præſtigias partim facientem, partim jactantem & tandem ruinis Eccleſiæ ſuam auctoritatem, ruinis verò imperij Romani potentiam ſuam ſuperſtruentem.

XXXIII. *Quis* jam ſit Antichriſtus ille cui characteres iſti omnes conjunctim competant, & quî theſis applicanda ſit ad hypotheſin, diſpicietur Diſputatione ſequente, faciente Deo.

DISPVTATIO II.

DE

ANTICHRISTO.

Theſis I.

EXPENSVM retrò à nobis, I. *An ſit* Antichriſtus. II. *Qualis ſit.* Sequitur ut oſtendamus, *qualis non ſit*, & tandem ut *theſi* tranſlata ad *hypotheſin*, diſpiciamus, *quis ille* ſit.

II. *Primò* itaque κατ' ἄρσιν amoliemur falſos characteres Antichriſto affictos à Pontificiis. II. Κατὰ θέσιν, oſtendemus, cui veri Antichriſti characteres in Scriptura tributi, partim *nominales*, partim *reales*, non *diviſim*, ſed *conjunctim* cómpetant.

III. Et falſi quidem characteres neceſſariò nobis in anteceſſum ſunt amoliendi, quippe qui in eoſdem errores multos ex Chriſtianis inducunt, ac falſi Meſſiæ characteres Judæos hodieque à vera & ſalutari Chriſti cognitione abducunt. Ducuntur verò characteres illi pariter partim à *circumſtantiis* circa Antichriſtum obſervandis, partim ab ejus tum *qualitatibus*, tum *actibus*.

IV. Ad *circumſtantias* circa Antichriſtum obſervandas quod attinet. 1. Falſus character proponitur *temporis* adventus Antichriſti. 2. *Loci* vel *ſedis* ab eo occupandæ. 3. *Originis* vel *gentis*, ex qua prodire debeat.

V. *Tempus* adventus Antichriſti rejicitur à falſa Eccleſia ad finem uſq; Mundi. Et ut Judæi Chriſtum nondum exhibitum contendunt, ſic falſa Eccleſia nondum exhibitum Antichriſtum ſomniant, ſed venturum & regnaturum demum circa Mundi finem. Quod diſertè opponitur aſſertioni Apoſtolicæ, myſterium iniquitatis jam ſuo tempore cepiſſe operari, 2.Theſſ.2.v.7. & jam eſſe in Mundo, 1. Joh.4.v.3. Mundum enim breui poſt Antichriſti adventum conſummandum, commentum eſt humanum, non effatum divinum. Nec id vel ex Dan.7. vel ex Apoc.20. vel ex Matt. 24. vel 1.Johan.2. vel ex 2.Theſſ.2. ullis fidiculis à *Bellarmino* exprimi poteſt lib.3. de Pont. Rom. cap.9. Iſta enim loca omnia vel de aliis agunt *ſubjectis*, vel ἀπροσδιόνυσα ſunt ad demonſtrandam Antichriſti demum circa Mundi adventum comparitionem.

VI. Nequicquam etiam urgent Pontificij ſigna præcedentia tempus adventus Antichriſti. I. Prædicationem Euangelij in toto orbe. II. Imperij Romani deſolationem. Nam & *primum* κατὰ βίαιον poteſt retoqueri,

quum

quum jam ante excidium Hieroſolymitanum ubique Euangelium fuerit prædicatum, Matth.24.14.15. Idem jam tempore Pauli factum docet ipſe, Col.5.6. Et *ſecundum* pariter, revera enim Antichriſti plenam manifeſtationem præceſſit Imperij Romani deſolatio,non omnimoda quidem & quoad *nomen* & quoad *rem* nomine illo olim deſignatam,*partialis* tamen & ſufficiens locis Scripturæ de argumento iſto agentibus, explicandis.

VII. Ut verò in temporis,quo Antichriſtus exhibendus, circumſtantia hallucinantur Pontificij; ſic in *loci* vel *ſedis*, ubi exhibendus ſit, deſignatione mirum quantum peccant; Dum ſtatuunt Antichriſti *ſedem* fore *Hieroſolyma*, non *Romam*, & *templum Salomonis, ac ſolium Davidis*, ut habet *Bellarminus* libr.3. de Rom. Pont. cap.13. Antichriſti enim ſedem fore urbem ſepticolliem Romam demonſtratum diſputatione ſuperiore, & à multis ex Theologis Pontificiis aſſertum ad locum Apoc.17.9.18. Et ſanè ſi ſedes Antichriſti ſit futura templum Salomonis, ac ſolium Davidis, ſequitur iſta inſtauranda ante Mundi excidium, quod non ἄγραφον tantùm ſed & ἀντίγραφον, & Judæorum ſomniis de inſtauratione Hieroſolymorum & ſcepteri Dauidici fauentia. Quî etiam & quo ſenſu in *templo* Dei ſit ſeſſurus, ſupra demonſtratum.

VIII. In *originis* etiam Antichriſti deſignatione non parum hallucinantur Adverſarij, dum fingunt eum naſciturum è tribu Dan, quod *Bellarmino* probabile videtur cap.12.lib.III.de Pontif.Rom.vel,quod ibidem ut certiſsimum ab eodem aſſeritur, eum naſciturum ex gente Judæorum, & circumcidēdum, & Sabbathum obſervaturum ſaltem ad tempus. Quod commentum ſuperſtruitur fundamento ejuſdem commatis, Antichriſtum *præcipuè propter Iudæos venturum, & ab iis tanquam Meßiam recipiendum*, ut habet ibidem *Bellarminus*. Atqui 1. Apoſtaſia tribuitur Antichriſto,& quidem à fide ab Apoſtolis prædicata, 2.Theſſ.2. quod non eſt Iudæi, ſed Chriſtianiſmum profeſſi. 2. Tribuuntur ei cornua Agni, Apocal. 17.3. Tribuitur ei idolorum cultus, & rituum Judaicorum abolitio. Quî ergo à Iudæis tanquam Meſſias excipietur?

IX. Nec minor hallucinatio occurrit in notis Antichriſti partim ductis à *qualitatibus* ejus, partim ductis ab ejus *actibus*. Ad *qualitates* Antichriſto tributas à Pontificiis,referri poteſt, 1. *Singularitas* Antichriſti. 2. Ejus *character*.

X. *Singularitatem* Antichriſto tribuunt Pontificij,futurum eum certum & unum quendam hominem ſingularem, ut docet *Bellarminus* capite 2. libr.3. de Pontific. Roman. Nec tamen id evinci poteſt vel ex vocabulo ἄλλος Iohan.v.4. quod vagum non ſingulare, & quemvis deſignat indefinitè, vel ex articulo *præpoſitivo* qui ſæpè indefinito *ſubjecto* præponitur æquè ac *definito*.

XI. *Character* Antichriſto tributus, *Bellarmino* aſſerente cap.9.lib.3. de Pontif. Rom. dicitur eſſe *unus* omnibus communis in Antichriſti regno, & qui geri poſſit in manu dextra, vel in fronte, & omnibus neceſſarius qui volunt emere & vendere. Talem verò nullum Pontifici Roman. poſſe

affingi. Sed character iſte chimæra eſt, intellectus ad literam, de charactere materiali, quamvis cæteroquin omninò detur in Eccleſia Romana character & unus & omnibus communis in Antichriſti regno, profeſſio nimirum ſubjectionis & dependentia abſoluta in ordine ad unam ſedem. Et verò iſte character geritur in fronte & manu dextra, hoc eſt, ab omnibus apertè geſtatur, omnes eum apertè profitentur, qui regno Antichriſtiano ſunt obnoxij. Sic ſine charactere iſto non licet emere & vendere, hoc eſt, compendium aliquod exſpectare vel ſibi polliceri in Regno Antichriſtiano. Quæ characteris interpretatio & facilis eſt, ſtylo prophetico, qualis eſt Apocalypticus, conueniens.

XII. *Actus* Antichriſto à falſa Eccleſia adſcripti referri poſſunt. 1. Ad *doctrinam* ab Antichriſto docendam. 2. Ad ejus *miracula*. 3. Ad *regnum* ejus & *prælia*.

XIII. *Doctrinam* Antichriſto hanc tribuit falſa Eccleſia, *Bellarmino* referente cap.14. de Rom. Pont. 1. Quod ſit negaturus Ieſum eſſe Chriſtum & oppugnaturus omnia Salvatoris noſtri inſtituta. 2. Quod ſit aſſerturus nondum ceſſaſſe circumciſionem, Sabbathum, & alias legis veteris ceremonias, 1.Joh.2. 3. Quod ſit profeſſurus ſe eſſe verum Chriſtum in lege & Prophetis promiſſum, Ioh.5. 4. Quod ſit docturus, ſe eſſe Deum, & ſe pro Deo colendum, 2.Theſſ.2. 5. Quod ſit declaraturus, ſe ſolum eſſe Deum, & oppugnandos ab eo omnes alios Deos tam verum quàm falſos, 2.Theſſ.2. Dan.10.1.

XIV. Illa verò ipſa doctrinæ Antichriſti (præter unam legalium ceremoniarum aſſertionem, quæ affingitur Antichriſto ab Eccleſia falſa, non tribuitur à vera) *κυρίως* falſæ Eccleſiæ quæ Antichriſto ſubeſt jure impingi poſſunt. 1. Abnegatio Ieſu qua Chriſti, ob negatum revera triplex eius officium ſecundùm quod Chriſtus eſt, nam & prophetico intercedit per ſuas traditiones, & ſacerdotali per ſacrificium aliud propitiatorium & ſatisfactorium ac interceſſiones humanas, & regio per poteſtatem quam ſibi arrogat in terris. Nec hic quæri debet *abnegatio* veritatis *directa, explicita*, ſed ſufficit *realis, indirecta*, & *implicita*, tum quia *μυστη-ριωδῶς* eſſe debet, tum quia cornua agni geſturus diſertè prædicatur.

2. Profeſſio ſe eſſe Chriſtum, ibidem *μυστηριωδῶς* vel operta intelligenda, non aperta, ex uſurpatione & *titulorum* Chriſto competentium & *officiorum* ab eo qui ſe & caput, & fundamentum, & ſponſum Eccleſiæ nominari probat, & poteſtatem diuinam ſibi in cœlo & terra datam profitetur. 3. Profeſſio ſe eſſe Deum, pari ratione intelligenda, præterquam verò quod reipſa ea quæ Dei ſunt ſibi adſcribit in falſa Eccleſia Antichriſtus, adeoque *ἀποδεικνύειν* ſe eſſe Deum, denominationes Deo ſoli proprias ſibi tribui non tantùm permittit, ſed & imperat, ut & honores ſoli Deo debitos. Nec ignarum eſſe poteſt, *ἀπόδειξιν* aliam eſſe *verbalem*, *realem* aliam, aliam fieri verbis, aliam factis, ſic Chriſtus fuit *ἀποδεδειγμένος* Dei Filius, ad Rom.1. & Actor.11.4. Oppugnatio etiam aliorum Deorum, & veri & falſorum Antichriſto meritò tribuitur, & ab Apoſtolo aſſeritur.

2.Theſſ.

2.Theſſ. 11. veri quidem Dei operta, falſorum aperta. Sic καὶ πρᾶγμα, ſe velut ſolum Deum ad cultum proſtituit, Dei verò nomen κατ' ἴυςαν duntaxat præfert, partim ad ſibi obnoxiorum opportuniorem deceptionem, partim ad commodius vel tyrannidis vel regni ſui ſtabilimentum.

XV. *Miracula* falſa Eccleſia tribuit Antichriſto, 1. In *genere*, ex 2.Theſſ. 2. Miracula mendacia, ratione omnium cauſarum. 2. In *ſpecie*, 1. Quod ſit educturus ignem è cœlo, 2. Quod ſit effecturus ut loquatur imago beſtiæ, 3. Quod ficturus ſit ſe mori ac reſurgere.

XVI. Sed nec iſta ab Antichriſto à nobis vel deſignato, vel deſignando nos abducunt. 1. In *genere* miracula Antichriſto damus, ſed mendacia, & quidem ex parte *cauſæ* tum *efficientis* tum *materialis*, tum *formalis*, tum *finalis*, qualia partim faciet, partim jactabit, ſed quæ τέρατα potius dici debent & præſtigiæ, quàm vera miracula. Adeoque ex hoc ipſo σημείῳ quem nos intelligimus Antichriſtum, talem eſſe evincimus, ob miraculorum illorum partim patrationem, partim jactationem. 2. In *ſpecie* miracula illa malè partim *explicantur*, partim *applicantur*. *Primum* non ſecundùm *ſpeciem* intelligi debet, ſed ſecundùm *genus*, non magis quàm miraculum tranſmutationis montium perpetrandum ab Apoſtolis, Matth.17. verſ.20. idque per meram alluſionem ad ignem è cœlo deductum ab Elia 4.Reg.18. ℣.38. & 2.Reg.1. verſ.10. & Job. cap.1.16. quale miraculum à Chriſti ipſius diſcipulis petitur contra Samaritanos, ut indicetur, partim prophetæ à Deo miſſi nomen ementiturum Antichriſtum, partim τέρατα Antichriſti fore noxia & exitio hominum deſtinata, æquè ac ignis è cœlo olim demiſſus.

XVII. *Secundum* miraculum nec ipſum ad *ſonum* accipiendum, ſed ad *ſenſum*, non de imagine *una* propriè, ſed de variis objectis ad cultum & honorem proſtitutis per alluſionem ad imaginem erectam olim à Nebucadnezare & ad adorationem propoſitam, Dan.3.4. quales pari ratione à ſecunda beſtia in Eccleſia Chriſtiana obtruduntur omnibus, & per quas ipſa beſtia ſui adorationem facilè impetrat. Et revera objectis id genus ſæpè loquela propriè dicta afficta, ſæpe imperium & ſuaſio variorum actuum ſuperſtitioſorum. Et eò uſque populorum animi dementati ſæpè fuêre, ut ad nutum beſtiæ ipſi imagines id genus erexerint, & multa velut imaginum juſſu patrârint, quaſi loquelam & imperium propriè dictum haberent. Sic interdum pro doctoribus laicorum proſtituta idola, interdum monita, minæ, & denuntiationes vel pœnarum, vel promiſſionum iiſdem afficta. Spernentibus etiam totum iſtud idololatrici cultus ſchema nihil niſi ſævities exſpectanda erat. Quæ interpretatio ex eorum mente eſt, qui unum idemque ſubjectum per utramque beſtiam intelligunt, ſed diverſimodè conſideratum.

XVIII. *Tertium* miraculum, Antichriſtum ficturum ſe mori ac reſurgere inſtar Chriſti, Antichriſto affingitur ab hominibus, non adſcribitur à Deo. Id duntaxat habetur ℣.3. cap.13. unum de capitibus beſtiæ quaſi lethaliter cæſum, ſed ipſius plagam lethalem curatam fuiſſe. Aliud verò,

Antichriſtum occiſum eſſe; aliud, unum ex capitibus ejus; aliud, occidi; aliud, lethaliter vulnerari. Immò non deſunt ex falſæ Eccleſiæ Doctoribus, qui vulnus non capiti Antichriſti, ſed capiti alius ex decem Regibus Antichriſti præcurſoribus tribuendum ipſemet cenſent. Sufficiat, id vel ad exteras barbarorum incurſiones referre, quibus ſedes Antichriſti aliquoties penè euerſa fuit, vel ad interna ſiue diſsidia, ſiue ſchiſmata capitum falſæ Eccleſiæ ſe mutuò lethali velut plaga conficientium, quibus tamen ſciſſuris Draco cicatricem obduxit.

XIX. Ut verò circa miracula Antichriſto affiċta hallucinatur falſa Eccleſia, ſic etiam hallucinatur circa *prælia* & *regnum* Antichriſti. 1. Eum ex humillimo loco prodeuntem per fraudes & dolos regnum Judæorum adepturum. 2. Eum pugnaturum cum tribus Regibus, Ægypti, Lybiæ, & Æthiopiæ, & eorum regna occupaturum. 3. Subacturum ſibi alios ſeptem Reges, & eo modo Monarcham totius Mundi evaſurum. 4. Cum innumerabili exercitu toto orbe Chriſtianos perſecuturum, & hoc eſſe prælium Gog, & Magog, ut habet *Bellarmin*. lib.3. de Rom. Pont. cap.16.

XX. At *Reſp*. I. Per συγχώρησιν, revera Antichriſtum falſæ Eccleſiæ caput, 1. Ex humillimo proditurum loco, & per fraudes ac dolos graſſaturum ad Regnum. 2. Subacturum Reges & populos & pro Monarcha velut Mundi habendum. 3. Chriſtianis toto orbe perſecutionem moturum. II. Per ἄρνησιν, ullibi Antichriſto tribui. 1. Judaici regni occupationem. 2. Pugnam cum Regibus Ægypti, & Lybiæ & Æthyopiæ. 3. Aliorum ſeptem Regum libertatum oppreſſionem. 4. Prælium Gogi & Magogi, de quo Apoc.20. Idem enim commodè referri poteſt ad gentes barbaras, inſtar Aſiaticarum, Syrarum, & Ægyptiacarum olim in Dei Populum irruentium, in Eccleſiam Chriſtianam ex Oriente incurrentes, ſed ſingularibus Dei judiciis conficiendas & Eccleſiam ab iis liberandam.

XXI. Characterem de *Henocho* & *Elia* viventibus & ad hoc quidem, ut venienti Antichriſto ſe opponant, conſervent electos in fide, & tandem Iudæos convertant, ut habet *Bellarminus* cap.6. lib.3. de Rom. Pont. prætermittimus, tum quia mera fabula eſt, tum quia Apocrypho ſcripto nititur, tum quia confundit Eliam *perſonalem* cum *myſtico*, tum quia illum veniſſe negat, quem Scriptura veniſſe diſertè præmonuit, tum quia Henocho in beatas ſedes tranſlato, ne mortem videat, affingit, quod mortem viſurus ſit, præter alia id genus. Nequicquam itaque falſa ſibi blanditur Eccleſia, Antichriſtum nondum veniſſe, ob falſos, quos ei affingit characteres, ut Synagoga Judaica fingit Chriſtum nondum veniſſe, ob falſos quos ei pari ratione affingit characteres. Viſum itaque retrò. I. *Qualis* ſit Antichriſtus. II. Qualis non ſit. Reſtat ut deſignemus *quis* ſit ille Antichriſtus κατ' ἀντονομασίαν in Scriptura S. ſic deſcriptus. Quod Diſputatione ſequente occupandum, fauente Deo.

DISPVTATIO III.

DE

ANTICHRISTO.

Theſis I.

ANQVISITVM hactenus à nobis, 1. *An ſit* Antichriſtus. 2. *Qualis ſit.* 3. *Qualis non ſit.* Diſpiciendum nunc *quarto* loco *quis* ſit ille quem cenſemus eſſe Antichriſtum *antonomaſticè* & ἐξόχως ſic dictum.

II. Ut verò quæſtiones tres priores decidendas diximus ex Scriptura, ſic quarta decidenda ex experientia. Characterum enim Antichriſti deſignationem proponit Scriptura, applicationem docet euentus & experientia. Prout veræ Eccleſiæ & falſæ, verorum & falſorum Doctorum notas tradit Scriptura, applicationem euentus.

III. Et characteres quidem Antichriſti in Scriptura S. propoſiti ad duas claſſes revocari poſſunt, ſunt enim partim *nominales*, partim *reales*. *Nominales* petuntur à nominibus huic ſubjecto in Scriptura tributis. *Reales* partim à *circumſtantiis* circa Antichriſtum obſervandis, partim ab ejus tum *qualitatibus*, tum *actibus*.

IV. Vtriſque verò & obſervatis in *theſi* & collatis cum eventu ac experientia, affirmamus cum Eccleſiis omnibus Euangelicis, eos in *hypotheſi* in nullo conjunctim reperiri præterquam in Pontifice Romano, vel Hierarchico illo Eccleſiæ Pſeudo-catholicæ capite. Quod demonſtrandum applicatione ſpeciali ſingulorum characterum. 1. *Nominalium* 2. *Realium.*

V. Characteres *nominales* Antichriſti Pontifici Romano competere, patet, 1. Quia illi competit nomen *Antichriſti* utraque ſignificatione, & quatenus deſignat *vicarium* Chriſti, & quatenus ſignificat *hoſtem* Chriſto oppoſitum. Prius ipſe profitetur, & ſedis Romanæ cultores cum ipſo. Poſterius docet & doctrina ab eo *corrupta*, & *diſciplina*. *Doctrina* quidem, partim per *ſuperſtitiones* imperatas in ceremoniis, partim per *errores* introductos in dogmatibus, partim per *idololatriam* ſtabilitam in cultu. *Diſciplina* verò ob tyrannidem & regimen Monarchicum externum in Eccleſia conſtitutum. Quæ omnia quum adverſa ſint & oppoſita doctrinæ Chriſti & ſeruorum ejus, arguunt Pontificem Romanum verum eſſe Chriſti hoſtem. Nec obſtat, quod ſe vicarium ejus profiteatur, quum non apertus

Chriſti hoſtis eſſe debuerit, ſed opertus, *cornua ſimilia* agni habere, loqui tamen ut Draco, & œconomiam exercere quæ ſit *Myſterium*, ſiue μυστηριώδης, adeoque velata. Non itaque in hoc Antichriſto quærendum, ut ſe apertè Chriſti hoſtem profiteatur, ſed ut talem ſe reipſa exhibeat. Nec hîc vicariatus Chriſti profeſſio niſi ſchema & hiſtrionia, ut ſpecioſo hoc obtentu ſe Chriſto opponat & faciliùs & potentiùs, prout Diabolus nunquam facilius illabitur hominum animis, quàm ubi ſe in Angelum lucis transformat, & βάθη ſua occultat.

VI. Ex hoc etiam patet, meritò eum vocari ἀντικείμενον Chriſti ἐχθρὸν, quum ſe & opponat Chriſto, & efferat ſupra Chriſtum reipſa & πραγματικῶς, quamvis non nomine tenus, dum & mandata Chriſti varia abrogat, & oppoſita illis introducit, & diſpēſandi de inſtitutis Chriſti facultatem ſibi tranſcribit, peccata etiam in ſe & regimen ſuum admiſſa majoribus pœnis plectit, quàm admiſſa in Chriſtum. Quo oppoſitionis genere vix majus dari poteſt.

VII. Qui verò talis, non poteſt non eſſe partim *homo peccati*, partim *filius perditionis* בן מות utrumque tum *ſubjectivè*, tum *cauſaliter*, adeoque & אבדון & ὁ ἀπολλύων κατ᾽ αἰτιολογίαν quippe qui & ſe & plurimos alios præcipitat in exitium.

VIII. *Pſeudo-Propheta* nomen eidem Pontifici Romano commodè applicari poſſe, patet tum ex corrupti cultus divini conſtitutione, tum ex conſtituti continuatione & Sophiſtica etiam defenſione, tum ex ſacri muneris ementita profeſſione, tum ex oraculorum divinorum apud ſe depoſitorum inani jactatione, & aliis id genus Pſeudo-Prophetarum ovilla tectorum & lupum tegentium inſtitutis.

IX. Eidem etiam *Apoſtata* nomen meritò impingitur, partim in *ſenſu formali*, & *ſubjectivo*, quia ipſe defecit à Chriſto & fide ejus, partim in *ſenſu cauſali*, tum quia multos alios ad eandem defectionem vel pellexit, vel coëgit, illud fraude & promiſſis, iſtud vi & minis.

X. *Beſtiæ* etiam & *Meretricis* typos eidem ſubjecto meritò applicari patet ex collatione prædicatorum, quæ Apoc. 13. & 16. utrique tribuuntur, quorum admirandum in Sede Romana complementum, multorum ſeculorum experientia orbi Chriſtiano exhibuit. Et revera Beſtia illa aſcendit ex abyſſo, univerſa propemodum terra eam ſecuta eſt admirans, ſuprà capita ſua habet nomen blaſphemiæ, loquitur grandia & blaſphema, bellum gerit cum Sanctis, poteſtatem habet in omnem gentem, tribum & linguam. Nec obſcurum eſſe poteſt quæ ſit mulier amicta purpura & cocco, poculum aureum habens in manu, illud propinans Regibus & incolis terræ, plenum abominationibus & immunditie, & ipſi frontis nomen inſcriptum habens myſterium, Babylon mater ſcortationum, quæ ebria eſt ſanguine Sanctorum & martyrum Ieſu.

XI. Nec verò characteres *reales* Antichriſti minus competunt Pontifici Romano quàm *nominales*, ſiue illi conſiderentur, qui ſunt petiti à *circumſtantiis* circa Antichriſtum obſervandis, ſiue qui petiti ab ejus partim *qualitatibus*, partim *actibus*.

XII.

XII. Characteres *reales* à circumſtantiis petiti partim ſunt χρονικοὶ partim τοπικοὶ, illi à *tempore* ejus ducti, iſti à *loco* vel ſede ejus. Characteres ducti à *tempore* ſpectant vel *ortum* ejus vel *manifeſtationem*, vel *durationem*.

XIII. Vt verò multorum *ortus* obſcurior eſt, ſic & Antichriſti obſcurior fuit. Immò talis ex divina diſpenſatione eſſe debuit, quia debuit & μυστηριώδης eſſe, & debuit prius tectus eſſe filius perditionis, poſtmodum demum ἀποκαλυφθῆναι *revelari*, & debuit habere diu ſuum κατέχον. Non mirum itaque, anteambulones & metatores veluti Antichriſti varios præceſſiſſe, & corruptelas varias ſenſim in Eccleſiam invaſiſſe, antequam in ea agnoſci poſſet Antichriſtus. Nec vel mirum, vel novum, ortum rerum multarum latere, incrementa patere. Et ut corruptarum Rerumpublicarum, linguarum, fabricarum, & aliorum id genus incrementa aperta ſunt, initia operta magis, ſic & corruptæ Eccleſiæ. Et ſenſim Romani Pontifices gradum ſibi ſtruxêre ad faſtigium illud, ad quod ſequioribus ſeculis pervenêre, prout ſenſim & per gradus veluti aſcendit beſtia ex mari vel abyſſo, Apóc.13.

XIV. *Tempus manifeſtationis* Antichriſti referimus cum Scriptura ad periodum ſublati è medio τοῦ κατέχοντος, 11.Theſſ.11. h.e. ad tempus diſſipati imperii. Prout etiam exortus Antichriſti Apoc.17. refertur ad tempus diſſipati imperii in decem Reges ſignificatos per decem cornua. Ex quo enim imperium in occidente labefactari cepit, invaleſcere cepit Romani Pontificis tyrannis, adeoque magis detegi. Et gradus quibus deſcenderunt Imperatores, iis aſcenderunt Pontifices Romani. Et ſanè quamprimum Conſtantinus Magnus Roma relicta ſedem Imperii tranſtulit in Orientem, Pontifices Romani occaſione iſta uſi tyrannidem ſuam in Occidente promovêre, varia ἀξιώματα Imperatoribus extorsêre, titulum Epiſcopi univerſalis à Phoca perduelli impetratum uſurpavêre, & magnis paſſibus ſunt graſſati ad culmen illud poteſtatis, in quo hodieque ſunt conſtituti.

XV. *Tempus durationis* Antichriſto in Scriptura adſcriptum uſque ad conſummationem ſeculorum & illuſtrem Chriſti adventum, in Romano Pontifice adimplendum confidimus, ut quemadmodum inchoata jam plaga confici cepit per ſpiritum oris Chriſti, ſic conſummatè conficiatur planè in illuſtri Chriſti apparitione in decretorio illo die, 2.Theſſ. 11.8. Succollant his ipſi Scriptores Pontificii, dum Eccleſiæ ſuæ perpetuitatem, adeoque & capitis ſui ac regiminis fingunt, ut ut ecclypſin aliquam dandam ſub adventum Antichriſti ſui imaginarii fingant, quod merum δόγμα eſt, & commentum febriculoſum.

XVI. Ad characterem petitū à *loco*, vel ſede Antichriſti, quod attinet, & *communis* competit Pontifici Romano, & *ſingularis*. *Communis* quidem, quia revera ſedem fixit in templo Dei, non *materialiter* ſed *formaliter*, non *typicè* ſed *myſticè* conſiderato, h.e. in Dei Eccleſia, quæ templum Dei fuit *objectivè* & *antecedenter*, quando Antichriſtus in ea graſſari cœpit, tale verò *conſequenter* poſt ejus graſſationem & ab ea eſſe deſiit, quamvis nomine tenus

& titulo de iſta ἀξία glorietur, & *comparatè* tantùm ita vocari poſſit, *abſolutè* verò ita vocari non debeat. Pontifici etiam Romano competere characterem localem *ſingularem*, nimirum ſedem in urbe illa ἑπτάλοφῳ magna & dominatrice, divite, quam diſertè deſignavit Spiritus S. Apoc. XVII. 5. 9. experientia ipſa docet. Nec vel myſticæ Babylonis nomen, vel attributum quod ſit ebria ſanguine Sanctorum melius urbi ulli quàm Romæ tribui poſſe, multis argumentis demonſtrari poteſt. Et res hîc adeo clara, ut ne gnathones quidem Pontificii multi negent Romam hic intelligi, quamvis id ad ethnicam Romam referant non Chriſtianam, ſed falsò, ut demonſtratum in ſuperioribus.

XVII. Characteres ductos à *qualitatibus* Antichriſti ſive *internis* ſive *externis* Pontifici atiam Romano apprimè convenire proclive eſt probare. Inter *internas* qualitates, prima eſt *Fraudulentia.* Quam inſignis verò hic character eſt in toto regno Pontificio. Chriſti vicariatus fingitur, Eccleſiæ Catholicæ nomen uſurpatur, ejus authoritate omnes occupantur, Patrum & antiquitatis ſchemate decipiuntur, obtentu devotionis extinguitur devotio, fictitiorum cultuum introductione ſuffocatur verus, præſtigiis, ſignis apparitionibus, revelationibus deluduntur mortales miſeri, & poculi aurei oſtentatione ex *una* parte, iejuniorum & macerationum carni adverſarum in ſpeciem ſanctione & praxi ex *altera*, adeoque omni deceptionum genere præcipitantur in exitium. Et ſic verè exercuêre Pontifices Romani omnem ἀπάτην injuſtitiæ, nec enim ἀπάτη ſeductionem duntaxat, ſed ſeductionem ſpecie veri & boni peractam deſignat.

XVIII. *Crudelitatis* characterem Antichriſto tributum, Apoc. XVII. in Pontificibus Romanis vel ſede Romana, nemo ingnorare poteſt, quin ſibi ultrò occulos configere velit. Repetantur molitiones Pontificum contra Iconoclaſtas, in Oriente, contra Imperatores partim in Oriente partim in Occidente, hos cum primis, quæ Occidentem ſæpe torum fermè ſanguine inundavêre; immanes contra Valdenſes & Albigenſes, ſeſe & erroribus & tyrannidi Eccleſiæ Romanæ opponentes, ſuſcitatæ perſecutiones, editæ ſtrages & carnificinæ horrendæ in præcipuis Europæ regnis & provinciis, excitatæ contra eos qui characterem Antichriſti vel admittere nollent, vel ferre amplius.

XIX. Qualitates *externas* Antichriſti in Pontificibus Romanis reperiri, ne mancipia quidem ſedis Romanæ, quæ maximè ei ſupparaſitantur negare poſſunt, 1. *Authoritatem* vel *dignitatem*, quæ enim major hodie in terris ibi ubi regnum tenet ſuperſtitio? Expendantur tituli ſuperbi *capitis, ſponſi, fundamenti* Eccleſiæ, *Pontificis Maximi & œcumenici.* Conſideretur jus condendarum legum & imponendarum conſcientiis, abrogandarum, vel diſpenſandarum legum divinarum & humanarum. Annon etiam ſe non ſuperiores tantùm profitentur Imperatoribus, & Regibus, verùm etiam ſummi orbis Monarchæ depreſſi fuêre ad genuflexiones, oſcula pedum, & vilia quævis officia erga Pontifices Romanos præſtan-

præſtanda? Cui in ſumma capita authoritati ſuccedit authoritas in populos, quos ſæpe pro arbitrio concitavêre in Principes ſuos ac armavêre, utriuſque gladii, & poteſtatis non tantùm Eccleſiaſticæ, ſed & ſecularis jus ſibi vindicavêre, ſive *directè* id factum velint, ſive *indirectè*: Adde infallibilitatis & αὐτοθεΐας intoleranda prædicata quæ iiſdem adſcribuntur. 2. *Potentiam* Pontificum Romanorum maximam eſſe, & verè plura capita & plura cornua habere, vireſque Regnum terræ iis traditas, docet experientia & multorum ſeculorum Hiſtoria. Quoties illi commovêre orbem Europæum, dejecêre Imperatores & Reges, ſubvertêre thronos, & diademata, & maximos etiam Principes, non viliores tantùm animas, metu & terrore vel in obſequio ſuo continuêre, vel ad id coëgêre?

XX. 3. *Divitiarum*, Antichriſti, purpuræ, cocci, auri, lapidum pretioſorum & margaritarum apparatum Pontificibus Romanis apprimè convenire, docet nobile illud Petri patrimonium, quo & Petro illuditur, & toti orbi, luxus & apparatus ingens aulæ & curiæ Pontificiæ, immanes reditus, theſauri fœti omni divitiarum genere, & alia id genus. Adde aureum hamum tripodi aureo piſcando ſemper præſtò eſſe, per venalitatem officiorum Eccleſiaſticorum, annatarum, pallii Epiſcopalis, diſpenſationum, Jubilæorum & indulgentiarum nundinationes, & alias id genus artes, quibus omnes ſibi, ſedique ſuæ obnoxios vectigales, & totum propemodum orbem terrarum tributarium faciunt. 4. *Nomenclationes* Antichriſti periphraſticas Pontificibus Romanis competere, ſuprà demonſtratum. *Myſticam* de qua ſermo Apoc. 18. iiſdem etiam competere ſagax Irenæi obſervatio docet.

XXI. *Actus* Antichriſti ſive *antecedentes* ſive *conſequentes* à Pontificibus Romanis exerceri operoſa demonſtratione non eget. Apoſtaſiam à Chriſto probatam dedimus & in parte *doctrinali* & in parte *diſciplinari*. Simulationem vicariatus Chriſti, uſurpationem auctoritatis ac dominatus in Eccleſia, oppugnationem Chriſti & Eccleſiæ, ſed μυστηριώδη & clandeſtinam, ſeductionem magnam & plurimorum prodigiorum, ac ſignorum jactationem, oppreſſionem & conculcationem Imperii Romani, & potentiæ ejus uſurpationem, orbis totus videt, tremit, gemit.

XXII. Quum itaq; characteres Antichriſto tributi conjunctim ſumpti in Pontificius Romanis reperiantur, & ſolis quidem, & conſtet in ſede Romana inde à multis ſeculis exſtitiſſe, & ſibi invicem ſucceſſiſſe ſeriem quandam perſonarum ſe inuicem excipientium, gliſcentem primò, poſt graſſantem in Dei templo, & urbe ſepticolli, fraudulentia, crudelitate, authoritate, potentia, & divitiis eminentem, à Chriſto reipſa deficientem, Chriſti vicariatum ſibi vindicantem, authoritatem uſurpantem, ſe tectè Chriſto opponentem, immò revera efferentem ſe ſuprà omne numen, ſeducentem incolas terræ, prodigia & præſtigias ſive facientem, ſive jactantem, & partim ruinis Eccleſiæ ſuam auctoritatem, partim ruinis Imperii Romani ſuam potentiam ſuperſtruentem: Meritò concludimus, *theſi* applicata ad *hypotheſin*, Pontificem Romanum eſſe Antichriſtum, ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

XX 2

III. An remiſſio peccatorum,& ſalus propter ſatisfactionem Chriſti repugnet loco Matth.18.27.? Aff. Soc. Nos Neg.

IV. An doctrina de ſatisfactione evertatur locis Ezech.18.4.20.? Aff. Soc. Nos Neg.

III. *Quæſtiones Anti-Pontificiæ.*

QUÆSTIO.

I. An Scripturæ S. authoritas inniti dicatur auctoritati Eccleſiæ,& ab ea pendere, Matth.18.17. 1.Tim.3.15.? Aff. Pontif. Nos Neg.

II. An traditiones non ſcriptæ dogmaticæ probentur locis Joh.16. 12. 1.Cor.11.34. 2.Theſſ.2.2.? Aff. Pontif. Nos Neg.

III. An Pontifex Romanus in perſona Petri conſtituatur Iudex controverſiarum ſummus in terris, Matth.16.18.19. & pro tali habitus fuerit ab ipſo Paulo, Gal.1.18.? Aff. Pontif. Nos Neg.

IV. An idololatria gentilium tantùm proſcribatur Exodi 20.4.5. 1.Joh.5.21. Aff. Pontif. Nos Neg.

IV. *Quæſt. Anti-Anabaptiſticæ.*

QUÆTIO.

I. An probationes ex Veteri Teſtamento rejiciantur locis Matth.11. 13.17.5. Hebr.8.13. Aff. Anab. Nos Neg.

II. An juramentum Chriſtianis interdicatur in Novo Teſtamento, Matth.5.34. Jac.5.12.? Aff. Anab. Nos Neg.

III. An Magiſtratum gerere, pugnet cum conſcientia hominis verè Chriſtiani, ob interdicta Chriſti, Matth.20.25.26. Luc.22.25. Johan.8.11. Joh.18.36.? Aff. Anab. Nos Neg.

IV. An Pædo-baptiſmus tollatur locis Matth.3.5.6. cap.28.19.20. & Actor.2.38.41.42. capit.8.36.37.38. cap.18.8.? Affirm. Anabaptiſt. Nos Neg.

V. *Quæſt. Anti-Remonſtranticæ.*

QUÆSTIO.

I. An dilectio Dei univerſalis reſpectu omnium & ſingulorum hominum doceatur locis Johan.3.16. Roman.11.32.? Affirm. Remonſt. Nos Neg.

II. An decretum reprobationis aliquorum repugnet locis Ezech.18. 23. Act.17.30.? Aff. Remonſt. Nos Neg.

III. An gratia converſionis operativa planè excutiatur interdum

ab hominibus, argumento locorum, Act.7.51. Matth.23.37. Eſa.5.3.4.5.? Affir.Remonſt.Nos Neg.

IV An perſeverantia ſanctorum tollatur locis Ezech.18.24. 2.Pet.2.1. &c. 1.Tim.1.19.? Aff.Remonſt. Nos Neg.

VI. *Quæſt. Anti-Lutheranæ.*

QUÆSTIO.

I. An imagines in templis tolerare liceat, ut ſint libri laicorum, argumento Cherubinorum & Serpentis ænei & aliorum id genus, Exod. 37.7.8.&c. Num.21.8.&c.? Aff. quidam Euangelici. Nos Neg.

II. An *συνουσία* probetur verbis Chriſti, Matth.26.26.? Affir. Iidem, Nos Neg.

III. An communicatio proprietatum naturæ divinæ in ordine ad humanam probetur Matth.28.18.Ioh.17.5. Col.2.9.? Aff. Iidem Nos Neg.

IV. An neceſſitas baptiſmi abſoluta doceatur verbis Chriſti, Ioh.3.5.? Aff. Iidem, Nos Neg.

THEOREMATA

MISCELLA.

I.

Scriptura S. eſt perfecta ad fidei inſtitutionem, & vitæ Chriſtianæ directionem.

II. *Scriptura S. perſpicua ſufficienter eſt in neceſſariis ad Salutem.*

III. *Verſio Scripturarū in linguas vernaculas, & promiſcua earum lectio utilis eſt.*

IV. *Dogma Sacræ Trinitatis continetur in S. Scriptura.*

V. *Doctrina Eccleſiarum Reformatarum de providentia Dei non conſtituit Deum auctorem peccati.*

VI. *Quatuor præcepta ad primam Decalogi tabulam, ſex ad ſecundam pertinent, nec vel ſecundum præceptum confundendum eſt cum primo, vel præceptum decimum diſpeſcendum eſt in duo.*

VII. *Omne peccatum ſua natura mortale eſt.*

VIII. *Sancti non ſunt invocandi.*

IX. *Eccleſia pendet à Scriptura ut regulatum à regula.*

X. *Eccleſiæ noſtræ perpetuitas ſolidè probari poteſt.*

XI. *Γυμνοβαπτισμὸς probari non poteſt.*

XII. *Tranſſubſtantiatio eſt dogma ἄγραφον, ἀντίχριστον, & ἄλογον.*

XIII. *Calicis ſubſtractio in S. Cœna non ſolùm repugnat inſtitutioni S. Cœnæ ſed & conjuncta eſt cum ſacrilegio.*

XIV. *Merita hominis nulla dantur nec congrui nec condigni.*

DIS-

DISPVTATIO
DE
BAPTISMO.

THESIS I.

NObis doctrinam de *Baptiſmo* παχυλῶς καὶ ὡς ἐν τύπῳ adumbraturis notanda primò explicatio ejus ὀνοματώδης, deinde πραγματώδης. Prior vocis ὁμωνυμίαν *communiter*: poſterior ipſam Baptiſmi rationem *ſingulariter* exponit.

II. Vox Baptiſmi eſt ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. Sumitur verò in Scripturis, vel *propriè* vel *figuratè*.

III. *Propriè* Baptiſmus ſignificat immerſionem, quandoque aſperſionem & conſequenter ablutionem (παρὰ τὸ βάπτειν & βαπτίζειν, quod eſt mergere, tingere, abluere) in primis verò, purificationes & luſtrationes Judaicas, eaſque vel Leviticas (ut Hebr.9.10. agitur de διαφόροις βαπτισμοῖς, diverſis ablutionibus, quarum duratio pertingere debebat, μέχρι καιροῦ διορθώσεως, uſque ad tempus correctionis) vel ſuperſtitioſas Phariſæorum. De quibus Marc.7.4. A foro venientes, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, niſi loti fuerint, non edunt.

IV. *Figuratè* quinque ſignificationes habet, & denotat, 1. Per Allegoriam diluvium aquarum, 1.Petr.3.21. 2. Tranſitum per mare rubrum & commorationem ſub nube, 1.Cor.10.2. 3. Per Metaphoram crucem & martyrium, Matt.20.22. quem Baptiſmum *ſanguinis* vocant. 4. Per Metalepſin effuſionem donorum Spiritus S. Act.1.5. quem Baptiſmum *Flaminis* appellant. 5. Per ſynecdochen Iohannis Baptiſtæ *doctrinam & miniſterium*, qui Baptiſmus *luminis* quibuſdam dicitur Iohan.4.1. Matth.21.25. Actor.18.

V. Per ἀντονομασίαν κατ᾽ ἐξοχὴν in Eccleſia Chriſtiana Baptiſmus ſumitur pro ſolenni initiationis Eccleſiæ & regenerationis ſacramento, quem Baptiſmum *Fluminis* nominant: in qua ultima ſignificatione à nobis hîc ſumitur & definitur. Prius novi Fœderis ſacramentum, divinitùs inſtitutum, in quo, à Miniſtro Eccleſiæ fœderati Dei conſperguntur & abluuntur aquâ ſimplici & purâ, ad internam animæ à peccato ablutionem & regenerationem, per ſanguinem & Spiritum Chriſti, tum declarandam, tum obſignandam.

VI. Baptiſmi (ut methodicam ejus inſtituamus Analyſin) *efficiens* &

Author primarius eſt Deus, qui ſolus & jus habet promittendi ſignatum, & potentiam ejus applicandi. Inſtituit autem Baptiſmum in perſona Iohannis Baptiſtæ, Joh.1.33. πέμψας αὐτὸν βαπτίζειν ἐν ὕδατι, qui miſit eum ut baptizaret aqua. Hunc Johannis Baptiſmum, Chriſtus exemplo ſuo confirmavit, novo edicto ſanxit, objectique ejus latitudinem extendit, dum diſcipulos ſuos ad docendum & baptizandum omnes gentes ablegavit, Matth.28.19.

VII. Quare inter Baptiſmum Johannis, Chriſti & Apoſtolorum, nullum eſt diſcrimen eſſentiale, quoad ſubſtantiam, effectum, ſignificationem, doctrinam: ſed tantùm accidentale, quoad circumſtantiam temporis & modum, tum patefactionis, tum ſignificationis.

VIII. Eundem verò eſſe eadem doctrina oſtendit. Johannes adminiſtravit, βάπτισμα μετανοίας εἰς τὸν ἐρχόμενον Χριστὸν, Baptiſmum pœnitentiæ in venturum Chriſtum, Act.19.4. Prædicavit βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, Marc. 1.4. Quare tametſi veteres quidam hic in alia omnia iverint, eorum tamen calculus tanti nobis eſſe non debet, ut Scripturæ Srcræ certitudinem evertat.

IX. Quòd verò Johannes dicit ſe baptizare ἐν ὕδατι, aqua: Chriſtum ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί, Spiritu Sancto & igne: Non Baptiſmum à Baptiſmo diſtinguere voluit: ſed tantùm perſonam ſuam cum Chriſti perſona conferre, & innuere, ſe terrena quidem ſigna adminiſtrare ἔξωθεν: Chriſtum verò ἔσωθεν Spiritum S. miſſurum, Act.2.3.

X. Cauſa Baptiſmi *inſtrumentalis* eſt miniſter legitimè vocatus, cui miniſterium verbi commiſſum eſt. Conjuncta enim ſunt officia, docere Euangelium & adminiſtrare Sacramenta, Matth.28.19.

XI. Quapropter Baptiſmi λειτουργία nec homini privato concedenda, nec mulieribus: Quas divinus Paulus jubet σιγᾶν, tacere in publicis cœtibus, 1.Cor.14.34. & ἐν ἡσυχίᾳ εἶναι, in quiete eſſe, 1.Tim.2.12. Et γυναικοβάπτισμα non Orthodoxorum, ſed Marcionitarum dogma olim fuiſſe teſtatur diſertè Epiphanius Hær.XLII.

XII. Nec eſt, cur fictitius ille neceſſitatis caſus præſcriptos à Deo ordines non violare cogat. Cujus opinio ex falſa oritur hypotheſi; quaſi verò gratia Dei externo Baptiſmo, & promiſſiones divinæ ſignis ſint affixæ.

XIII. *Materia* alia eſt, ῥητὴ, ſeu ſenſibilis & externa: νοητὴ, ſeu intelligibilis & interna. Illa ſignum, hæc ſignatum dicitur.

XIV. *Externa* eſt ſignum tum *ſubſtantiale*, nimirum aqua pura, ſimplex, naturalis: non chriſmate, non ſputo, non cereo, non exufflatione, non exoticis aliis ſordibus inquinata: tum *rituale*, nimirum adſperſio, ſeu lotio in nomine Patris, Filij & Spiritus Sancti. Ceremoniæ enim reliquæ, cum ſint ἐντάλματα ἀνθρώπων, traditiones humanæ, proſcribendæ ſunt. Valet hîc αὐτὸς ἔφα לא תספו ולא תגרעו. Nec addatis, nec detrahatis.

XV.

XV. *Interna* & ab oculis remota eſt ſignatum, ſeu res ſignificata, reſpondens ſigno, tum *ſubſtantiali*, ut ſanguis Chriſti, tum *rituali*, ut ablutio per ſanguinem & Spiritum Chriſti: quarum illa juſtificationem, iſta regenerationem deſignat. Quicunque ſic baptizantur illi Chriſtum induiſſe dicuntur, Galat.3.21.

XVI. *Forma externa & ſenſibilis* conſiſtit, 1. In actione, aſperſione nimirum, quam in Septentrionalibus & frigidioribus locis, teneræ ætatis infantum habitâ ratione, adhibemus, loco immerſionis, quæ olim vel in fluentis publicis, vel in κολυμβήθραις, priuatis lavacris & vaſis aqua plenis fieri conſueverat. 2. In clara & intelligibili verborum inſtitutionis & promiſſionis recitatione, Matth.28.19.

XVII. Faceſſat ergo *linguæ peregrinæ* in Baptiſmi adminiſtratione uſus: faceſſat *Exorciſmus* & magica aquæ conſecratio. Eſt enim ceremonia vana, ſine effectu, mendaciter ſib in dæmones arrogat imperium, falsò traducit infantes Chriſtianos, quaſi obſeſſi illi ſint à Diabolo, eſt denique impia, utpote conjuncta cum horrendo nominis divini abuſu.

XVIII. *Forma interna & eſſentialis*, eſt analogica & Sacramentalis ſignorum & rerum ſignificatarum in Baptiſmo σχέσις, ſeu relatio, & iſtarum per illas tum declaratio, tum obſignatio. Ut enim omne ſacramentum, ita & Baptiſmus eſt ἐκ τῶν πρός τι, ex Relatis, quorum eſſe nihil aliud eſt, quàm ad aliud aliquo modo ſeſe habere.

XIX. Quemadmodum ergo ceremonia ſuſcipitur foris ſenſu, ſic gratia intus Spiritu: ſicut aqua ſordes abſtergit corporis, ita Chriſti ſanguis ſuo merito peccatorum maculas.

XX. Hæc *Analogia* conſiſtit in ſignificatione, obſignatione, & exhibitione. Baptiſmus enim eſt לאות הברית, σφραγίς, & ſigillum, quo Deus non deludit homines, ſed quod promittit, revera præſtat, in legitimo uſu, ſed ſalvâ ſuâ tum electione, tum libertate, illâ in exhibitione rei, iſtâ in modo & circumſtantiis exhibitionis.

XXI. Ut immerſio ſignificat mortem veteris, emerſio verò vitam novi hominis: ſic etiam aſperſio ſignificat & obſignat ῥαντισμὸν & aſperſionem ſanguinis Chriſti, 1.Petr.12. Ad quam trahitur à quibuſdam nobilis ille locus, Ezech.36.25. ubi mentio fit futuræ conſperſionis verbò זרק ſignificatæ, quæ fiat מים טהורים, aquis mundis, & quidem מכל טמאות, ab omni immunditie.

XXII. Propter hanc ſigni & ſignati convenientiam, iſtius declarationem & obſignationem in illo, certitudinemque perceptionis ſignati in legitimo uſu, nomina & proprietates tum ſigni, tum rei ſignatæ ſæpe in Sacra Scriptura permutantur. Unde Baptiſmus λουτρὸν παλιγγενεσίας, lavacrum regenerationis vocatur. Tit. 3.5. noſque σώζειν, ſervare dicitur. 1.Petr.3.2.1. Id quod per familiarem Scripturæ Metonymiam fit. Nulla ergo in Baptiſmo ſigni in ſignatum converſio, nec ſignati in ſigno inexiſtentia, vel conjunctio phyſica & localis, ſed unio tantùm ſacramentalis & σχετικά.

XXIII. *Finis οὗ ἕνεκα reſpectu λήψεως* eſt confirmatio fidei noſtræ, de remiſſione peccatorum, de regeneratione, de unione noſtri cum Chriſto, Act.2.38. Rom.6.3. Tit.3.5.6. *reſpectu δόσεως* eſt cultus & obedientia debita, quam Deo pollicemur: *reſpectu officij* erga proximum eſt *ἑνότης τοῦ πνεύματος ἐν τῷ συνδέσμῳ τῆς εἰρήνης*, Vnitas Spiritus in vinculo pacis, Eph.4.3. Tandem *reſpectu profeſſionis* noſtræ apud homines in familiam Dei inſitio, & quaſi teſſera, quâ dignoſcimur à reliqua hominum turba.

XXIV. *Effectus* Baptiſmi ſunt iidem *fines* jamjam explicati, quorum efficacia non attribuenda Baptiſmo externo, ut cauſæ phyſicæ, vel inſtrumento naturali agenti per vim inhærentem, quamvis fide ſe non exerente: ſed hæc omnia tauſcribenda ſunt ſanguini Chriſti & Baptiſmo interno Spiritus, qui fidem & obedientiam vel infundit, vel auget.

XXV. Quoniam characteris indelebilis impreſſionem, nec S. oracula docent, nec rationes ſolidæ demonſtrant, haud injuria eam ut commentum audax, & protervorum ingeniorum fœtum precarium averſamur.

XXVI. *Subjectum occupans* vel *recipiens*, ſeu *objectum* Baptiſmi, cui is adminiſtrandus, ſunt ſoli & omnes fœderati Dei, iique vel adulti *ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας*, confitentes peccata, Matth.3.6. *πιστεύοντες ἐξ ὅλης τῆς καρδίας*, credentes ex toto corde, Act.8.37. Quorum denique ætas requirit *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεόν*, conſcientiæ bonæ ſtipulationem in Deum, 1.Petr.3.21. vel infantes, fideli vel utroque, vel alterutro ſaltem parente nati, ad quos pertinet Dei fœdus, Gen.17.7. Ego Deus tuus, וזרעך & ſeminis tui. Ergo etiam ſigillum fœderis iis negari non debet.

XXVII. *Pædobaptiſmum* deinde abundè confirmant: I. *Analogia* circumciſionis, quo ſacramento infantes olim initiabātur המול לכם כל-זכר, circumcidatur vobis omnis maſculus, Geneſ.17.10. II. *Factum* Chriſti patri ſuo manuum impoſitione commēdantis pueros, *παιδία καὶ βρέφη*, quæ dicitur *ἐναγκαλίσασθαι* in ulnas & brachia recepiſſe, Matt.19.14. Luc.18.15. III. *Exemplum* Apoſtolorum, integras familias, quarum infantes membra ſunt, baptizantium, Act.16.15. IV. Rei ſignatæ ad infantes extenſio, Gen.17.7. 1.Cor.7.14. Act.2.39.

XXVIII. Campanarum Baptiſmus eſt Baptiſmi legitimi, & nominis divini horrenda profanatio, ſtultaque ſuperſtitio: quippe quæ regenerationis capaces non ſunt, adeoque nec ſubjecta *δεκτικὰ* Baptiſmi, qualia ſunt tantùm homines fœderati propter quos Baptiſmus inſtitutus, & Chriſtus homo factus eſt.

XXIX. *Adjunctum* Baptiſmi eſt, 1. Ejus unitas tum ſpecifica, tum numerica. Illam docet Paulus Eph.5.5. iſtam ratio & analogia. 2. Ejus neceſſitas non abſoluta, nec *medij*, ſed hypothetica & *præcepti* tantùm; non quaſi ij, qui ſine Baptiſmo decedunt, è regno cœlorum excludantur; ſed quòd ejus uſus in Eccleſia Chriſtiana vigere debeat propter voluntatem & ordinationem Dei, qui ut liberrimum agens rem ſignatam externo aquæ Baptiſmo obſignare vult in iis, qui ſignorum uſum admittere & poſ-

poſſunt & debent. Adeò ut non *privatio* Baptiſmi, ſed *contemptus* damnet.

XXX. Explodimus cæteroquin in doctrina de Baptiſmo errores illorum, I. Qui ſatagunt Baptiſmum & baptizatis omnibus conferre gratiam, & ex opere operato, non obſtante nimirum obice peccati mortalis. II. Qui rem Baptiſmi ſigno vel includunt, vel affingunt. III. Qui Baptiſmum abſolutè ad ſalutem neceſſarium arbitrantur. IV. Qui Baptiſmum ſignum tantùm externæ profeſſionis nudum & vacuum & teſſeram meram Chriſtianiſmi contendunt. V. Qui ad Baptiſmi eſſentiam & valorem intentionem cauſæ adminiſtræ neceſſariò exigunt. VI. Qui Baptiſmum etiam repetendum vel in ætatem maturam differendum cenſent. VII. Qui vel peccatum originale tantùm, vel præterita ſolùm peccata Baptiſmo elui contendunt. VIII. Qui imaginarium ſuum characterem per Baptiſmum animæ imprimi nugantur, in quo tum conſtituendo, tum exponendo nec Scholaſticis inter ſe, nec cum Scriptura, nec cum recta ratione ſecundùm eam convenit.

DISPVTATIO II.

DE

BAPTISMO.

Thesis I.

DISQVISITIO de Baptiſmo reuocari poteſt ad *duo* capita, quorum *prius* ὀνοματολογίας complectitur, *poſterius* πραγματολογίας. Illud *nomenclationem* hujus Sacramenti exequitur, iſtud *rem* nomenclatione iſta deſignatam.

II. Ad ὀνοματολογίας quod attinet, verbum βαπτίζειν, & nomina βαπτισμὸς & βάπτισμα inde deriuata ſpectari poſſunt vel ſecundùm ſignificationes ἀγράφους quas habent extra Dei verbum & Eccleſiam, vel ſecundùm ſignificationes ἐγγράφους, quas in Dei verbo & Eccleſia habent.

III. *Prioris generis* ſignificationes duæ occurrunt, una *propria*, altera *impropria*. Illa refertur ad *merſionem corporum*, quæ dicuntur βαπτίζεσθαι, h.e. βυθίζεσθαι, quando tota in liquorem aliquem immittuntur, ſiue ad colorem jam habitum eluendum, ſiue ad nondum habitum imbibendum. Iſta refertur ad *merſionem animorum* per *metaphoram* in iis qui mole vel negotiorum vel debitorum vel angorum velut obruuntur, & premuntur. Hoc ſenſu *activè* βαπτίζειν εἰσφοραῖς *eſt mergere vel obruere* tributis, & *paſſivè* ἀνδραγαθήμασι vel ὀφλήμασι vel πόνοις βαπτίζεσθαι Gratis eſt *obrui impenſis*, *ære alieno* vèl *nimio labore*. Quo ſenſu τὸ *mergere* adhibent etiam quandoque Latini, ut *Virgilius Aen. 6. Sed me*, &c.

His merſêre malis------

IV. *Poſterioris generis* ſignificationes ibidem *duæ* occurrunt, una *propria*, altera *impropria*. *Propria* vel conſideratur κατὰ γένος & *communiter*, vel κατ' εἶδος, ſiue κατ' ἀντονομασίαν *ſingulariter*: illa ſuperſtitioſas ablutiones deſignat, ut Phariſæorum lotiones, Marc. 7. 4. qui vel è foro reduces, vel menſæ accubituri corpora ſiue merſabant ſiue aſpergebant ſaltem, maculis vel *phyſicis* vel *ethicis* etiam, pro inolita illis ſuperſtitione, abluendis. Quæ res inter Judæos jam olim per κατακλυσμὸν (etiam in memoriam cataclyſmi univerſalis quo primus mundus purgatus fuit) inſtituta, ut voluntaria purgatione averterent violentam, tandem in gravem abiit ſuperſtitionem. Unde nata τῶν ἡμεροβαπτιστῶν Secta, de qua vide *Epiphanium* Hæreſ. 17. qui quotidianum baptiſmum urgebant, & contendebant, ſic ablutum

λουτ-

ἀπολούεσθαι ἢ ἁγιάζεσθαι ἀπὸ πάσης αἰτίας. Sic *proſelyti politici* tantùm, non *religioſi* etiam, Judæis adſcripti non circumciſione, ſed baptiſmo olim purgari conſuevêre, quod hodieq; in Muhametanis circumciſis, & ad Judaicam θρησκείαν ſe conferentibus obſervatur. Eadem notione occurrit τὸ βαπτίζεσθαι, Luc.11.38. & ſic meminit Apoſtolus διαφόροις βαπτισμοῖς. Heb.9.10. quia alia erat *preparatoria* ſacris operantium, ſiue ſacerdotum, ſiue Leuitarum ablutio, Exo.29.4. Num.8.7. alia *purgatoria* plebs ob contractam impuritatem ceremonialem, Leuit.15.8. & 22.6. Num.19.6. *Singulariter* ſumpta Baptiſmi vox deſignat ceremoniam ſolennem à Deo inſtitutam, quę Sacramentum eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, de quâ nobis directè agendum in ſequentibus.

V. *Impropria* baptiſmi ſignificatio duplex occurrit in N. Teſt. quarum una *metaphorica* dici poteſt, altera *ſynecdochica*. *Metaphorica* harum vocum ſignificatio reperitur adhibita vel de *actu communi*, vel de *actu miraculoſo*. De *actu communi*, & ſic deſignat oppreſſionem per calamitates, eamque vel *activam* vel *paßivam*, Matth.20.22. Marc.10.38. Luc.12.50. non tantùm ex uſu profanis Scriptoribus communi, ſed peculiari ratione, alluſione ſacris Scriptoribus familiari obſervata, qui calamitates per *aquas* & *gurgites aquarum* efferre ſolent, Pſal.18.17. & 69.1. Hinc gravibus calamitatibus obruti dicuntur βαπτίζεσθαι. De *actu miraculoſo* adhibitæ iſtæ voces interdum ſignificant miraculoſum tranſitum Iſraelitarum per mare rubrum & ſub nube, 1.Cor.10.2. quatenus iſta nube dubio procul velut irrorati & aſperſi quandoque fuerunt, interdum miraculoſam Spiritus S. effuſionem, Matth.3.11. Luc.3.16. Act.1.5. connotata & ἐκχύσει & ἐπιχύσει donorum Spiritus ſub Oeconomia N. Teſtam. collatorum, præ iis quæ conceſſa fuêre ſub œconomia veteri. *Synecdochica* ſignificatio occurrit Matth.21.25. Ioh.4.1. Act.19.3. & à *parte* non *potiore*, ſed *notiore* deſignat totum Joannis miniſterium, doctrinamque ab eo traditam.

VI. Ad πραγματολογίας quod attinet, eam exequemur conſideratione, 1. *Definitionis*. 2. *Cauſarum definiti*. 3. *Subjecti* ᾧ, cui Baptiſmus deſtinatus. 4. *Effectorum*. 5. *Adjunctorum* ejus.

VII. *Definitio* baptiſmi eſt, quod ſit primum N. Teſt. ſacramentum quo externa aquæ vel immerſione vel aſperſione declaratur & obſignatur fœderatis interna ipſorum ablutio à peccatis, tum per ſanguinem, tum per Spiritum Chriſti.

VIII. *Cauſæ* hujus ſacramenti *comparatè* ſunt vel *externa* vel *interna*. *Externa* ſunt, 1. *Efficiens*, quæ eſt vel *principalis* nimirum Deus, quippe cujus ſolius eſt ſigna inſtituere in ſua domo, & iis addere virtutem neceſſariam. Eſt verò Deus cauſa efficiens baptiſmi ſiue οὐσιωδῶς conſideratus, ratione *prima* ejus *inſtitutionis* inter Judæos, Matth. 21.25. Joh.1.33. ſive ὑποστατικῶς conſideratus, h. e. Chriſtus Servator, ratione *inſtitutionis iterata* & ad gentiles etiam extenſæ, Matt.28.19. Vel *inſtrumentalis*, qui ſunt præcones verbi, iique vel *extraordinarij* in *Eccleſia conſtituenda*, ut Ioh. Baptiſta, Apoſtoli, Euangeliſtę, Ioh.1.33. & 4.2. Act.2.41. & 8.12. & 9.18. & 10.48. vel *ordinarij* in *Eccleſia conſtituta*, idq; partim ob diſertum mandatum connectens prædicatio-

tum obſignatione per illa. Poteſt etiam diſtinctè conſiderari, 1. In *declaratione* ſignati per ſignum, Act.22.16. Epheſ.5.25.26. 1.Pet.3.21. 1.Cor.6.11. Tit.3.5. 2. In *obſignatione* ejuſdem, Actor.2.℣.38. 3. In ejuſdem *exhibitione*, 1.Pet.3.21. Tit.3.5.

XIII. *Subjectum* ǒ cui Baptiſmus deſtinatus & adhibendus eſt, ſunt fœderati omnes & ſinguli, & quà tales, hæc enim *ratio formalis* eſt ſub qua illis applicari debet, abſque diſtinctione gentis, ſexus, ætatis, Matth.28.19. Actor.16.15. 1.Cor.1.16. 1.Cor.7.14. Nec infantes fœderatorum magis à ſigno nulla *conditione* vel *antecedente* vel *conſequente* inſtar S. Cœnæ circumſcripto à Miniſtris arcendi quàm à re ſignata à Domino arcentur, Matth. 19.14. Nec ratio dari poteſt, cur à ſigno promiſſionis arceantur illi ad quos & promiſſio pertinet & res promiſſa, Act.2.39. Nec vel *univerſale mandatum*, limitatione nullibi tradita, reſtringendum, Matth. 28.19. vel *exempla* quorumvis in familiis baptizatorum precariò coërcenda, Act.16.15.33. 1.Cor.1.16. Nec vel *analogia* circumciſionis & Baptiſmi infringenda, Col. 2.11.12. vel arctanda N. Teſtam. gratia præ Veteri. Nec confundenda ſigna quorum virtus à *ſubjecti recipientis diſpoſitione* pendet cum ſignis quorum virtus pendet à mera *inſtituentis promiſſione*.

XIV. *Adjuncta* baptiſmi ſunt, 1. Ejus *unitas*. 2. *Neceſſitas*. *Unitas* quidem, quia ſemel legitimè applicatus reiterari non debet, ut qui ſignum eſt inſitionis in Dei fœdus quæ perpetuum vigorem habet, cui accedit ipſa fœderis gratiæ natura, quæ perpetuæ durationis eſt, Hebr.8.12. *Neceſſitas* verò non *abſoluta*, ſed *hypothetica*, non *medij*, ſed *præcepti*, cui non *privatio* intercedit vel involuntaria, vel violenta, ſed *contemptus* tantùm, vel *neglectus* ultroneus baptizandorum.

XV. *Effecta* baptiſmi ſunt quædam *univerſalia*, quædam *particularia*. *Effectum univerſale* eſt *cooptatio* omnium & ſingulorum baptizatorum *externa* in fœdus & ſocietatem Eccleſiæ, eorumque ad fœderis obſervationem obligatio. *Particulare* eſt, *interna* aliquorum ex illis in fœdus Dei *inſitio*, adeoque participatio actualis beneficiorum fœderalium, tum ablutionis *per ſanguinem*, tum regenerationis *per Spiritum* Chriſti, quæ ſine unione cum Chriſto, qui in baptiſmo induitur, dari non poteſt, Gal.3.℣.27. à qua duplex beneficium promanat, unum quod à Chriſto habetur ut *à vade*, & conſiſtit in abſolutione à reatu, alterum quod ab eo habetur ut *à capite*, & conſiſtit in purgatione à corruptione, per influxum Spiritus vitæ deſcendentis à capite in membra.

XVI. Damnamus, 1. Errorem Pontificiorum, Baptiſmum Johannis & Chriſti diſpeſcentium diſcrimine eſſentiali, quum uterque conveniat tum ratione *ſigni*, tum ratione *ſignati*. 2. Errorem eorum, qui Laicorum baptiſmum vel γυναικοβαπτισμὸν ſub neceſſitatis prætextu vel introducunt vel defendunt. 3. *Seleuci* & *Hermiæ* & ſequacium delirium aquæ baptiſmo ſubſtituentium baptiſmum ignis, & ſtigmatias ex Chriſtianis facientium. 4. Anxietatem ſcrupuloſorum hominum, qui vel immerſionem pro aſperſione neceſſariò reſtituendam cenſent, vel circa

unam aut trinam aſperſionem pervicaciter litigant. 5. *Catabaptiſtarum* & *Anabaptiſtarum* vel infantes ab objecto baptiſmi arcentium, vel baptiſmum bene applicatum repetentium commenta in doctrina, & peccata in praxi. 6. *Marcionitarum, Montaniſtarum,* & *Cerinthianorum* ad mortuos baptiſmum in exceſſu extendentium vel alios in mortuorum locum baptizantium abuſum. Cui accedit grauis baptiſmi campanis etiam applicati profanatio. 7. *Pontificiorum*, additamentis variis humanis baptiſmum non condecorantium, ſed dehoneſtantium ἐθελοπερισσοθρησκείαν. 8. *Exorciſmi* vel neceſſitatem exigentium, vel uſum ejus legitimum in baptiſmo defendentium, adeoq; ſiue infantium in fœdere natorum conditionem ignorantium, ſiue actum extraordinarium circa ἐνεργουμένους olim adhiberi ſolitum ad quoſvis promiſcuè extendentium, κακοζηλίαν. 9. Neceſſitatem Baptiſmi *fluminis* exæquantium neceſſitati Baptiſmi *flaminis*, vel Baptiſmum aquæ *ſimpliciter* neceſſarium profitentium, aut virtutem regenerationis ei affigentium errores. 10. *Socinianos* & *Anabaptiſtas* Baptiſmi efficaciam & uſum in merum ſignum in defectu convertentes, vel alios plus nimio eidem in exceſſu tribuentes, & ex Sacramentis N. Teſt. vaſa facientes & vehicula gratiæ, vel cauſas gratiam conferentes ex nomine & re barbaro *opere operato*. 11. Baptiſmum vel publicum vel κατ' ἰδίαν extra communionem Eccleſiæ celebrantes, quum ſignum publicum ſit, & publici miniſterii appendix. 12. Baptiſmum *conditionatum*, quæ temeraria Scholaſticorum, formam Baptiſmi mutantium licentia eſt. 13. Baptiſmum extendentes ad infantes ex parente utroq;, à gratia fœderali etiam externa alieno planè ab atauis, natos, nec ſingulari Dei providentia peculiari ratione in Eccleſiam velut accitos, & in vera fide educandos. 14. Pontificios Baptiſmi *uſum* & *efficaciam* reſtringentes ad abolitionem peccatorum commiſſorum ante Baptiſmum, vel aliud Sacramentum ad deletionem peccatorum mortalium poſt Baptiſmum admiſſorum ſubſtituentes, Pœnitentiæ nimirum & abſolutionis ſacramentalis.

DIS-

DISPVTATIO
DE
SACRA DOMINI COENA.

Thesis I.

ARGVMENTVM de S.Domini Cœna compendio pertractaturis duo expendenda ſunt, 1. Ὀνοματολογία, 2. Πραγματολογία. Ὀνοματολογία occupatur circa *nomina* hujus Sacramenti eaque vel ἔγγραφα vel ἄγραφα.

II. Ἔγγραφα *nomina* ſunt, quæ in S.Scriptura reperiuntur, qualia ſunt, quod vocetur, 1. *Cœna Domini* 1.ad Cor.11.20. *Prius accidentaliter* à circumſtantia temporis, quo primò hoc ſacramentum adminiſtratum, *poſterius* tum *originaliter*, tum *objectivè*, tum *terminativè*. 2. *Fractio panis*, Act.2.42.& 20.7. 3. *Poculum benedictionis*, & *panis quem frangimus*, 1.ad Cor. 10.16. 4. *Manducatio panis & bibitio poculi*, 1.ad Cor.11.26. 5. *Eſca & potus ſpiritualis* 1.ad Cor.10. 3.4. 6. *Menſa Domini*, 1.ad Cor.10.21. à qua ἀγάπας, epulum ex mutuis Chriſtianorum ſymbolis inſtructum, diſtinguendas cenſemus, de quibus Jud.ỽ.12.

III. Ἄγραφα *nomina* ſunt, quæ extra S.Scripturam in ſcriptis Veterum reperiuntur, qualia ſunt vel *Græca*, εὐχαριστία, σύναξις, θυσία, προσφορά, μετουσία, μυστήριον, ἱερουργία, λειτουργία, vel *Latina*, *Oblatio*, *Sacrificium*, & ſequioribus ſeculis, *Miſſa* ex Afrorum ſtylo, *ſubſtantivè* non *adjectivè*, item *Sacramentum altaris*, quæ nomina καταχρηστικῶς rei ipſi corrumpendæ, & naturæ hujus Sacramenti pervertendæ occaſionem dederunt.

IV. Πραγματολογίαν exequemur conſideratione, 1. *Definitionis*, 1. *Cauſarū definiti*, 2. *Subjecti* ꝗ cui id deſtinatum, 3. *Adjunctorum*, 4. *Effectorum* ejus.

V. Ad *definitionem* Cœnæ quod attinet, definimus illam, alterum Novi Teſtamenti Sacramentum, à Chriſto inſtitutum, quo ſymbolorum nutritioni externæ deſtinatorum panis fracti & vini effuſi tum diſtributione, tum perceptione legitima ſignificatur, obſignatur & exhibetur fidelibus nutritio interna animarum ex applicatione corporis Chriſti pro iis fracti, & ſanguinis fuſi, adeoque beata cum Chriſto quoad gratiam & gloriam confirmatur communio.

VI. *Cauſa* hujus Sacramenti, *comparatè externa* dici poſſunt vel *interna*. *Externa* ſunt, 1. *Efficiens*, quæ hîc eſt Dominus *immediatè*, Matth.26.26. & 1.ad Cor.11.23. &c. Cujus ſolius eſt & inſtituere ſigna ſacra, & conferre ſignata. 2. *Finalis*, quæ multos actus *inadæquatos* complectitur, ſed *ſubordinatos*, inſtitutum enim eſt hoc Sacramentum, 1. Ad commemorationē &

annunciationem mortis Chriſti, Luc.22.19. 1.ad Corint.11.25.26. 2. Ad obſignandam certitudinem remiſſionis peccatorum, Matt.26.28. 3. Ad communionem fidelium tum cum Chriſto capite per fidem, tum inter ſe per charitatem, 1.ad Cor.11.16.17.

VII. *Cauſæ internæ* hujus Sacramenti ſunt, 1. *Materia* ejus, 2. Ejus *forma*. *Materia* ſpectanda, 1. in *ſignis*: 2. in *ſignatis*. *Signa* hic à Domino adhibita ſunt partim *ſubſtantialia*, partim *ritualia*. *Subſtantialia* ſunt panis & vinum. *Ritualia* ſunt actiones adhibitæ circa ſigna illa.

VIII. Ad *ſubſtantialia* quod attinet, *primum* eſt *panis*, iſque, 1. *Verus & cibarius*, non ſpuma panis. 2. *Siccus* non *intinctus*, quem ſuperſtitio jam olim invexit. 3. *Communis* & *fermentatus* potius quàm *azymus*, quem Græci per meram κακοζηλίας urgent, non habita ratione occaſionis, qua à Chriſto azymus adhibitus fuit, nec vel praxeos Eccleſiæ primitivæ, vel declarationis Apoſtoli, 1.ad Cor.10.16.& 11.23. 4. Aptus ad fractionem, ad ſignum rituale. Explodenda itaque, 1. *Semidalitarum* & *Artotyritarum* veterum commenta, quorum illi farinam pro pane, iſti caſeum cum pane apponebant. *Damaſc.* de Hær. & *Epiph.* in Panar. Hær. XXIX. 2. *Pontificiorum* & aliorum hic illis ſuccollantium ſuperſtitio, ſpumam panis orbicularem, vel panem nummularium pro pane vero ad nutritionem apto ſubſtituentium.

IX. *Signum* alterum *ſubſtantiale* eſt *vinum*, idque 1. *Commune* & obvium, ſine anxia coloris diſtinctione, 2. *Purum*, non dilutum ex priſca vel ſuperſtitione vel intempeſtiva temperantiæ oſtentatione, adeoque, quod verè γέννημα τῆς ἀμπέλου, Matth.26.29. Peccarunt itaque hic, 1. *Hydroparaſtæ*, vel *Aquarii* veteres, aquam pro vino ſubſtituendo ſine neceſſitate. 2. *Gnoſtici* & *Cataphryges* fœdas miſtiones hîc introducendo. 3. *Pontificii*, per immane ſacrilegium alterum ſignum ſubſtantiale populo Chriſtiano ſubducendo. Ut verò à ſignis iſtis temerè recedere, vel illa mutare nulli mortalium fas eſt: ſic illorum ſententiam acerbè flagellandam non cenſemus, qui habita ratione ſcopi inſtituentis, & finis inſtitutionis, exiſtimarunt, præſuppoſita omnimoda privatione panis & vini, id quod utriuſque vicem ordinariè ſupplet in regionibus remotis, pro utroque in ejuſmodi caſu adhiberi poſſe.

X. *Signa ritualia* ſunt actiones à Chriſto adhibitæ circa ſigna ſubſtantialia, 1. *Conſecratio* utriuſque ſigni. 2. *Fractio* prioris, *fuſio* poſterioris. 3. Utriuſque *diſtributio* ad manducationem & bibitionem.

XI. *Conſecratio* utriuſque ſigni interdum verbo εὐλογεῖν, Mat.26.26. interdum τῷ εὐχαριστεῖν, Luc.22.29. exprimitur, tum quia illa, ut ברך & הודה Hebræorum promiſcuè ſumuntur, tum quia utrumque à Chriſto conjunctim occupatum, prius *reſpectu ſignorum*, quæ benedictione ſua Dominus ab uſu communi ſeparata, & ad ſacrum tranſlata voluit, poſterius *reſpectu Dei Patris* cui gratias egit, pro ineffabili ſua erga filios ſuos bonitate, in deſtinatione, & exhibitione ἱλαστηρίου expiandis illorum peccatis. Peccant hîc Pontificii, qui pro verbis *votivis* verba *operativa* ſuſtituunt, murmura,

miſta, cruces, & geſticulationes varias miſcendas cenſent, & iis magicam velut vim ad trans-elementationem ſignorum affingunt, & promutatione *officii* vel *uſûs* ſignorum, eorum *naturam* mutandam contendunt.

XII. *Fractio* alterum ſignum *rituale* eſt, reſpectu prioris ſymboli *effuſio* reſpectu poſterioris. Vtrumq; verò à Chriſto adhibitum, non tantùm *occaſionaliter* & *accidentaliter*, quia id moris erat Patribus familiâs in Oriente, panes frangere familiæ, ſed etiam *ſignificanter*, & *obligatoriè* reſpectu noſtri, ad deſignandam violentam corporis ſui per crucifixionem veluti diviſionem, prout per effuſionem vini deſignatam voluit ſanguinis ſui fuſionem. *Fractio* itaque *panis* retinenda, ob exemplum Chriſti, ejus mandatum, ſignificationem emphaticam, & praxin Apoſtolicam, immò veteris etiam Eccleſiæ. Peccant hîc itaque illi, qui vel fractionem planè omittendam, tranſſubſtantiationis faſcino dementati cenſent, vel *adiaphoram* exiſtimant, vel cum diſtributione confundunt, quum & frangi poſſint non diſtribuenda, & diſtribui non fracta.

XIII. *Diſtributio* panis & vini *tertium* ſignum *rituale* eſt, quo utrumque ſignum ſubſtantiale ad receptionem & perceptionem Diſcipulis à Chriſto exhibitum fuit, adeoque non ad nudam intuitionem oſtenſum, ſed ad fruitionem præbitum. Diſtributio verò illa verbis partim *imperativis*, partim *indicativis* peracta fuit.

XIV. *Verba imperativa* eaque nec murmuratione aliqua, ſed vocali ſermone, nec ſermone ad ſigna ſed ad diſcipulos converſo, nec peregrino & incognito idiomate, ſed patrio & noto expreſſa definiuntur, 1. *Mandato excipiendi* utrumque ſignum. 2. *Mandato percipiendi* utrumque, *edendi* unum, *bibendi* alterum. *Priori* oſtenſum, 1. Sacramentum iſtud non in adminiſtrantis ſolùm, ſed & in illorum quibus id adminiſtratur actione conſiſtere. 2. Non in ora diſcipulorum à Domino ingeſta fuiſſe ſigna, ſed in manus eorum tradita. 3. Nec ſacrificium celebratum, quod Deo, ſed Sacramentum quod homibus offerri ſolet.

XV. *Poſteriori* mandato oſtenſum, ſigna illa non exhiberi, 1. Ad pompam, ſed ad uſum. 2. Non ad circumgeſtationem, vel ad adorationem, ſed ad fruitionem, & ad nutritionem ſpiritualem animarum per externam corporum deſignandam. 3. Iiſdem panis & vini uſum ex æquo imperari, immò *δεικτικῶς* & *ἀδιακρίτως omnibus* præſcribi poſteriorem, præcavendæ innovationi. *Vtroque* oſtenſum, Sacramentum iſtud & communem plurium, & publicam potius actionem eſſe quàm privatam.

XVI. *Verba indicativa* definiunt *ſigna*, & exponunt, 1. Quid ſit *panis* iſte in hoc Sacramento. 2. Quid ſit *poculum* iſtud, illum nimirum eſſe corpus Domini, hoc ſanguinem ejus, novi fœderis Sacramentum, & utrumque quidem *ſpecificativè*, corpus quà datum vel fractum, poculum quà fuſum pro multis, in remiſſionem peccatorum.

XVII. Ex quo patet 1. Verba illa non eſſe *operativa* ratione ſignorum, ut fierent ea quæ non eſſent; ſed *declarativa* illorum quæ eſſent, nec enim docetur, quid panis vel poculum ſint futura, ſed quid jam ſint.

2. *Subjectum* horum verborum eſſe ex una parte panem, ex altera parte poculum continens, vel vinum contentum in poculo, tum quia *pronomina* relativa & δεικτικὰ referunt ordinariè *ſuppoſita* ad immediatè *appoſita*, tum quia ἀκολουθία verborum invictè demonſtrat, de iis Dominum loquutum, quæ accepit, benedixit, fregit, fudit, dedit, tum quia Paulus *ſubjectum* enumerat per panem & per poculum, 1 ad Cor. 10.16. & 11.26.27. Sic διερμηνευτικῶς addit Lucas cap. 22.20. ad τῶν voces τὸ ποτήριον. 3. Cadere μετουσίαν, nec pronomen *hoc* vel *individuum vagum* deſignare, vel *ſpecies* ſeu *accidentia* panis & vini, vel pro *prædicato* ſupponere. 4. Nec συνουσίαν locum habere poſſe, vel *Synecdochen* continentis pro contento, præterquam enim quod vaſorum & pyxidum alia, alia ſignorum ſit ratio, & illorum ſit continere, iſtorum deſignare, ſic mutatur *ſubjectum in prædicatum* & *prædicatum* in *ſubjectum*. In enuciatione enim v.g. *Hoc eſt corpus meum*, *ſubjectum* eſt, hoc, *prædicatum*, corpus meum. In enunciatione verò *in hoc*, *cum hoc*, *ſub hoc* eſt corpus meum, ſubjectum eſt *corpus meum*, prædicatum *in hoc*, *cum hoc*, *ſub hoc*. Adde Chriſtum non docere, ubi ſit corpus vel ſanguis ſuus ſed quid ſint panis & poculum. 5. Inde etiam liquet, Eccleſias Reformatas ſolas retinere verum τὸ ῥητόν, & fateri, panem eſſe corpus, poculum eſſe ſanguinem Chriſti, nec diſputari περὶ τοῦ ὄντος, ſed περὶ τοῦ πῶς, non *quid* ſint ſigna ille, ſed *quomodo* ſint id quod ſunt.

XVIII. *Prædicatum* hujus enunciationis ſunt, *corpus meum*, & *ſanguis meus*, non corpus *phantaſticum*, ſed *verum*, non *myſticum*, vel *metaphoricum*, ſed *naturale* Chriſti corpus, & quidem δεικτικῶς, quod datum vel fractum, & ſanguis qui fuſus, & quidem, quà talia: Vnde *Syrus* diſertè vocat corpus Chriſti פגרא *cadaver*, quod propriè *corpus deſtructum* à Chald. בגר in *Pahel deſtruere*, adhibita *enallage* conſueta *præſentis* pro *paulo poſt futuro*, adeoque verba iſta conſideranda, quà obſignativa Novi Teſtamenti vel fœderis, & remiſſionis peccatorum cum beneficiis annexis ex corporis Chriſti fracti, & ſanguinis fuſi pro nobis applicatione exſpectanda.

XIX. *Copula* eſt *verbum* ὑπαρκτικὸν *eſt*, quod cum ſit hîc connexivum *Diſparatorum*, nec iſta de ſe invicem prædicari poſſint propriè, cum nullius *prædicabilis* ſive ὁμοειδοῦς, ſive ἑτεροειδοῦς notionem ſuſtinere poſſit corpus Chriſti in ordine ad panem, Novum Teſtamentum in ordine ad poculum, neceſſariò *eſſe* non *naturale* ſignorum, ſed *ſacramentale* hîc intelligendum eſt, pro natura omnium Sacramentorum, in quibus non *eſſe* eorum *abſolutum* ſpectatur, ſed *eſſe relatum*, non quid ſint, ſed quid ſignificent. Nec in alia hîc euntes ſe à *tropo*, quicquid moliantur, expedire poſſunt, immò inſolitos in hoc argumento tropos pro *ſoluto* ſubſtituere coguntur. *Modum* itaque prædicationis hîc ſtatuimus non *ſubſtantialem* vel *Synecdochicum*, ſed *Sacramentalem* & *metonymicum*.

XX. Anxiè verò litigandum non cenſemus ſuper *ſede tropi*, an is in verbo ὑπαρκτικῷ conſtituatur, an in *prædicato*, utrumque enim ſine abſurditate pro diverſa ἀνάλυσιν enunciationis ſtatui poteſt, & in eundem ſenſum exit; modò ἐκλήψει convenienti res declaretur, ne *tropicum* corpus, &

tropicus

tropicus ſanguis concipiatur. Nec enim iſta ſunt ἀδύνατα, corpus eſſe *tropicum*, & corpus hic efferri per *tropum*, immò, ut efferatur per *tropum*, debet verum corpus ſubſterni, & ei aliquid adſignificari.

XXI. Nec argutandum, cur Dominus hac potius loquendi forma uti voluerit quàm alia, præterquam enim quod liberum illi erat & *ea* efferre, quæ vellet, & *eo modo* quo vellet, enunciatio iſta apposita erat. 1. Modo loquendi Hebræis conſueto. 2. Naturæ Sacramentorum, & rei ſubjectæ, de qua agebat. 3. ἐπίλογον ſummam habet, & tum *unionem Sacramentalem* inter ſigna & ſignata, tum *unionem Spiritualem* ſignatorum & utentium ſigno convenienter exprimit, & oſtendit, Sacramentum illud eſſe non tantùm ſignum σημαντικὸν ſed & σφραγιστικὸν & μεταδοτικὸν cum *promiſſione* quippe conjunctum, ejuſque *ratificatione* in legitimo uſu. 4. Adde, nec κατάχρησιν, nec ἀκυρολογίαν illam in hac forma loquendi reperiri.

XXII. *Forma* Sacramenti hujus conſiderari poteſt, κατὰ λόγον συγκρίνως, vel *externa* vel *interna*. *Externa* conſiſtit in praxi illorum circa hoc Sacramentum quæ à Chriſto & *præcepta* ſunt, & *facta*, h. e. ex una parte in acceptione, benedictione, diſtributione utriuſque ſigni conjunctim, & in fractione prioris, fuſione poſterioris; ex altera, in receptione & perceptione utriuſque, convenienter verbis παραστατικῶς adjectis, *Hoc facite, quotieſcunque*, &c. *Forma interna* conſiſtit in *analogia* ſignorum cum ſignatis & iſtorum *declaratione*, & *obſignatione* per ſigna in legitimo uſu.

XXIII. Haudquaquam itaque Eccleſiis Reformatis cum ratione impingi poteſt. 1. Eas ſtatuere Sacramenta eſſe nuda ſigna. 2. Eas Chriſti præſentiam in Sacra Cœna negare, qui & *unionem relativam* ſignorum cum ſignatis, & *ſpiritualem* ſignorum cum animabus legitimè ſignis utentium διαφόρως ſtatuunt, nec Chriſtum ab actione illa ſacra, vel ab animabus fidelibus, ſed à ſignis duntaxat quæ ſubjectum ejus δεκτικὸν eſſe nequeunt, excludunt, nec id ἅμα præſens eſſe negant, quod ὁμοῦ præſens eſſe nequit; nec præſentiam diſtantiæ opponendam cenſent, ſed abſentiæ nec id abeſſe exiſtimant quod intra ſphæram fidei continetur.

XXIV. *Subjectum* ὧ, cui Sacra Cœna deſtinata & præbenda eſt, ſunt, 1. *Fœderati*, & Sacramento initiali Fœderis obſignati, non extra illud omninò conſtituti. 2. *Fidem profitentes* verbis & factis, & vel ex *canone fidei*, vel ex *canone charitatis* fideles. 3. *Adulti*, qui ad annos diſcretionis pervenerunt, ob *conditionem* geminam annexam, *antecedentem* unam *concomitantem* alteram, quarum illa eſt probatio ſui ipſius, 1. ad Cor. 11 28. Iſta annunciatio mortis Domini, 1. ad Corint. 11. 26. Neutra in Baptiſmo exigitur, unde utriuſque hujus Sacramenti quoad ſubjectum recipiens diſpar eſt ratio.

XXV. *Adjuncta* Sacræ Cœnæ ſunt, 1. Quod ſit ſecundum N. Teſtam. Sacramentum ratione ordinis, non primum. 2. Quod non ſemel duntaxat B pt ſmi inſtar adhibendum ſit, ſed repetendum, 1. ad Cor. 11. 26.

XXVI. *Effecta* ejus ſunt, 1. Confirmatio fidei de peccatorum eorumque remiſſione. 2. Unionis cum Chriſto & Spiritus ejus ulterior participatio, & ex eo vivus beneficiorum ejus ſenſus. 3. Unionis cum proximo per charitatem corroboratio.

VI. Idem exigit Reſuſcitandorum conditio, quorum *aliqui* à morte æterna exempti, & jus vitæ æternæ in capite & Mediatore ſuo conſequuti in ejus felicitatis poſſeſſionem, cujus hîc primitias habent, immittendi ſunt: Alii luere debent in corpore quod in corpore peccarunt, 2.Cor.5.10.

VII. Voluntate verò Dei ſuper hoc argumento per expreſſam Scripturæ Sacræ declarationem comprobata, nequicquam de *poſſibilitate* Reſurrectionis controvertitur. Quamvis enim à ſola Dei potentia ad ejus voluntatem argumentum duci nequeat, ab hac tamen ad illam argumentum invictum duci poteſt. Deus enim noſter qui in cœlis eſt facit quicquid vult, Pſalm.115.3. Voluntate verò Dei conſiderata, & ſubſtratâ ejus potentiâ, non *ἀσίστῳ* tantùm, ſed & *ἀπείρῳ* explodi debent argutationes omnes Sophiſtarum ſuper *reproductionis* ejuſdem corporis impoſſibilitate; & qui hic fibulam laxant ratiociniis ſuis, incurrunt in virtutem Dei & ignorant Scripturas, Matth.22.29. Nec ob ignorantiam & ſtuporem noſtrum in definiendo rei *modo*, *res* ipſa apertis documentis in Scriptura S. conſtabilita temerè ſolicitanda eſt.

VIII. Quæſtionem *Quid ſit* Reſurrectio, expedimus, 1. *Deſcriptione* ejus, 2. *Natura* illius ex *cauſis* ſuis *conſideratione*. *Deſcriptio* eſt, reſurrectionem eſſe hominum omnium mortuorum inſtaurationem ad vitam vel feliciſſimam in cœlis, vel miſerrimam in inferno exigendam. *Priori* reſpectu reſurrectio *gratiæ* potiſſimùm, *poſteriori juſtitiæ*, utroque *potentiæ* Dei effectum eſt, Dan.12.2. Joh.5.29. 2.Cor.5.10. 2.Theſſ.1,6.

IX. *Cauſa* Reſurrectionis *efficiens* eſt Deus *ἐνεργῶς* conſideratus, tum quia & Patri adſcribitur ad Rom.4.17. & Filio, Joh.5.21. & 6.39. & Spiritui S. ad Rom.8.2; tum quia *opus ad extra* eſt, tum quia *potentiæ eſſentialis*, non *perſonalis* effectum eſt.

X. *Materia circa quam*, vel *objectum* Reſurrectionis ſunt, homines omnes mortui, quorum corpora divina virtute in priſtinam compagem redibunt, & eadem quidem, quæ hîc geſtarunt. Quod & gratiæ & juſtitiæ Reſuſcitantis imputandum eſt, & naturæ reſurrectionis, neque enim id reſurgere dici poteſt, niſi quod concidit prius. Unde non *formæ* tantùm, ſed & *materiæ* ejuſdem non *ſpecificam* duntaxat, ſed & *individualem identitatem* ad Reſurrectionem exigimus, argumento locorum, Job.19.25.26.27. 1.Corinth.15.52.53.54. 2.Corinth.5.10. Philip.3.21. Sub hoc objecto non comprehenduntur illi, quos vivos oppreſſura eſt dies decretoria, quibus tranſmutationem aliquam Reſurrectionis loco Scriptura adſcribit, 1.Corinth.15.51. 1.Theſſ.4.16.

XI. *Forma* Reſurrectionis ad duos actus revocari poteſt. 1. Ad corporum collapſorum inſtaurationem. 2. Ad eorundem cum animabus ſuis conjunctionem, Matth.24.31.25.31. & Johan.5.28.29. 1.Theſſal.4.16. Quorum actuum *principium* quidem *ſupernaturale*, *terminus* verò *naturalis* dici poteſt.

XII. *Finis* Reſurrectionis eſt *principalis*, Reſuſcitantis gloria ex poten-

tiæ; gratiæ & juſtitiæ demonſtratione reſultans, vel *ſubordinatus*, Reſuſcitatorum partim gratuita ſalvatio, partim iuſta punitio, Dan.12.2. Ioh.5. 28,29. 2.Theſſ.1.6.7. Iud.5.

XIII. *Conſequens* Reſurrectionis eſt *judicium*, quod Apoſtolus cum illa coniungit ad Hebr.6.2. idque non *partiale*, ſed *univerſale*; non *occultum*, ſed *manifeſtum*; non *interlocutorium*, ſed *peremptorium*; non *temporarium*, ſed *æternum*, quod ne *Pagani* quidem omnino ignorarunt.

XIV. *Cauſa efficiens* judicii eadem eſt quæ Reſurrectionis, ſpectata *apoteleſmaticè*, etſi *appropriativè* adſcribatur peculiari ratione Christo θεανθρώπῳ, cum diſtinctione tamen diverſorum actuum ei ſecundùm utramque naturam competentium, Actor.17.31. Ioh.5.21.

XV. *Materia circa quam* vel *objectum* judicii ſunt, 1. *Perſonæ*. 2. *Actus* Perſonarum. *Perſonæ* iudicandæ quoad *quantitatem* ſunt omnes homines, 2.Cor.5.10. quoad *qualitatem*, magni & parvi, Apoc.20.12. quoad *ſtatum* vi & mortui, Act.10.42. *Actus* iudicandi ſunt, & *facta*, 2.Cor.5.10. & *dicta* etiam minima, Matth.12.31. & *cogitata* argumento locorum, Exod.20.12. Pſal.14.1. Hebr.4.13.

XVI. *Forma* judicij iſtius revocari poteſt, 1. Ad *Formationem* & *lationem* ſententiæ partim abſolventis partim condemnantis. 2. Ad *ſententiæ* formatæ & latæ *executionem* glorioſam reſpectu piorum, horrendam reſpectu impiorum. Hinc ut dies illa decretoria *in genere* vocatur ἡμέρα κρίσεως, Act.17.31. δικαιοκρισίας ἀποκαλύψεως, ad Rom.2.5. μεγάλη ἡμέρα, Jud.6. ſic ἐξοχητικῶς, & *in ſpecie* vocatur ἡμέρα ὀργῆς reſpectu damnandorum, ad Rom.2.5. dies verò ἀναψύξεως & ἀπολυτρώσεως reſpectu ſalvandorum, Act. 3.20. Eph.4.30.

XVII. *Finis* iudicii vel *principalis* eſt Dei judicantis gloria, 2.Theſ.1.10. Apoc.15.4. vel *minus principalis*, filiorum Dei beatitudo, & hoſtium ejus pœna, utraque æterna.

XVIII. *Iudicium* conſequitur *Glorificatio* filiorum Dei; cujus notanda, 1. *Deſcriptio*. 2. *Cauſa*. *Deſcriptio* eſt, Glorificationem eſſe conſummatam filiorum Dei per perfectam eorum à malo omni liberationem, & omnis boni, ſummi præſertim, communicationem μακαριότητος, qui credi magis debet quàm vel concipi poteſt vel explicari, 1.Cor.13.12.

XIX. *Cauſa* Glorificationis *efficiens* eadem eſt quæ reſurrectionis & judicii, Pater, Apoc.21.4. Filius, Ioh.10.28. & Spiritus ſanctus, & ob rationes *ſupra* allatas, & argumento loci, 1.Cor.15.28.

XX. *Materia circa quam*, vel *Subjectum* eius *receptivum quod*, ſunt omnes & ſoli electi quibus regnum paratum eſt, Matth.25,34. ad Rom.8.29,30. *ſubjectum quo* ſunt tum animæ tum corpora filiorum Dei, quę ſicuti redemptionis objectum ſunt, ſic etiam ſunt objectum glorificationis. Nec felicitas cœleſtis miſeria infernali vel *extenſivè* vel *intenſivè* minor eſt.

XXI. *Formam* Glorificationis revocamus; 1. Ad plenam ab omni *malo Ethico* liberationem per ſanctificationem perfectam, ad Epheſ.5.27. 2. Ad conſummatam ab omni malo *phyſico* ἀπαλλαγὴν, Apoc.7.16.17.& 21.4.

3. Ad

3. Ad perfectam *omnis boni* collationem, quam Scriptura S. deſcribit præcipuè per communionem cum Deo hic *inchoatam* per *fidem*, ibi conſummatam per *viſionem*, 1. Ioh. 2. 3. Iob. 19. 26. Pſ. 17. 15. 1. Ioh. 3. 2. item per fulgorem glorioſum, Luc. 9. 31. per conformationem corporis noſtri cum corpore Chriſti, ad Phil. 3. 21. per immediatam Dei inhabitationem, ad Cor. 15. 28. per converſationem cum beatis, Matt. 8. 11. per gloriam & gaudium ineffabile, 1. Cor. 2. 9. idque æternum, Ioh. 16. 22. Et iſta quidem omnia *ſymbolicè* in Scriptura Sacra repræſentantur per omnia illa quæ homini vel *grata*, vel *precioſa* ſunt, v. gr. per convivium, per nuptias, per ingreſſum in hortum amœnum, per veſtitum ſplendidum, per concentum ſuavem, per palatij & lucidiſſimi & auro gemmiſque fulgidiſſimi inhabitationem, & alia id genus: prout ex adverſo mortem æternam deſcribit Spiritus S. per omnia quæ homini vel *ingrata* vel *dolorifera* ſunt, per tenebras, vermem rodentem, flammas, ſtagnum ignis & ſulphuris, & quæ ſunt alia id genus, ut beatitudo tum *intenſivè* tum *extenſivè* perfecta ex una parte piis propoſita filiorum Dei ſpem ſuſtentet, & obſequium promoveat, ex altera oppoſitæ infelicitatis conſideratio metum terroremque mali incutiat malis.

XXII. *Finis* Glorificationis *principalis* eſt, Dei glorificantis gloria, Apocal. 5. 9. &c. *minus principalis*, glorificatorum perpetua felicitas.

XXIII. *Quæſtio*, An dentur *gradus gloriæ*, quamvis problematicè conferi poſſit, in partem tamen negatiuam potius decidenda videtur quàm affirmativam, cum *Petro Martyre*, Summo Theologo, aliiſque Theologis Orthodoxis, ſiue Scripturam S. ducem ſequamur, ſiue rationes utriuſque ſententiæ expendamus.

DISPVTATIO
DE
CONSVMMATIONE SECVLI & vltimo Judicio.

Thesis I.

IN utroque argumento iſto pertractando, non prolixa, quam materiæ latitudo poſtulat, ſed compendiaria, quam ordo nobis præſtitutus exigit, operâ defungemur.

II. Diſquiſitio *prior* de conſummatione ſeculi ad *duo* revocari commode poteſt. 1. Ad quæſtionem, *An ſit?* 2. Ad quæſtionem, *Quid ſit?* Quorum prius præſtruendum poſteriori, poſterius ſubnectendum priori.

III. Quæſtio, *An ſit* futura aliquando ſeculorum conſummatio, *duplici ſenſu* intelligi poteſt: vel *generali*; An ſtatus hujus ſeculi aliquando mutationem aliquam ſit ſubiturus: vel *ſpeciali*; An ſit ſubiturus mutationem *omnimodam*, an verò certi generis mutationem duntaxat, ſiue *ſubſtantialem*, ſiue *accidentalem*.

IV. Mutationem aliquam ſubiturum ſeculum *in genere*, vel mundum, in confeſſo eſt, & hîc à Theologis communibus ſuffragiis in ſententiam affirmantem itur, exploſo pagano de æternitate mundi commento, quod durationem *periodicam* vel *ἀΐδιον* ſaltem mundi convertit in *ἄπειρον* æquè *à parte ante*, ac *à parte poſt*.

V. Quam verò mutationis *ſpeciem* ſit ſubiturus mundus, ſuper eo aliquod inter Theologos ſententiarum reperitur divortium. Quidam enim cenſent mutationem illam futuram *omnimodam* per *modum annihilationis*, quidam *aliqualem*, ſiue *ſubſtantialem*, per *modum corruptionis*, ſiue *accidentalem*, per *modum alterationis* duntaxat.

VI. Sententia *prima* de *omnimoda* mundi mutatione magnos Auctores habet, & argumentis partim *inartificialibus* ab auctoritate ſiue diuina, ſiue humana, partim *artificialibus* à ratione operoſè à multis probatur: Sententia *ſecunda* de aliquali mundi mutatione magnis etiam viris placet, qui auctoritatibus auctoritates, rationibus rationes opponunt. Nobis *media* & moderata hujus quæſtionis deciſio tutiſſima videtur, neutram nimirum ex opinionibus iſtis oppoſitis vel impiam cenſendam eſſe, vel abſurdam

dam, & ἐποχὴν circa utramque licitam, *poſteriorem* tamen argumento loci ducti ex capite 8. ad Romanos ℣. 19. 20. 21. &c. nobis probabiliorem videri, quippe qui non *annihilationem*, ſed inſtaurationem κτίσεως creaturæ (per quam nec *intellectualis* nec *rationalis* intelligi poteſt) pollicetur.

VII. Quæſtio, *quid ſit* iſta mutatio, παχυλῶς cum Scriptura exponi poteſt: ἀκριβῶς exponi non poteſt. Nos in hujus naturam, quantum Scriptura præit, aliqua cauſarum ejus indagine inſtituta inquiremus.

VIII. *Cauſa efficiens principalis* hujus mutationis nonniſi Deus eſt, argumento tum *loci* ex Pſal. 102. 27. & aliorum id genus, tum *rationis*, nec enim vel minor requiritur *auctoritas*, vel *virtus* minor ad totam iſtam molem commovendam, ut nova ei inducatur facies, quàm quæ eam primò ex nihilo eſſe, & ad multam ætatem durare iuſſit.

IX. *Cauſa inſtrumentalis* huius mutationis, *in genere* dicitur ignis, 2. Pet. 3. 7. 10. 12. qualis verò ignis iſtius ſiue *origo* ſit futura, ſiue *materia*, ſiue *natura*, an *elementaris*, an *cœleſtis*, id in incerto relinquimus, & à Scholaſticis curioſè diſputari, temerè etiam definiri cenſemus. Vertiginoſas itaque argutationes, & deciſiones iſtas magiſtrales explodimus, ſiue ignem ex concavo lunæ deſcenſurum, ſiue eum vel per συνδρομὴν miram variorum ſiderum, vel per radiorum ſolarium concentrationem, vel per corruſcationum in fine ſeculorum excitandarum frequentiam generandum, ſiue è terræ cavernis erupturum ad mundi conflagrationem. Præſtat verò hîc cum Auguſtino *dubitare de occultis, quàm litigare de incertis.*

X. *Materiam* vel *ſubjectum* huius mutationis cenſemus fore corpora tum *cœleſtia*, tum *elementaria*, argumento locorum, Pſal. 102. 26. 27. Eſai. 34. 4. 51. 6. 1. Petr. 3. 7. 2. Petr. 3. 10. 12. Nec enim elementare duntaxat cœlum, ſed ſtellatum etiam intelligendum eſſe patet & ex ἐπεξηγήσει Pſaltis Pſalm. 102. 26. & 27. & ex diſtincta cœleſtium & elementarium corporum nomenclatione, quæ occurrit apud Petrum, 2. Epiſt. 3. 11. & 12.

XI. *Forma* mutationis illius potiſſimum in quæſtionem venit, qualis ſit futura, *ſubſtantialis* an *accidentalis* duntaxat. Quod quidem cùm Scriptura non definiat, nec nobis definiendum cenſemus, ſed id tantùm, fore βελτίωσιν non ἰδιαιτέραν ἀλλοίωσιν, non φθοράν, mutationem *perfectivam*, non *corruptivam*, ut patet ex capite 8. ad Rom. verſ. 19. 20. 21.

XII. *Finis* huius mutationis eſt mutantis gloria, mutati perfectio, & maior creaturarum tum intellectualium, tum rationalium ad Dei ſapientiam, potentiam, & bonitatem agnoſcendam & celebrandam excitatio.

XIII. *Adjuncta* huius mutationis ſunt vel *antecedentia*, qualia ſunt ſigna illa, de quibus ſermo, Matth. 24. vel *conjuncta*, circumſtantia temporis, noviſſimus nimirum dies, Ioh. 6. 39. 1. Pet. 1. 5. vel *ſubſequentia*, *Beatorum* plena glorificatio, & *damnatorum* omnimoda punitio.

XIV. Vtramque antecedit *ultimum judicium*, quod eâdem methodo compendioſè exequemur, inquirendo, 1. In quæſtionem, *An ſit?* 2. In quæſtionem, *Quid ſit?*

XV. Quæſtio *an ſit* futurum ultimum iudicium deciditur partim

diſertis Scripturæ locis, Matth.10.15. & 25.31. &c. Act.23.6. 1. ad Corint. 5.10. 2. ad Timoth.4.1.8. ad Hebr.9.27, partim rationibus petitis à Dei juſtitia, partim ſenſu conſcientiæ, & cogitationibus tum excuſantibus tum accuſantibus, ad Rom.2.15.

XVI. Quæſtio *quid ſit*, ex ſuccincto cauſarum ejus examine pateſcet. *Cauſa* judicij iſtius *efficiens* quoad *authoritatem* & *conſenſum* eſt Deus conſideratus οὐσιωδῶς, ad Rom.2.5. quoad *executionem* verò Deus conſideratus ὑποστατικῶς, nimirum Chriſtus θεάνθρωπος, Act.17.31. per ſingularem hujus Apotelesmatis *appropriationem*.

XVII. *Materia circa quam* vel *objectum* ſunt, 1. *Perſonale*, idque quoad *ſpeciem* partim Angeli, partim homines, quoad *qualitatem* ſpeciei, Angeli mali definitè, 2.Pet.2.4. Judæ verſ.6. homines verò tum boni tum mali promiſcuè, 2. ad Cor.5.10. magni & parvi, Apoc.20.12. vivi & mortui, Act.10.42. 2. *Reale*, cogitata, dicta, facta, ad Roman.2.16. Matth.12.35. 2.Corinth.5.10.

XVIII. *Forma* hujus judicii conſiſtit partim in *cognitione* cauſæ, partim in ejus *deciſione*, & *latione ſententiæ* peremptoriæ, partim in *ejuſdem executione*, quæ omnia repræſentantur in proceſſu illo judiciali, qui inſtituitur, Matth.25.

XIX. *Finis* judicii illius eſt partim *principalis*, judicantis gloria; partim *minus principalis*, ſiue ſalvandorum gratioſa glorificatio, ſiue damnandorum juſta punitio; quarum illa miſericordiæ potiſſimùm, iſta juſtitiæ, utraque veritatis divinæ demonſtratio eſt, 2. ad Theſſ.1.10. Apoc.15.4.

XX. *Adjuncta* judicii extremi ſunt, 1. Circumſtantia *temporis*, dies noviſſimus, qui *indefinitè* notus eſt, *definitè* non item. 2. Circumſtantia *loci*, qui nec vallis Joſaphati eſt, nec in Scriptura definitus, nec temerè extra eam definiendus. 3. Signa *antecedentia*, de quibus Mat.24. 4. *Conſequens* abſolutorum felicitas, damnatorum miſeria. Ex quibus omnibus applicatio obvia ad vſus partim *theoricos*, ſiue διδασκαλικούς, ſiue ἐλεγκτικούς, partim *practicos* ſiue παιδευτικούς, ſiue ἐπανορθωτικούς, ſiue παραμυθητικούς.

XXI. Damnamus, 1. *Profanos* ſiue conſummationis ſeculi ſiue judicii extremi ἐμπαῖκτας, quales deſcribuntur, 2.Pet.3.4. 2. *Philoſophos paganos* æternitatis mundi patronos. 3. *Iudæos* & *Mahumetanos* de ultimo judicio & ejus antecedentibus ieiunè multa fabulantes. 4. *Chiliaſtas* hæreticos conſummationis ſeculorum corruptores. 5. *Pelagianos*, *Socinianos*, & *Pontificios*, qui iudicii extremi partim normam veram ſubmovent, partim falſam ſubſtituunt. 6. *Origeniſtas*, qui peremptoriæ iudicii ſententiæ, eiuſque executioni æternæ intercedunt. 7. *Impios*, qui malam, hypocritas, qui fucatam, ſtupidos, qui nullam ad hoc iudicium mercem parant, omnes verè ſuo ſibi iumento ſuam, & æternam quidem perniciem accerſunt, & iuſtitiam Judicis ſui malo ſuo commendant.

FINIS.